BIBLIOTHECÆ
SANCTORVM PATRVM

TOMVS SEPTIMVS,

QVO DEVOTÆ, ET ERVDITÆ ALIQVOT
ILLORVM HOMELIÆ, DE SANCTIS ET IN
loca varia Scripturæ, continentur.

Per MARGARINVM DE LA BIGNE,
Theologum Doct. Parisiensem.

PARISIIS,
APVD MICHAELEM SONNIVM, VIA IACOBÆA,
SVB SCVTO BASILIENSI.
M. D. LXXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTHECÆ
SANCTORVM PATRVM

TOMVS SEPTIMVS,

QVO DEVOTÆ, ET ERVDITÆ ALIQVOT
ILLORVM HOMELIÆ, DE SANCTIS ET IN
loca varia Scripturæ, continentur.

Per MARGARINVM DE LA BIGNE,
Theologum Doct. Parisiensem.

PARISIIS,
APVD MICHAELEM SONNIVM, VIA IACOBÆA,
SVB SCVTO BASILIENSI.
M. D. LXXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX HOMELIARVM DE SANCTIS, ET IN VARIA SCRIPTVRÆ LOCA, QVÆ CONTINENTVR

Sanctæ Bibliothecæ Sanctorum Patrum TOMO SEPTIMO.

BEATISS. Hippolyti, Episcopi & Martyris Oratio de consummatione Mundi, & de Antichristo, & secundo Aduentu Domini nostri Iesu Christi. col. 1.

Petri Archiepiscopi Alexandrini, & Martyris, Canones, qui feruntur in Sermone de Pœnitentia, cum Cõmentariis Balsamonis Patriarchæ Antiocheni. col. 15

Sancti Patris nostri Epiphanij, Episcopi Constantiæ vrbis Insulæ Cypri, de laudibus Sanctæ Mariæ Deiparæ, Sermo. col. 65

Hesychij Presbyteri Hierosolymitani, Homiliæ. 2. de S. Maria Deipara. col. 3?

Chrysippi Presbyteri Hierosolymitani Sermo de eadem. col. 35

Gaudentij Episcopi Brixiani, qui tempore Diui Ambrosij floruit, Tractatus, siue Serm. 13. in varia scripturæ loca. col. 43. Eiusdem respõsio ad Germinium, de villico iniquitatis, col. 111. Eiusdem ad Paulum Diaconum Respõsio, de eo quod ait Christus Ioan. 14. Pater maior me est. col. 117

B. Cæsarij Arelaten. Episcopi Homelia ad Populũ in Quadragesima. col. 123. Eiusdem Homeliæ 5. de Paschate. col. 126. Eiusdem variis de rebus, & in varia Scripturæ loca, Homeliæ 40. col. 138

B. Venantij Honorati Clementiani Fortunati Pictauien. Episcopi, Hom. de Oratione Dominica. col. 223. Eiusdem in Symbolum Apostolicum, Exegesis. col. 231

D. Andreæ Hierosolymitani in S. Mariæ Deiparæ Salutation. Sermo. 235.

Pantaleontis, magnæ Dei Ecclesię Diaconi, de sanctis luminibus id est, Christo, & S. Ioanne eius Præcursore, Serm. col. 24

Chromatij Pont. Rom. de 8. Beatitudinib. conciones 2. col. 24

D. Alcimi Auiti Viennen. Archiepiscopi. Poëmatum, Lib. 5. col. 283. Eiusdem de consolatoria castitatis laude ad Fuscinam sororem. col. 325. Eiusdem de festi Rogationum primæ institutione, Hom. ad populum Viennen. col. 338

Claudij Marij Victoris, Oratoris Massilien. Cõmentarior. in Genesim, Lib. col. 342

S. Gregorij Episcopi Cæsariensis miraculis clari pulcherrima in Epiphaniam oratio. Col. 374.

SANCTORVM PATRVM HOMELIAE DE SANCTIS, ET IN VARIA SCRIPTVRÆ LOCA, BIBLIOTHECÆ.

TOMVS SEPTIMVS.

EX D. HIERONYMI SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGO.

HIPPOLYTVS *cuiusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe vrbis scire non potui) rationem Paschæ temporúmque Canones scripsit vsque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Græci* ἐκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit: & Eusebio, qui super eodem Paschæ Canonem decem & nouem annorum, id est,* ἐννεακαιδεκαετηρίδα *composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in scripturas commentarios, è quibus hos reperi, in* ἑξαήμερον, *& in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Genesim, & in Zachariam, de Psalmis, & in Esaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Prouerbiis, de Ecclesiaste, de Saül, de Phytonissa, de Antichristo, de Resurrectione contra Marcionem, de Paschate aduersum omnes hæreses. Et* προοιμίων *de laude Domini Saluatoris, in qua, præsente Origene se loqui in Ecclesia significat. In huius æmulationem, Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem in scripturas Commentarios scribere, præbens ei septem & eò amplius notarios, eorúmque expensas, & Librariorum parem numerum: quódque his maius est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. & vnde in quadam Epistola* ἐργοδιώκτην *eum Origenes vocat.*

EX IOANNIS PICI, PARISIENSIS SENATVS PRÆSIDIS, ET ORATIONIS HVIVS INTERPRETIS, Præfatione ad Illustriss. Principem Cardinalem Carolum à Lotharingia.

HAc in Oratione nemo speret die vel horam illius secundi Aduentus siue iudicii, designatam iri, quam nemo (dempto solo Patre, vt Christus inquit in Euangelio) exploratã habet: verum quæ strictim & cõcisè de iudiciis diem illam antecessuris à Domino dicta sunt, ea ipsa verbosius & more prope declamatorio lapidius explicari: allatis Prophetarũ atque Apostolorũ cõfirmantibus propositũ testimoniis. Quicũque tamẽ accedet ad lectionẽ huius orationis, duo potissimum attendet, & summopere cauebit, in quibus peculiarem & alienam ab Ecclesiastica doctrina tuetur *Hippolytus* opinionem. Prius, dum censet Ioannem Euangelistam quasi minimè mortuum, cum duobus Prophetis Enocho & Elia, venturũ ad prædicandum verbum Dei paulò antequam reueletur Antichristus: cùm tamen & beatum Ioannem obiisse mortem asserat Ecclesia: & ille ipse Ioannes, Apocalypseos vndecimo capite duorum duntaxat Prophetarum Antichristo præeuntium faciat mentionem. Alterum est in eo quòd existimet Antichristum non futurum verum hominem, sed corpus tantùm phantasticum ostentaturum, contra diui Pauli sententiam vocantis illum, hominem peccati filiúmque perditionis. Quæ ne fallant imprudentem lectorem, sunt ad marginem annotata.

BEATISSIMI HIPPOLYTI EPISCOPI ET MARTYRIS ORATIO DE CONSVMMATIONE MVNDI, AC DE ANTICHRITSO, Et Secundo Aduentu Domini nostri Iesu Christi.

OVONIAM beati Prophetæ, oculi nostri fuerũt, rerum arcanarũ declarationem nobis indicantes, tũ vita, tum manifestatione, atq; Spiritus sancti Aduentu, & verba de iis quæ nondum acciderũt facientes, vnde etiã omnium seculorũ posteritati maximam delinearunt contemplandi agendíque occasionem: quã etiam ob causam dei per carnem Aduẽtu in mundũ promulgato, qui ex impolluta ac deipara Maria ortũ sumpsit atque incrementum: eius cũ hominibus cõsuetudinem ac vitã eiúsque per baptisma declarationẽ futurã omnibus hominibus regenerationem, per lauacrũ regenerationis: eius miracula copiosa, beatam illam in Cruce Passionem, ludibria Iudæorũ quæ in ea pertulit, sepulturã eius, descensum ad Inferos, ascensum redẽptionémque animarum quæ fuerunt à seculis, mortis extinctionẽ, viuificã eius à mortuis Resurrectionem, vniuersi mũdi reformationem, in Cœlum Assumptionem & Ascensionem, sancti Spiritus susceptionem, qua ornauit Apostolos: Aduẽtum denique secundum, qui manifestabit omnia, cùm videntes appellentur, necessariò præmonstrarũt ac prædixerunt. Vnde diem etiam cõsummationis nobis signi-

Maria Dei-para.

Christi descensus ad Inferos.

ficarunt, extremis temporibus apostatam emersurũ, qui homines seduceret, initiũ ac finem regni eius, iudicis quoque Aduentum, iustorum vitã, ac delinquentiũ supplicia præsignarunt: vti omnes singulis diebus ac horis hæc aĩo versantes velut ecclesiæ filij cognoscamus, ne vnum quidem iota aut vnũ apicẽ ex his præteritũ iri: quemadmodũ sermo Saluatoris indicauit. Omnes igitur necessariò aperite oculos cordiũ vestrorũ, ac auribus animæ vestræ quæ dicturi sum⁹ excipite. Explicabo enim vobis hodierno die omnis horroris terroríque plenam narrationẽ, nẽpe de cõsummatione, id est est, totius Mundi seductione, quã patictur ab hoste & diabolo: quã sequetur secũdus Aduẽtus Dñi nostri Iesu Christi. Vnde ergo, Christi, amantes, sumam initiũ, quid exordiar, quidve cõmemorabo? Quem corũ quæ dico testẽ exhibebo? Verũ vnde sermonẽ sumus auspicati, eos in mediũ proferam⁹ testes fide dignos, qui dicta cõprobent: deinde Apostolorũ quoque doctrinã, vel Propheriam potius, vt per vniuersum orbem terrarũ quasi tuba canãt cõsummationis diẽ. Cũ igitur hi quoque prẽsignauerint quæ nondũ euenerunt, ac fallacias peruersaq; cõsilia improborũ hominũ, qui existent, aperuerint, agedum Esaiã Prophetã tanquã primũ testem in mediũ producamus, qui docet nos quæ futura sunt circa tẽpora cõsummationis. Quid igitur ait? Terra vestra deserta, Ciuitates vestræ igne exustæ. Regionẽ vestram in conspectu vestro deuorant alieni. Derelinquetur filia Sió sicut vmbraculũ in vinea: & sicut tugurĩũ in cucumerario: tanquã Ciuitas quæ vastatur. Vides, dilecte, lumen Prophetæ immisũ, quo tẽpus illud, quot ante seculis vaticinatus est. Nec enim de Iudæis, nec de ciuitate Sió verbum hoc prædixit, sed de Ecclesia. Nam oẽs Prophetæ declararũt Sió esse spõsam è gentibus adductã. Quocirca ad secundũ testẽ orationẽ applicem⁹

Scopus huius orationis.

Testimonia Prophetarũ. Esa. 1.

Osee. 13. Quisnã est ille? Audi etiã Oseam grandiloqua fundentẽ, In diebus illis inducet dñs è deserto ventũ vredinis cõtra illos: & desiccabit venas eorũ, & desertos faciet fontes eorũ, & vniuersa vasa desiderabilia delebũtur. Quia restiterũt cõtra deũ, in gladio cadent, & quæ ex eis pgnates fuerint, dissũpentur. Ecquis alius vẽtus vredinis à deserto, q̃ Antichrist⁹? qui tẽporibus suis deleturus est & desiccaturus venas aquarũ & fructus arborũ, propterea q̃ homines amplexi sunt opera eius. Itaq; delebit eos, ipsíque seruiẽt in impuritate ipsius. Attẽde cõcordiã prophetæ propheta: cognosce alium quoque similia proloquentem. Eadem enim Amos propheta cõsentiens prædixit: Hęc dicit dñs, quia pugno percutitis pauperẽ, & dona electa cepistis ab eo, domos politas ædificastis, & nõ habitabitis in eis. Vineas desiderabiles plantastis, nec tamẽ vinũ bibetis earũ. quia noui permultas ipietates vestras, & grauia sũt pccata vestra. qui defraudatis iustos, accipitis munera, & pauperes in portis opprimitis. Ideo prudẽs in tẽpore illo tacebit, q̃a tẽpus malũ est. Discę, dilecte impbitatẽ hominũ illius memoriæ, vt iustũ diripiãt, domos & agros, & ipsam iustitiã auferãt à iusto: vt scias tũ finẽ adesse, quãdo hæc fiẽt. Ita perspecta tibi est prophetæ sapiẽtia ac reuelatio futura tẽporibus illis. Quin Prophetæ oẽs (quemadmodũ prædiximus (vt vetera patefecerũt, sic posterioribus euẽtura tẽporibus clarè vaticinati sunt. Sed ne recẽsendis omnium prophetarũ verbis orationẽ cõsum⁹, vbi vni⁹ mẽtionẽ fecerim⁹, ad ppositũ reuertamur. quid porrò Michæas quoque pdicit? Hæc dicit dñs super prophetas q̃ seducũt populũ meũ, qui mordẽt dẽtib⁹ suis, & pdicãt ei pacẽ: & si nihil datũ fuerit in os eorũ, sanctificãt super eũ bellũ. Propterea nox erit vobis pro visione, & tenebræ vobis erũt pro diuinatione. Et occidet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur qui vident somnia, & deridebuntur vates. Hæc prænatrauimus, vt in telligatis cruciatum & perturbationem extremis furã temporibus, omniumque hominum inter se viuendi cõsuetudinem, inuidiam, odium, contentionẽ: pastorũ in ouibus negligentium, populi erga Sacerdotes animũ immorigerũ. Ita oẽs suo arbitratu vãuent. Filij manus iniicient in parẽtes: vxor virũ suũ tradet in mortẽ: vir vxorẽ suã, vt ream, trahet in iudiciũ. dñi in seruos suos erũt inhumani: serui in dominos animũ gerẽt inobedientẽ. Senis canitiẽ nemo reuerebitur: iuuenilis formæ nemo miserebitur. tẽpla diuina domorũ instar erũt: locis oĩb⁹ euersiones fient ecclesiarũ. scripturæ contẽnentur: hostis illius Cãtica vbique decãtabunt. Post hæc stupra, adulteria, periuria, incãtationes, diuinationes magno impetu studioq; sequẽtur. In summa, ex iis qui Christiani vidẽtur, tunc exurgẽt falsi prophetæ falsíque Apostoli, homines impostores, corruptores, malefici, mentiẽtes alius in aliũ, adulteri stupratores, rapaces, auari, periuri detractores. Pastores fiẽt quasi lupi: Monachi expetẽt q̃ sunt mũdi: diuites animũ expertẽ misericordię induẽt, pauperi nõ succurrẽt principes, potẽtes miserationes abiiciẽr, iudices iustũ auferẽt ex iusto, muneribusq; excæcati iniustitiã pbabũt. Quid narro, q̃ fient ab hoĩbus, cùm ipsa etiã elemẽta ordinẽ suum sint negaturæ? Terræmotus erũt per oẽs regiones, tonitrua, venti, horrenda fulgura, q̃ domos agrósq; exurent: pcellæ vẽtorũ, q̃ terrã ac mare sine modo perturbabunt: terræ sterilitates, sonitus maris, intolerabilis cõmotiõ ob interitũ tam animarum quàm hominum: signa in Sole, signa in Luna, siderum de via deflexiones, angustiæ gentiũ, aẽris intẽperies, grandinis emissiones super faciẽ terræ hyemes inordinatæ, glacies sui dissimilis, ardores qui sedari nequeãt, repẽtina fulmina, inspserata incẽdia: &, vt semel dicã, gemitus & plãctus vniuersæ terræ cõsolatione carẽtis. Ex quo em abũdauerit iniquitas, refrigelcet charitas multorũ. Propterea dñs vniuersi, horũ omniũ fluctuationem & confusionẽ clamat per Euangelium, dicens, Videte, ne seducami ni. Multi enim veniẽt in nomine meo dicẽtes. Quia ego sũ. & tẽpus appropiquauit. Ne seducamini igit⁹ post eos. Cùm autẽ audieritis bella & dissensiones, nolite terreri. Oportet enim primũ hæc fieri: sed nõ statim finis. Videamus verba Saluatoris, quemadmodũ ad nos sẽper confirmando præceperit. Videte, ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicẽtes, Ego sũ, Nã posteaquã ipse assumptus est ad patrẽ, surrexerunt quidã dicentes. ego sũ Christus, vt Simõ Magus, & reliqui, quorũ nomina referre nõ est huius tẽporis. Quare extremo etiam die consummationis exurgere denuo debent pseudochristi, viri qui dicant, Ego sum Christus: & seducent cõplures. Pleriq; homines cursitabũt ab oriẽte ad occidẽtẽ vsq;, & ab aquilone vsq; ad mare dicẽtes, Vbihîc Christ⁹? Vbi illic Christ⁹? sed qui vana sapiẽtia prediti, nec diligẽter legãt scripturas, nec recta sẽtiãt, nomẽ quę q̃ inuenire nõ poterũt. Oportet emprimũ hęc fierẽt, ri, itaq; cõspici filiũ perditionis, hoc est, diabolũ. quin & diuinilo qui Apostoli, qui cõfirmãt aduẽtũ dñi nostri Iesuchristi, sigillati inuerũt istorũ detestando-

Afflictiones extremis tẽporibus futuræ.

Mich. 3.

Luc. 21.

rum ac exitialium hominum demonstrationem, ac palàm prædicarunt nefarias illorum actiones. Princeps Petrus, fidei petra, quẽ beatũ iudicauit Christus Deus noster, ille doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorũ, ille qui regni claues habet, docuit nos dicens,

Petrus fidei petra, &c.

2. Pet. 3. Hoc primũ scitote filij, quòd veniẽt in extremis diebus illusores, secundũ suas ipsorum concupiscentias

2. Pet. 2. ambulãtes. Et erũt in vobis falsi doctores, qui introducẽt sectas perditionis. Secundũ hunc cõsonat Ioã-

1. Io. 3. & 2. nes Theologus dilectus Christi, clamátq;, Manifesti

1. Io. 4. sunt filij diaboli. Et nunc Antichristi multi facti sunt: verùm ne seducamini post eos. Nolite omni spiritui credere, quia multi pseudoprophetæ exierunt in mũdum. Deinde etiam Iudas Iacobi frater his similia dicit, In nouissimis temporibus erunt illusores, secundum sua desideria ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui sine metu seipsos pascunt. Perspexisti Theologorum & Apostolorum cõsensum, ac doctrinæ illorum concordiã: deinceps Paulum etiam audiãs, liberè loquentem, quàm apertè hoscę reuelet: Videte

Iud 1.

Phil. 3. Col. 2.

malos operarios, videte concisionem. Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fallaciam. Videte quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali sunt. Ecquis igitur habebit excusationem, qui hæc audiat in Ecclesia à Prophetis, ab Apostolis, atque ab ipso domino: nec sollicitus erit de anima sua, ac tempore consummationis & hora illa, qua sisti debemus ad tribunal Christi? Sed narrationẽ huius de cõsummatione orationis cõuertamus ad ea quæ sequuntur nobis dicenda. In mediũ verò produco testem fide dignũ Danielem Prophetam qui somniũ Nabuchodonosor dissoluit, atque ab initio regnorũ vsque ad consummationẽ, viã indeclinabilẽ sequi volentibus, declarationem veritatis demõstrauit. Quid enim Propheta clarè Regi

Dan. 2. Nabuchodonosor prænunciauit? Videbas, ô Rex, & ecce statua ingens stabat in conspectu tuo: cuius caput erat ex auro, brachia eius & humeri argẽtei, vẽter & femora ex ære, tibiæ ferreæ: pedum aũt pars erat ferrea, pars testacea. Contẽplabaris ergo donec abscissus est lapis sine manibus, qui percussit imaginis pedes ferreos ac testaceos, & tandẽ cõminuit. Túmq; simul cõminuta sunt, testa, ferrũ, æs, argentum, & aurũ: & facta sunt quasi puluis à facie turbinis æstiui. Lapis autẽ qui percussit imaginẽ, creuit in montẽ magnũ, & repleuit vniuersam terrã. Coniũgẽtes ergo his visiones Danielis, amborũ vnã faciemus expositionẽ, demonstrãtes vera fuisse à Daniele visa, & cõsentanea iis quæ Nabuchodonosor quoq; præuiderat. In hunc enim modũ ait Propheta, Ego

Dan. 7. Daniel videbã, & ecce quatuor vẽti Cœli pugnabãt in mari magno: & quatuor bestiæ grãdes ascendebãt de mari, inter se diuersæ. Prima bestia quasi leæna,, & eius alæ velut aquilæ. Aspiciebã donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est à terra, & super pedes hominis stetit, & cor hominis datum est ei. Et ecce bestia secunda similis vrso in parte stetit, & tres ordines in ore eius, in medio dentiũ eius: & sic dicebãt ei: Surge, comede carnes plurimas. Post hoc aspiciebã, & ecce bestia tertia veluti pardus, & huic erãt auis alæ quatuor super se: capita quatuor erãt bestię. Post hoc aspiciebã, & ecce quarta bestia terribilis atq; mirabilis, & fortis supra modũ: cuius dentes erãt ferrei, & vngues ænei: edebat & cõminuebat, & reliqua pedibus suis cõculcabat. Et hæc valde discrepabat ab omnibus bestiis præcedentibus eã, & habebat cornua decẽ. Considerabã cornua eius: & ecce, cornu paruũ creuit in medio eorũ. Et tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius. Et ecce oculi quasi oculi hominis erãt in cornu isto, & os loquẽs ingẽtia. Cùm igitur hæc videãtur omnibus intellectu difficilia, quæ mysticè dicta sunt à propheta, nullum eorũ celabimus eos qui mẽte sunt sana prædĩti. Cũ dicit Daniel primã bestiã, hoc est leænã, ascendentẽ è mari, significat regnũ Babyloniorum, quod fuit in mundo, aureum caput statuæ illius. Quod autẽ dicit, alas eius velut aquilæ, significat exaltatum Regẽ Nabuchodonosor, contra deum sese extulisse. Postmodũ inquit alas eius euulsas: quonã euersa fuit eius gloria, Pulsus enim fuit è regno suo. illa autẽ verba, Cor hominis ei datum est, & super pedes hominis stetit resipuisse eum, vbi se hominem esse agnouit, dedisséq; gloriã deo. En demonstrauit primæ bestiæ similitudinem. Post lœnam, alterã bestiã videt propheta vrso similẽ: qui erant persæ. Cùm autem dicit, Videbã in ore eius tres ordines, tres gẽtes designat, persas, Medos, ac Babylonios: quod declarat per æs in imagine. Iam quod ait, bestiã habere quatuor alas auis, & quatuor capita, clarissimè demonstrauit quo pacto regnum Alexãdri diuisum fuerit quatuor in partes. Quatuor em habuit capita, reges quatuor qui ex eo regno surrexerunt. Nã moriens Alexander regnum suum diuisit in quatuor partes. Iam etiam tertiam bestiam expediuimus: deinceps narrat quartã bestiam terribilẽ ac stupendam, cuius dẽtes erãt ferrei, ac vngues ænei. Quinã sunt hi, nisi Romanorũ imperium, quod est ferrum, quo cõteret omnes superiores Reges, & dominabitur vniuersæ terræ? Quid porrò reliquum est nobis interpretãdum ex his quæ vidit propheta? At extremitates illę pedũ imaginis, in quibus pars erat ferrea, pars testacea, permixta ambo in vnũ. Siquidẽ decẽ digitis pedũ imaginis, mysticè significauit decẽ Reges inde exortos: quod Daniel est interpretatus. Considerabã enim, inquit, bestiam, quartãvidelicet: & ecce decẽ cornua post eã. In quibus ascendit alterũ cornu tãquam pullulans, ac tria se priora eradicabit. Quod cornu demonstrat pullulũ alium non esse nisi Antichristũ, qui susciturabit regnum Iudæorũ. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellẽtur, tres Reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopũ, quos deleturus est acie bellica: quibus omnibus potitus, iam tyrannus formidabilis sanctos affliget ac persequetur, insurgens in eos. Vides, vt Daniel Nabuchodonosoro regnorũ dominationẽ exposuerit. cernis, vt statuæ formã, omnibus suis lineamentis declarariț: percepisti, qua ratione præmõstrarit nobis quatuor bestiarũ ascẽsum è mari. Superest, vt Antichristi peculiaria facinora vobis aperiamus: & quatenus licebit, è prophetis atq; scripturis promulgemus eius vagationẽ per vniuersam terrã, & Aduentum nefariũ. Cũ dominus Iesus Christus secũdũ carnẽ aduenerit ex sancta & immaculata Virgine, tribũq; Iuda assumpserit, ex eãq; processerit, declarauit scriptura regiã stirpẽ, ex sententia Iacob in benedictionibus clamantis ad Iudam filiũ suũ, Te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cerũicibus inimicorũ tuorum adorabunt te Filij patris tui. Catul⁹ Leonis Iuda: è virgulto, Fili mi, ascẽ

Visionum interpretatio.

Antichristi facinora.

disti. Recubans dormiuisti vt Leo, & velut catulus leonis, quis excitabit illũ? Nõ deficiet Princeps ex

Gen. 49.

Iuda, neque Dux de fœmoribus eius, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse est expectatio gentium. Attende, verba Iacob ad Iudã dicta, in Dño esse impleta. Idẽ profectò clamat etiam de Antichristo Patriarcha. Itaque sicuti Prophetiam emisit in Iudam, ita & in filium suũ Dan. (Nam Iudas erat filius eius quartus, Dan verò filius quoque eius septimus) Ecquid de illo clamauit? Occurrat ipsi Dan, coluber in via, insidens in semita, mordens vngulã equi. Quis erat Serpẽs, nisi seductor ille ab initio dictus in Ge-

Gen. 3.

nesi seduxisse Euã, & Adamũ supplantasse? Sed quoniã pluribus hæc nobis sunt demõstranda, haud grauabimur. Ille certò nasciturus est è tribu Dan, & veluti Rex tyrannus aciem ex aduerso instructurus est, iudex seuerus ac Diabolus, vt ait Propheta. Dan iudicabit populum suũ, vt quæuis alia tribus in Israël. Sed dicet quispiã, hoc de Samsone dictũ esse, qui na-

Antichristus erit de tribu Dan.

tus è tribu Dan, iudicauit populum suũ annos viginti. At in parte duntaxat illud à Samsone factum est, hoc verò vniuersè implebitur tẽporibus Antichristi. Inquit enim Ieremias in hunc modũ: E Dan au-

Gen. 49.

diemus vocem accutissimam equorum eius: A voce hinnitus equitatus equorum eius cõcussa est vniuersa terra. Et rursus Moses inquit, Catulus Leonis Dan, & exiliet è Basan. Et ne quis dicat, dictum hoc ad Saluatorẽ pertinere, attendat animum. Dan, inquit, catulus leonis, perspicuum reddit propositum, nominata tribu Dã, de qua nascetur Diabolus. Quẽadmodum enim è tribu Iuda natus est Christus, ita nascetur è tribu Dan Antichristus. Cúmque Dñs ac

Iere. 8. f.

Christus dictus est Leo: item Antichristus diuersis de causis.

Saluator noster Iesus Christus filius Dei propter Regiã & illustrẽ naturam, Leo sit antè prædicatus, eodem modo scriptura Diabolum ob tyrannicã ac violentã indolem, leonem similiter fore prædicauit. Nã per omnia seductor ille vult imitari filium Dei. Leo Christus, Leo quoque Antichristus. Christus Rex cœlestium atque terrestriũ, Rex etiã nascetur super terram Antichristus. Demõstratus est Saluator vt agnus, ipse quoque nascetur in Circuncisione. Chri-

Antichristus per omnia volet imitari christum.

stus misit Apostolos ad omnes gentes, hic itidẽ mittet pseudoapostolos. Christus oues dispersas congregauit, hic populũ Hebræorum dispersum, ad eũdẽ modũ congregabit. Christus dedit credẽtibus in eũ, pretiosam ac viuificã Crucem, hic itidem signũ suũ daturus est. Apparuit Dñs in figura humana, sic iste prodibit sub forma hominis. Ex Hebræis ortus est Christus, hic quoque nascetur è Iudæis. Christus ostendit carnem suã tanquã templum, ac suscitauit tertia die, sic iste Ierosolymis suscitabit templũ lapideum. Atque has illius fallacias ex iis quæ deinceps exponemus, liquidò intelligent qui attentè nos audient. Nã è scripturis duplicem Aduentum Christi Saluatoris didicimus. Ac prior quidem secundum carnẽ, fuit abiectus: eo quòd ille humilis apparuerit. Ita posterior eius Aduẽtus prædicatus est gloriosus: quoniam veniet è Cœlis cũ potentia, cũ Angelis & gloria Patris. Prior ipsius Aduentus præcursorẽ habuit Ioannem Baptistã, posterior autẽ quo vẽturus

Cautè lege de Ioãne. nam duorum tantũ prophetarum

est in gloria, Enoch, Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit. Humanitatẽ specta Dñi: vt vel extremis tẽporibus, mortaliũ curam gerat, ac misereatur. Ac ne tunc quidem sine Prophetis nos relinquet: sed missurus est eos ad doctrinã nostrã, certámque sciẽtiã, atque vt animos attendamus in Aduentũ aduer-

sarij, vt ibidem Daniel præmonstrauit. Inquit enim, Testamentum confirmabit multis hebdomada vna: & in medio hebdomadæ auferetur Sacrificium &

mentio fit ca. 11. Apoc.

Hostia. Vnâ hebdomadâ, septennij demonstrationẽ indicat posterioribus futuram temporibus. Ac dimidium hebdomadæ sument duo Prophetæ cum Ioanne, ad denunciandum per vniuersum mundum Aduentum Antichristi, hoc est mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis: faciéntque signa & prodigia, vt vel hac ratione flectant & conuertant homines ad pœnitentiam, propter immensam eorum iniquitatẽ & impietatẽ. Quòd si quis velit eis nocere; ignis egredietur ex ore ipsorum, & deuorabit hostes eorum. Hi potestatem habent claudendi Cœlũ, ne pluat diebus Aduentus Antichristi: & aquas cõuertendi in sanguinem, ac percutiendi terram omni plaga quotiescunque voluerint. Cúmque prædicauerint hæc omnia, occũbent gladio interfecti à Diabolo. Et implebunt testimonium suũ, vt inquit etiã Daniel: qui præuidit bestiã ascendentẽ ex Abysso cũ eis bellũ gesturam, id est, Enoch, Elia, & Ioanne, & superatos eos interfecturã, propterea quòd noluerint gloriã dare Diabolo. Istud est exiguũ cornu quod emergebat. Nã Antichristus elatus corde, postea incipiet exaltare seipsum & glorificare tanquã Deum, persecutione sanctos, & blasphemia Christũ incessens. Verũ quia narrationis series necessariò nos deduxit ad dies regni aduersarij illius, primò natiuitas eius est exponenda atque incrementum: tũ sermo (vt antea diximus) deducendus ad explicãdum quo pacto per omnia Diabolus & filius iniquitatis sit Saluatori nostro se exæquaturus. Sic enim nos docet demõstratio. Cùm Saluator mũdi, genus humanum saluare decreuisset, ex immaculata virgine Maria natus est, & in figura carnis hostem cõculcauit suæ diuinitatis propria potentia. Ad eundẽ modũ etiã Diabolus ex impura muliere prodibit super terrã: sed falsò nascitur ex Virgine. Etenim Deus noster in carne versatus est nobiscũ, nostræ nõ dispari, quam ipse fecit Adamo, posterísque eius omnibus, absque peccato. Sed Diabolus licet carnẽ assumat, hoc opinione tantùm. Quî enim carnem ferret, quã ipse nõ cõdidit, sed oppugnat quotidie? Hanc (opinor) dilecti, carnis suæ substantiã phantasticã assumit organi vice. Propterea edetur ex Virgine veluti spiritus, qui quidẽ tũc reliquis apparebit caro. Nã virginem peperisse solã sanctissimam nouimus, quæ carnigerum verè genuit Saluatorẽ: Siquidem Moses ait, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctũ Domino vocabitur. Hic autem nequaquã. Sed quemadmodum hostis non aperiet vuluam: ita nec carnem verã assumet, aut circuncidetur, vt & Circuncisus est Christus. Et sicuti Christus elegit Apostolos, sic ille integrũ populum discipulos sibi asciscet, nequitia sui similes. In primis autẽ Iudaicam gẽtem amabit: apud eos omnes signa edet & horrẽda miracula, nõ vera, sed falsa ad seducẽdos sui similes impios. Etenim, si fieri potest, etiã electos abducet à dilectione Christi. Verũ in primordiis suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur iniustitiã, detestetur munera, idololatriã nõ admittat, amet scripturas, reuereatur sacerdotes, canitiẽ honori habeat, scortationẽ repudiet, adulteriũ abominet, obtrectationes nõ audiat, deierationes nõ recipiat, hospitalis, studiosꝰ pauperũ, misericors. postea edet ꝓdigia, leprosos mundãdo, paralyticos

Dan. 9.

Apoc. 11.

Imò videtur esse Ioannes.

Apoc. 11.

De natiuitate & progressu Antichristi.

Caue prorsus, quia Paulus vocat Antichristũ hominem peccati.

2. Thess. 2.

Exod. 13. & 34.

Num. 8.

Luc. 2.

Hypocritici mores Antichristi.

ralyticos excitando, expellendo dæmones: lõginqua nõ aliter quàm præsentia denunciabit, excitabit mortuos, viduis opẽ feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines cõtendentes ad amicitiam, his verbis, Sol non occidat super iracundiam ve-

+ non vere, sed apparen-

Eph. 4. d.

stram. Non possidebit aurum, nec diliget argentum, diuitias non amplectetur. Atque hæc omnia faciet consilio simulato ac frudulento: quo circumueniat omnes, vt se regem creent. Nam vbi populi ac multitudines, tantas eius virtutes atque facultates perspexerint, vno consensu conuenient omnes vnum in locum, ad creandum illum regem. Ac potissimũ Hæbreorum gens præ omnibus ipsi tyranno chara erit, dicentque alius alij. Nunquid in generatione nostra talis ac tam bonus & iustus homo inueniri potest? Iudæi præcipuè, vt iam dixi, sperantes se spectaturos illum regem tali in imperio, quem adeuntes his verbis alloquentur, Omnes tibi obtemperamus, agnoscimus te iustum super omnem terram, omnes à te salutem nos consecuturos speramus, & ex ore tuo iustum & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem mendax & iniquus ille subdolè gloriam hanc repudiabit: at perseuerantes homines & obsecrantes, illum declarabunt regem. Postea extollet animum, & qui prius erat mansue-

Arrogantia Antichristi.

tus, euadet ferox: qui dilectionem amplectebatur, fiet immisericors: qui animum gerebat summissum, superbus atque inhumanus euadet: qui oderat iniustitiam, iustos persequetur. Deinde sublatus in regnũ suum, bellum instruet, itaque percitus tres magnos reges percutiet, Ægyptiorum, Afrorum, atque Æthiopum. Inde templum cõstruet Ierosolymis, quod confestim excitatum tradet Iudæis. Tum efferetur animo in omnes homines: quinetiam in Deum ipsum contumeliosa verba proloquetur, sperans dolosus ille in posterum se perpetuo regnaturum super terram, ignorans miser, regnum suum breui irritum fore: & quamprimum se recepturum ignem paratũ ipsi cum omnibus qui crediderint & seruierint illi.

Dan. 9.

Nam cùm Daniel dixerit, Testamentum confirmabit multis hebdomada vna, septem annos declarauit. Dimidium hebdomadę prædicabunt Prophetę:

Regnum Antichristi, trium annorum cum dimidio.

dimidium hebdomadæ, hoc est, tres annos cum dimido regnabit Antichristus super terram: post auferetur regnum illius & gloria. Aduertite qui Deum diligitis, qualis afflictio futura sit illis temporibus. At illis duntaxat temporibus, Tunc iniquus ille elato animo dæmones suos congregabit humana specie: & eos qui illum ad regnum inuitarunt, fastidiet, animásque multas inquinabit: quippe principes eis constituet ex dæmonibus. Nec iam velut religiosus, sed planè austerus, seuerus, iracundus, plenus excandescentiæ, truculentus, inconstans, terribilis, grauis, odiosus, contemptor, immitis, exitiosus, nequã, in eo studium & operam collocans vt vniuersum genus hominum in fossam interitus coniiciat, signa falsa multiplicabit. Cunctis enim populis fausta omnia acclamantibus, propter obiectas species, vehementi & grandi voce clamabit, ita vt moueatur locus in quo turbæ astiterint ei: Perspicite populi, tribus ac gentes magnam meam potestatem ac potentiam, virésque imperij mei. Quis princeps tam potens, atque ego? Quis Deus magnus, præter me? Potentiæ meæ quis resistet? Transferet montes antè oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem è cœlo, conuertet diem in tenebras,

& noctem in diem: solem circumaget quò libuerit. Et vt semel dicam, elementa omnia terræ marísque, vi oblatæ apparitionis à se coram spectantibus obtemperare sibi demonstrabit. Nam si ipse modò nõ conspicuus filius perditionis, visibiliter tamen nobis bellum ad pugnas & cædes immittit atq̃ excitat, tunc cùm in propria persona veniet ipse, ac verè illum homines intuebuntur, quas non machinas, dolos ac species molietur ad seducendos cunctos homines & abducendos à via veritatis & regni porta? Deinceps post hæc omnia cœlum non dabit rorem suum, nubes non præbebunt aquam, terra denegabit fructus suos, mare graui replebitur odore, flumina desiccabuntur, morientur pisces maris, homines famè sitíque peribunt: pater amplexus filium, mater item filiam, vnà morientur, nec erit qui sepeliat. Verùm vniuersa terra perfundetur fœtore corporum morticinorum passim iacentium. Mare quoque nõ recipiens fluminum incursus, cœni instar fiet, infinitóque & graui odore replebitur. Tum pestis inualescet super vniuersam terram: tum lamentatio carens omni consolatione, tum eiulatus immodicus, tum fletus continui. Tum homines: beatos prædicabunt eos qui antea decesserunt, dicentes eis: Aperite sepulchra vestra, nósque miseros excipite. Aperite loculos vestros, vt suscipiatis miserabiles cognatos ac familiares vestros. Beati estis vos, qui non spectastis dies istos. Beati vos, qui non vidistis vitam istam, tot dolores nobis & cruciatus afferentem, nec pestem istam vincentem omnia remedia: neque necessitatem istam, quæ occupat animas nostras. Inde impurus ille mandata mittet per vniuersam prouinciam, opera tum dęmonum, tum sensibiliũ hominum qui dicant: Rex magnus natus est super terram, venite omnes adoratum eum, properate omnes ad spectandas vires potentiæ eius. En vobis præstabit frumentum, vinum vobis largietur, opes pretiosas ac sublimes dignitates. Eius namque imperio omnis terra maréque obtemperat. Ad illum omnes accedite. Mox cuncti ciborum penuria accedent atque adorabunt eum: quibus dabit characterem in dextra manu & fronte, ne quis dextra sua pretiosam illam crucem pingat in fronte. Ex quo tempore nõ poterit vllum signare membrorum suorum, sed adhærebit seductori, eíque seruiet, neque ducetur pœnitudine, sed peribit ille tum quod ad Deum, tũ quod ad homines attinet. Ita seductor ille dabit eis pauca cibaria, idque ob impurum sigillum suum. Sigillum illius tam in fronte quàm dextra manu est calculus, χξϛ. At, vt opinor, neque certò hoc scio, quòd in scriptura quæ est in calculo illo, per multa reperiantur nomina, quæ numerum illum habeant. At dicimus fortasse scripturam illius sigilli esse ἀρνοῦμαι, id est, nego. Nam antea quoque hostis ille nobis aduersarius opera Ministrorũ suorum, hoc est, Idololatrarum, Christi Martyres hortantium, Negato, aiebat, Deum tuum Crucifixum. Tale erit tempore illius tẽpestatis, omnis osoris sigillum dicens. Nego creatorem cœli & terræ, nego baptisma, nego adorationem à me Deo præstari solitam: tibi adhæresco, in te credo. Hoc enim Enoch & Elias Prophetæ denunciabunt: Ne credatis hosti qui venturus est & apparebit. Nempe aduersarius est, corruptor & filius perditionis, seducet vos & interficiet: Et romphæa feriet illos. Attendite fraudem hostis, insidias cognoscite illius dolosi: quemadmodum hominum mentem ob

Consummationis mundi signa.

Sigillum Antichristi, ne quis crucem pingat.

Character iste χξϛ. significat numerum 666. de quo Apocal. 13. in fine fit mẽtio.

tenebrare perpetuò ſtudeat. Dæmones enim ſuos velut ſplendentes Angelos reddet, innumeráſque copias ſpirituum incorporeorum adducet: & coram omnibus in cœlum aſſumi ſe demonſtrabit, cum tubis, ſonis, & clamore valido prædicantium illũ hymnis indicibilibus. Itaque ille tenebrarum hęres, inſtar lucis fulgens, interdum volitans in cœlos, quandóque deſcendens, cum gloria magna ſuper terram, nõ nunquam dæmonibus imperans, velut Angelis ad iuſſa ſua peragẽda cũ timore & tremore multo, cõſeſtim mittet dæmonũ cohortes ad montes, ſpeluncas & cauernas terræ, qui ſcrutentur eos qui ſubduxerũt ſeſe ab oculis eius: & adducent eos ad adorandum illum. Ac ſibi obtemperantes ſigillo ſuo notabit: recuſantes verò imperium ipſius, pœnis incomparabilibus, acerbiſſimiſque tormentis & machinis abſumet: qualia nunquam fuerunt, nec auribus homo percepit, nec oculis mortalium conſpecta ſunt. O beatos, qui tunc tyrannum illum deuicerint. Quippe prioribus Martyribus illuſtriores & ſublimiores declarandi ſunt: propterea quod ſuperiores ſuperarũt, Tyrãnos hi verò Diabolũ ipſũ filiũ perditionis ex pugnarint, ac victoriam reportarint. Quibus igitur encomiis & coronis non ornabuntur à rege Chriſto? Sed reuertamur ad propoſitum. Tunc homines vbi ſigillum acceperint, nec eſcas, nec aquã inuenerit adibunt eum cum voce acerba dicentes: Da nobis quod edamus & bibamus, nam omnes prę fame cũctiſque neceſſitatibus deficimus. Iube cœlum præbere nobis aquam, abige à nobis beſtias homines deuorantes. Tum doloſus ille reſpondens, multa cũ inhumanitate ſubſannabit illos, his verbis. Cœlum negat pluuiam, terra non iterum producit germina ſua: vndénam ego vobis alimenta ſuppeditabo? Auditis his verbis doloſi illius, miſeri tunc intelligent, eum eſſe improbum illum Diabolum. Tunc plangent miſerè, plorabunt vehementer, faciem manibus ſuis contũdent, capillos ſuos euellent, genas vnguibus dilacerabunt, alius alij dicentes. O calamitatem! O acerbam negociationem! O pactum fraudulentum! O caſum ingentem! Quomodo nos impoſtor ſeduxit! Quomodo adhæſimus ei! Quomodo retibus illius, Quomodo verriculo illius impuri cõcluſi ſumus? Quomodo ſcripturas audientes non intelligebamus! Siquidem tunc illigati rebus vitæ, ac deſiderio huius ſæculi, perfacilè adducentur ad Diabolum, & ſignabuntur. At multi qui audient ſcripturas diuinas, eas in manibus habebunt, mente verſabunt, impoſturam illius euitabunt. Clarè enim perſpicient inſidias eius, & impoſturæ arrogantiam: effugientque è manibus eius ad montes, & occultabuntur in cauernis terræ, cum lachrymis & cõtrito corde quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos è laqueis illius, & conſeruabit à moleſtis illius ſcandalis: dexteráque manu ſua, inuiſibili modo protteget eos qui dignè ac iuſtè ei ſupplicabunt. Vides, quali ieiunio quibúsve precibus tunc vtentur ſancti. Simul diſce, quàm durum tempus ac dies orientur illis qui in vrbe agriſque erunt. Accedent ab occidente ad orientem vſque plorantes maiorem in modum, grauitérque plangent. Illuceſcente die nocte expectabunt, vt requieſcant ab operibus ſuis: vbi nox comprehenderit illos, ob crebras terræ conCuſſiones aëriſque tempeſtates, quærent, vt vel aſpiciant lumen diei, & qua ratione poſtea in acerbam mortem deueniant. Tum lugebit vniuerſa terra vitam cruciatuum plenam. Lugebit mare, lugebit aër, lugebit ſol, lugebunt animantes ferę cum volatilibus, lugebunt montes & colles, ac ligna campi propter genus humanum: eo quod omnes defecerint à ſancto Deo, & crediderint impoſtori illi, ſuſcepto charactere impuri illius & hoſtis Dei, loco viuificæ Crucis Saluatoris. Lugebunt etiam Eccleſiæ luctum magnum: quia nec oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes, ſacræ turgurij inſtar erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, Liturgia extinguetur, pſalmorum decantatio ceſſabit, ſcripturarum recitatio non audietur. Sed erunt apud homines tenebræ, lamentatio ſuper lamentationem, væ ſuper væ. Argentum & aurum tunc proiicietur in plateas, nec quiſquam colliget ea: ſed omnia abominationi habebũt. Cuncti enim aufugere conabuntur & abſcondi, nuſquam tamen latere poterunt à malis aduerſarij: ſed notam illius circunferentes facilè cognoſcentur, ac noti eius declarabuntur. Extra timor, intus tremor nocte diéque, tum in platea, tum domi morticina: in plateis & domibus fames ac ſitis, in plateis tumultus, in domibus planctus: Pulchritudo aſpectus faciei tabeſcet, ſient enim formæ eorum tãquam mortuorũ. Venuſtas mulierum exarceſcet, cupiditas omnium hominum euaneſcet. Neque tamen eo tempore miſericors & hominum amans Deus relinquet humanumgenus omni conſolatione deſtitutum: ſed decurtabit dies illos, & tempus trium annorum ſemis conciſum reddet, propter reliquias latitantium in montibus & ſpeluncis: ne phalanx illa ſanctorum illorum omnium deficiat. Sed dies illi celeriter tranſibunt, ſeductoris & Antichriſti regnum citò tolletur. Deinde in ictu oculi præteribit ſpecies mundi huius, hominumque potentia euacuabitur, & cuncta quæ cadunt ſub oculos, delebuntur. Quum igitur, dilecti, futura ſint hæc quæ antè diximus, diuiſaque in duas partes vna hebdomada, & abominatio deſolationis tunc extiterit, & præcurſores Domini curſum ſuum peregerint, mundo denique vniuerſo ad conſummationem properante, quid ſupereſt, niſi aduentus Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij Dei, de cœlis, in quem ſperauimus: qui exuſtione ac iuſtum omne iudicium educet in eos qui non crediderint ei? Ait enim Dominus. Quemadmodũ fulgur exit ab Oriente & apparet vſque ad occidentem, ſic erit etiam aduentus filij hominis. Vbi enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ. Orietur enim ab Oriente ad Occidentem vſque ſignum Crucis ſuperantis ſplendorem Solis, denuncians aduentum & appatitionem iudicis: vt reddat cuique ſecundum opera ſua. Nã de Reſurrectione vniuerſa & de regno ſanctorum loquitur Daniel. Et multi dormientium excitabuntur è puluere terræ, hi in vitã æternam, illi incontumeliam & ignominiam æternã. Eſaias autem dicit, Reſurgent mortui, & excitabuntur qui ſunt in monumentis, ac lætabuntur habitantes in terra. Dominus quoque noſter ait. Multi in illa die audient vocem filij Dei, Et qui audierint, viuent. Tunc enim ſonabit tuba, & excitabit dormientes è profundiſſimis terræ tam iuſtos, quàm peccatores: omniſque natura, lingua, gens, & tribus reſurgent in ictu oculi, & aſtabunt ſuper faciem terræ, expectantes iuſti atque terribilis iudicis aduentum, in timore & tremore inenarrabili. Fluuius enim igneus egrediens cum furore inſtar maris ſæui exuret mõtes &

Martyres ſub Antichriſto paſſi beatiores ãtiquis martyrib.

Finis mũdi

Euchariſtiæ defectus, & Liturgiæ.

Secundus aduentus Chriſti.

Matt. 24.

Dan. 12.

Ioh. 5.

tes & colles, & mare delebit, ac æthera velut coram inflammatione diſſoluet, Stellæ cadent de cœlo, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem: cœlum more libri volutabitur. Exuretur vniuerſa terra, propter opera quæ in ea corruperunt homines in ſcortationibus, adulteriis, mendaciis, immunditiis idololatriis, cædibus ac pugnis. Nam fiet cœlum nouum & terra noua. Tunc ſancti Angeli diſcurrent, congregantes omnes gentes, quos expergefaciet horrenda vox illa tubæ: ſiſtenturque ad tribunal Chriſti, qui fuere quondam reges, principes, pontifices, ſacerdotes, vt adminiſtrationis ſuæ & ouilis reddant rationem: qui videlicet per negligentiam ſuam perdiderunt ouem de grege ſuo. Adducentur eo tempore milites, qui non contenti ſtipendiis ſuis vexarunt viduas, pupillos, & pauperes. Tunc ſiſtentur tributi exactores, qui plus quàm ſit imperatum pauperi eripiunt. Itidem qui probum aurum adulterant, vt damno pauperem afficiant, in agris, in domibus, in Eccleſiis. Tunc exurgent effœminati cum pudore, qui quidem thorum proprium immaculatum non ſeruauerunt: ſed quauis carnis pulchritudine capti, ſua deſideria ſũt ſecuti. Tũc qui dilectioné domini non ſeruarunt, exurgent mœſti ac tetrici: eo quòd Saluatoris mandatum facile contempſerunt, quod præcipit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Tunc qui habuerint libram iniquam, ſtateras, menſuras, modios iniuſtos, gement expectantes iuſtum iudicem. Sed quid plura deſiſtendis addimus? Tunc iuſti fulgebunt vt Sol: peccatores autem triſtes & tetrici apparebunt. Vtrique enim & iuſti & peccatores reſurgent incorruptibiles: iuſti, vt perpetuò ſint in honore ac immortalibus fruãtur deliciis: peccatores: vt per iudicium pœnas luant ſempiternas. Quiſque igitur veſtrum perpẽdat apud ſe, tum bonorum, tum malorum iuſto iudici rationem, reddendam. Nam actiones omnes hominum vnumquemque tam probum quàm improbum circundabunt. Quandoquidem virtutes cœlorum mouebuntur, & omnia timor ac tremor abſument, cœlum, terram, ac ſubterranea & omnis lingua confitebitur eum, & fatebitur eum qui veniet iuſtum iudicium iudicaturum, Deum fortem & conditorem omniũ. Tunc cũ pauore ac ſtupore procedent Angeli, Throni, Poteſtates, Principatus, Dominationes, multis oculis & alis ſex prædita Cherubim ac Seraphim, fortiter clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth omnipotens: plenum eſt cœlum & terra gloria tua. Et reuelabitur Rex regum & Dominus dominantium, ac iudex qui perſonam non accipit, ſed cuique quod iuſtum eſt diſtribuit, in throno terribili & exaltato. Et videbit omnis caro mortalium faciem eius, tum iuſtus, tum peccator: cum timore ac metu ingenti. Tum adducetur filius perditionis, id eſt, Diabolus, cum dæmonibus & miniſtris ſuis, ab Angelis ſeueris ac rigidis: tradenturque igni inextinguibili, verminon dormienti, ac tenebris exterioribus. Videbit enim populus Hebræorum illum in figura humana, quemadmodum illis ex ſancta virgine per carnem apparuit, & ſicuti crucifixerunt eum: ac oſtenderet eis manuum pedúmque clauos, latus ſuum lancea perforatum, caput coronatum ſpinis, ac pretioſam crucem. Denique omnia videbunt Hebræi, & plangent ac plorabunt, quemadmodum Propheta clamat, Videbunt in quem transfixerunt, nemóque feret opem illis, aut miſerebitur eorum: quia non egerunt pœnitentiam, nec auerſi ſunt à via ſua praua. Itaque diſcedent hi in ſupplicium æternum cum dæmonibus & Diabolo. Deinde congregabit omnes gentes, vt clara voce clamat Euangelium. Quid enim ait Matthæus Euangeliſta, immò Dominus ipſe in Euangelio? Quum venerit filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuę: & congregabuntur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, veluti paſtor ſeparat oues ab hœdis, & conſtituet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tum dicet his qui erunt à dextris eius, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Venite Prophetæ, propter nomen meum expulſi. Venite Patriarchæ, qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnumque meum deſideraſtis. Venite Apoſtoli, mearum afflictionum participes, dum inter homines agerem, propter Euangelium. Venite Martyres, qui confeſſi me coram tyrannis tormenta multa atque ſupplicia pertuliſtis. Venite pontifices, qui purè mihi ſacrificium die noctéque obtuliſtis, ac pretioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie. Venite ſancti, qui in montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ exercuiſtis vos, qui per continentiam, preces & virginitatem ſeruiſtis nomini meo. Venite adoleſcentulæ, quæ thalamum meum exoptaſtis, nec præter me ſponſum alium dilexiſtis, quæ per Martyrium & pietatis exercitationem mihi immortali ac incorruptibili ſponſo copulatæ eſtis. Venite, qui dilexiſtis pauperes ac peregrinos. Venite, qui charitatẽ meã ſeruaſtis, ſicut ſũ ego charitas. Venite ſocij pacis ego eẽ ſũ ipſa pax. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratũ vobis regnũ: qui nihili feciſtis diuitias, qui pauperis eſtis miſerti, qui tuliſtis opem pupillis, qui viduis eſtis auxiliati, qui ſitientibus potũ dediſtis qui pauiſtis eſurientes, qui excepiſtis peregrinos, qui nudos induiſtis, qui viſitaſtis infirmos, qui detentos in carcere conſolati eſtis, qui cęcis auxilio fuiſtis, qui ſigillum fidei conſeruaſtis illæſum, qui concurriſtis ad Eccleſias, qui ſcripturas meas audiſtis, qui ſermones meos expetiſtis, qui legem meam noctu diúque ſeruaſtis, qui tanquam ſtrenui milites dura mecum toleraſtis, mihi regi cœleſti placere ſtudentes. Venite hæreditatis iure poſſidere præparatum vobis regnũ à conſtitutione mundi. En regnum meum paratum, eſt. En pater Paradiſus, En immortalitas mea decorata eſt. Venite omnes, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Tunc reſpondebunt iuſti, attoniti magnitudine miraculi, quod is quem ordines Angelorum intueri clarè ac verè non poſſunt, conſolatur eos velut amicos, clamabuntque ad illum, Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus? Domine, quando te vidimus ſitientem, & præbuimus potum? Stupende, quando te vidimus nudum, & operuimus? Immortalis, quando te vidimus peregrinum, & collegimus? Amator hominum, quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

Tu es, qui ſemper eſt. Tu vnà cum Patre cares principio, & coæternus es Spiritu ſancto. Tu es, qui ex nihilo omnia creaſti. Tu es rex Angelorum. Tu es, quẽ tremunt abyſſi. Tu es, qui lumine indueris, vti veſtimento. Tu es, qui nos creaſti ac finxiſti è terra. Tu es qui inuiſibilia condidiſti. A facie tua fugit vniuerſa terra: & quo pacto nos regiam tuam dignitatem

ac dominationẽ excepimus hoſpitio? Tum reſpondebit iterum rex regum, dicens eis. Quatenus feciſtis
Matt 25. vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Quatenus hos, quos antè dixi vobis, excepiſtis, induiſtis, aluiſtis, potu recreaſtis membra mea, pauperes dico, mihi feciſtis. Verùm accedite ad regnum vobis paratum à conſtitutione Mundi, fruamini in ſæculum ſeculi, à Deo patre meo cæleſti, ac per ſancto & viuifico ſpiritu. Ecquod os enarrabit bona illa, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus eũ? Noſtis gaudium perpetuum, noſtis regnum inconcuſſum, noſtis delicias nullum finem bonorum habẽtes. Diſcite quoque acerbam vocem, quam in eos qui ſtabũt à ſiniſtris, eloquetur iuſtus iudex & Deus clemens cum ira & indignatione vehementi. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo & Angelis eius. *Ibidem.* Ipſi vobis hæc comparaſtis, iiſdem vos fruamini. Diſcedite à me maledicti in tenebras exteriores, & in ignem qui non extinguitur, paratum Diabolo & Angelis eius. Ego formaui, & adhæſiſtis alteri. Ego ſum, qui è vulua eduxi vos, & me reieciſtis. Ego ſum, qui iuſſu meo de terra vos formaui, & alij vos adiunxiſtis. Ego ſum, qui vos enutrii, & alteri ſeruiſtis. Ego terram ac mare in alimentum veſtrum & vitæ terminum conſtitui: at vos præceptis meis non paruiſtis. Ego lucem vobis creaui, vt die frueremini: itidem noctem, vt requieſceretis: at vos improbis factis me irritaſtis ac reſpuiſtis, foréſque affectionibus apperuiſtis. Diſcedite à me operarij iniquitatis. Neſcio vos, non agnoſco vos: alterius Domini operarij facti eſtis, hoc eſt, Diaboli. Poſſidete cum ipſo tenebras, atque ignem qui non extinguitur, & vermem qui non dormit, ac ſtridorem dentium. Nam eſuriui, & non dediſtis mihi quod manducarem. Sitiui, & non dediſtis mihi potum. Hoſpes fui, & non collegiſtis me. ægrotaui, & non viſitaſtis me. Aures veſtras condidi, vt audiretis ſcripturas: at vos paraſtis eas ad cantica dæmonum, citharas & ridicula, Oculos veſtros creaui, vt perſpiceretis lumen præceptorum meorum, eáque exequeremini: at vos accerſiſtis ſtupra & impudicitias, & ad reliquam immũditiam ipſos aperuiſtis. Os veſtrum compoſui ad glorificandum & laudandum Deum, & Pſalmos cantionéſque ſpiritales pronunciandas, lectioníſque continuam meditationem: at vos aptaſtis illud ad conuicia, deierationes & blaſphemias, dum ſedentes obtrectatis proximis veſtris. Manus veſtras feci, vt ad preces & obſecrationes extenderetis eas: at vos ad rapinas, cædes & mutuas occiſiones expandiſtis. Pedes veſtros ordinaui vt ambularetis in præparatione Euangelij pacis, tum in Eccleſiis, tum in domibus ſanctorum meorum: at vos docuiſtis currere ad adulteria, ſtupra, ſpectacula, ſaltationes, in ſublime iactationes. Iam ſolutus eſt conuentus publicus, ſpectaculum deſiit mundi huius, præteriit deceptio ac ſpecies illius: mihi adhæreſcite cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Omnes enim qui neglexerint, nec miſericordiam exercuerint hic bene merendo, nihil eis debetur, niſi ignis qui non extinguitur. Humanus enim ſum, at iuſtus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remunerabor, omnibus pro cuiuſque labore mercedem præſtabo, omnibus pro ſuo certamine præmia rependam. *Merces laboris.* Miſereri volo: ſed oleum in vaſis veſtris non video. Miſericordiam exhibere deſidero: ſed tranſegiſtis vitam omnem ſine vlla commiſeratione. Affectu miſericordiæ erga vos commoueri propero: ſed lampades veſtræ caliginoſæ ſunt præ cordis duritia. Diſcedite à me. Iudicium enim fiet ei ſine miſericordia, qui non fecit miſericordiã. Tunc ipſi etiam reſpondebunt horrendo ac perſonas non accipienti iudici: Domine, Quando te vidimus *Iac. 4.* eſurientem aut ſitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Domine, non agnoſcis nos? Tu nos formaſti. tu condidiſti, tu nos è quatuor elementis compoſuiſti, tu ſpiritum & animam inſeruiſti. Tibi credidimus, ſigilli tui participes facti ſumus, baptiſma tuũ accepimus, te cõfitemur Deum, te nouimus creatorem. In te ſigna fecimus, per te dæmonas expulimus propter te carnem macerauimus, propter te virginitatem ſeruauimus, propter te caſtitatem nobis adſciuimus, propter te facti ſumus aduenæ terræ: ais, Neſcio vos: Diſcedite à me. Tum reſpondebit etiam illis, his verbis: Confeſſi eſtis me Dominum, ſed verbis meis non paruiſtis. Signo crucis meæ notati eſtis, *Signum crucis.* ſed hoc animi duritia deleuiſtis. Baptiſma meum recepiſtis: at præcepta mea non ſeruaſtis, at odium fraternum ex animis veſtris non excuſiſtis. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, ſaluabitur: ſed qui facietvoluntatem meam. Et diſcedent hi in ſupplicium æternum: iuſti verò in vitam æternam. Audiſtis dilecti reſponſionem Domini, cognouiſtis ſententiam iudicis, didiciſtis quàm horrendum iudicium & dies & hora nos maneat: de eo ſoliciti cogitemus quotidie: hoc diu noctúque meditemur, in domibus, in plateis, in Eccleſiis: ne in horrendo illo iudicio, in quo nulla eſt perſonarum acceptio, abiecti ac triſtes adſtemus condemnati: ſed cum actione, vita, conuerſatione, confeſſione pura: vt nobis quoque dicat ille miſericors, hominumque amans Deus. Fides tua te ſaluum fecit: vade in pace. Item illud, Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Quod conſequi nobis omnibus contingat gratia beneuolentiáque Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo Patrem eius initio carentem, cum ſacroſancto, bono & viuifico eius Spiritu, nunc & ſemper decet gloria, honor, & adoratio.

PETRI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, ET MARTYRIS, CANONES QVI FERVNTVR IN SERMONE DE pœnitentia.

QVoniam autem quartum Paſcha perſecutionem iam apprehendit, ſatis eſt iis qui delati quidem ſunt, in cuſtodiamque coniecti, tormentáque non ſufferenda, & intolerabilia flagella, & multas aliàs graues neceſſitates ſuſtinuerunt, poſtea autem ſunt à carnis imbecillitate proditi: etiã ſi nõ ab initio ſuſcepti ſunt propter grauem lapſum, conſecutum tamen, quia multũ decer-

tarunt & diu reſtiterunt: non enim ſponte ad ea deuenerunt, ſed à carnis imbecillitate proditi: nam & ſtigmata Ieſu in ſuis corporibus oſtẽtant: & anno iam tertio defleat, eis ab aduentu per reuocationem in memoriam alij quadraginta dies iniungantur, quos cum ieiunaſſet dominus noſter Ieſus Chriſtus, poſtquã baptizatus fuerat, tentatus eſt à diabolo. In quibus & ipſi cum valde exercitati fuerint, & conſtantius ieiunauerint, vigilabunt in orationibus: deinceps meditantes quod dicitur à domino ad eum qui illum tentat, vt ipſum adoret: Abi retro ſatana: ſcriptum eſt enim, Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Balsamonis scholia caute legenda, ut pote hominis schismatici.

BALS. *Præſentes canones tractant de iis qui propriam fidem in perſecutionibus negauerunt, & pœnitentiam egerũt. Et iubet quidem præſens canon, eis qui poſt multa tormenta ſacrificarunt, vt qui propter imbecillitatem ſe fortiter gerere non potuerint, & in pœnitentia tres annos tranſegerint, alios quoque quadraginta dies iniungi, & ſic admitti.*

Can. ij. Iis autem qui poſtquam in cuſtodiam traditi ſunt, & in carcere, tanquam in obſidione, afflictiones grauéſque fœtores paſſi ſunt, poſtea autem ſine bello, tormentorum captiui facti ſunt nimia viriũ inopia & quadam cæcitate confracti, placet annum ad aliud tempus iniungi. Nam ipſi quoque ſe omnino pro lege Chriſti affligendos dedere, ſi etiam à fratribus in carcere multam conſolationem aſſecuti ſunt. Quæ quidem multiplicata reddent, liberari cupientes ab acerbiſſima captiuitate diaboli, eius maxime recordantes qui dicit, Spiritus domini ſuper me, quam ob cauſam vnxit me: vt pauperibus euangelizarem miſit me, & annunciarem captiuis liberationem, & cæcis viſus recuperationem, & mitterem fractos in remiſſionem, prædicarem annum domini acceptabilem, & diem retributionis.

BALS. *Hic canon tractat, vt qui in cuſtodia ſolum male affecti ſunt, & ſine tormentis lapſi ſunt, poſt trienniũ alius quoque anni pœna puniantur. Si forte enim, inquit, conſolationem aſſecuti ſunt, vtpote aliquibus fidelibus ea quæ ad adminiſtrationem pertinebant, ſuppeditantibus, ij quoque debent veniam obtinere, vt qui grauia pro fide paſſi ſunt.*

Can. iij. Iis autem qui nihil eiuſmodi paſſi ſunt, nec fidei fructum oſtenderunt, ſed ad vitium transfugerunt, à metu, & timiditate proditi, nunc autem veniunt ad pœnitentiam, neceſſe eſt, & conueniens infrugiferæ ficus parabolam proponere. Habebat quis ficum plantatam in ſuo vineto: & venit quærens in ea fructum, & non inuenit. Dixit autem vinitori: Ecce tres annos, ex quo ego venio quærens fructum in hac ficu, & non inuenio, excinde eam. Cur terram inaniter occupat? Ille vero reſpondens dicit illi, Domine dimitte illã hoc quoque anno donec circa eam fodero, & lætamẽ iniecero, ſi quidem fructum fecerit: ſin minus eam in futurum excinde, qua ante oculos accepta, & oſtenſo digno fructu pœnitentiæ in tanto temporis interuallo magis iuuabuntur.

BALS. *Eos qui propter ſolum metum, & timiditatem transfugerunt, ad pœnitentiam autem reſpexerunt, triennio punit ea non ſecundum parabolam ficus quæ eſt in euangelis. Dominus enim inquit, Iam tribus annis ad hanc venio quærẽs fructum, & non inuenio. Vinitor autem, Dimitte illam, inquit, & adhuc hoc anno.*

Can. iiij. Iis enim qui ſunt omnino deſperati, & pœnitentiã non agunt, & pellem Æthiopis immutabilem poſſident, & pardi varietates, dicetur, quod alij ficui dictum eſt, Nequaquam ex te fructus fiat in æternum, & ideo ſtatim quoque exareſcit. In eis enim impletur quod ab Eccleſiaſte dictum eſt, quod peruerſum eſt non poterit exornari, & defectus numerari non poterit. A Niſi enim quod peruerſum eſt prius eorum rectum fuerit, fieri non poteſt vt id exornet, & niſi prior defectus expletus fuerit, fieri non poteſt vt id numeretur. vnde & in fine eis eueniet quod à propheta Eſaia dicitur, Et videbuntur, inquit, membra eorum qui tranſgreſſi ſunt in me. Vermis enim ipſorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. & erunt in aſpectum omnis carnis, quandoquidem vt & ab ipſo prædictum eſt. Iniuſti autem ſic fluctuabunt, & requieſcere non poterunt. Non eſt gaudere impiis, dicit dominus.

BALS. *Quæ prius quidem dicta ſunt, de iis qui lapſi ſunt, pœnitẽtiam autem agunt, dicta ſunt. Aduerſus eos autem qui nulla pœnitentia ducuntur, alterius ficus execrationem in-* B *ducit ad quam dominus dicit propter infertilitatem, Fructus amplius ex te non fiat.*

Can. v. Iis autem qui ſimularunt ſicut & Dauid, qui ſe epilepticum fingebat, ne moreretur, quanuis reuera epilepticus non eſſet, & non nude negationem inſcripſerunt, ſed in multis anguſtiis, tãquam pueri conſilio, & prudentia præditi inter pueros inſipiẽtes, inimicorum inſidias ludificati ſunt, vel vt qui altaria peruaſerint, vel tanquã qui chirographum dederint, vel vt qui pro ſe ethnicos immiſerint etiam ſi nõnulli eorum qui confeſſi ſunt, vt audiui, aliquibus eorum ceſſerunt, quoniã maxima cautione vitarunt, ne ipſi ſuis manibus ignem facerent, & dæmonas impuros ſuffirent. Quoniam er- C go propter ignorationem eos id feciſſe nõ cõpertum eſt, eis ſemeſtre imponetur in pœnitentia cõuerſionis. ſic enim ipſi quoque magis iuuabuntur, Prophætæ dictum meditãtes, & dicentes: Puellus, genitus eſt nobis filius, & datus eſt nobis, cuius principatus eſt in humero ſuo, & vocatur nomen eius, Magni conſilij angelus. Qui vt ſcitis in ſexto menſe, conceptionis, cum alius infans prædicaſſet, ante perſonam aduentus eius pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, conceptus eſt & ipſe ad prædicandam pœnitentiã. Etenim vtroſque audimus imprimis prædicantes non ſolum de pœnitentia, ſed & de regno cælorum: quod quidem, vt didicimus, intra nos eſt, quod prope nos ſit verbum quod D credimus in ore noſtro, & corde noſtro, de quo ipſi etiam commoniti diſcent confiteri in ore ſuo quod dominus Ieſus credentes in corde ſuo, quod dominus ipſum ſuſcitauit ex mortuis: vt qui audiant quod corde quidem creditur ad iuſtitiam, ore autem cõfeſſio fit ad ſalutem.

BALS. *Si qui autem ſimularunt ſe ad aras quidem accedere, vel ſcribere quòd fidem negant, non nude autem & aperte hoc fecerunt, ſed arte aliqua eos qui vim afferebant illuſerunt, ſicut Dauid qui ſe epilepſia correptũ ſimulauit cum fugeret Saul, & eſſet apud alienigenas, & ita mortem euaſit. Illuſerunt autem gentium inſidias, vt puelli conſilio prudentiáque præditi pueros inſipientes eludunt. Impios enim fefel-* E *lerunt, quòd ſacrificare quidem viſi ſunt, non tamen ſacrificarunt. Forte enim pro ſe ethnicos vel infideles ſubmiſerunt, & per illos ſacrificare ipſos exiſtimarunt. Eis, inquit, ſemeſtre tempus ſufficiet ad pœnitentiam. Et ſi enim non ſacrificarunt, quia tamen ſacrificare polliciti ſunt, vel alios ſubmiſerunt, etiã ſi nonnullis eorum ceſſerũt quidam qui pro fide teſtimonium dedere. Eos autem pueris quidem confert, vt qui non viriliter idololatris reſtiterunt, prudentibus verò, vt qui artificio ſacrificia declinarunt.*

Can. vi. Ii autem qui ſeruos Chriſtianos pro ſe ſubmiſerunt, ſerui quidem, vt qui ipſi ſub manu eſſent, & quodammodo ipſi quoque in dominorum cuſtodia eſſent, miníſque ab ipſis territi, & propter eorum metum eo cõ-

pulsi, & lapsi anno opera pœnitentiæ ostendent, deinceps discentes, vt serui Christi, facere Christi voluntatem, & eum timere: audiẽtes maximè, quod vnusquisque, si quid boni fecerit, hoc feret à domino siue seruus, siue liber.

BALS. *Seruos qui dominorum iussu ac minis sacrificarũt, anno punit hic pater: vt qui enim domino paruerint ignoscit, & graue supplicium non infligit: vt qui autem sint magis Christi serui, & eum debent magis metuere, mediocrem pœnam imponit. Vnusquisque enim, inquit, secundum magnum Apostolum, quod fecerit bonum, à domino recipiet, siue seruus siue liber.*

Can. vij. Liberi autem tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod dissimulauerint, tum quod effecerint vt serui sacrificarent, vt qui Apostolo non obedierint, qui vult dominos eadem facere quæ serui, remittentes minas, Scientes, inquit, quòd vester quoque ipsorum dominus est in cælis, & non est apud eum personarum acceptio. Si vnum autem omnes habemus dominum: apud quem non est personarum acceptio, quoniam, & omnia, & in omnibus est Christus, in Barbaris, & Scythis, seruis & liberis, debent considerare quod fecerunt, volentes suam ipsorum animam seruare. Qui conseruos nostros traxerunt ad idololatriam, qui poterant & ipsi effugere, si ius, & æqualitatem ipsis præbuissent, vt rursus dicit Apostolus.

BALS. *Liberis autem seu dominis seruorum sacrificare coactorum, triennij pœnam iniungit, quod & sacrificare simularunt, & omnino annuere visi sunt, & quod conseruos sacrificare coëgerunt, & quod apostolo non paruerunt iubenti seruis minas remittere, vtpote cum ipsi quoq; domini Dei serui sint, & famulorum conserui, atque ipsi quidem festinarũt suam seruare animam: conseruos autem suos ad idololatriam compulerunt, qui poterant effugere.*

Can. viij. Iis autem qui proditi sunt, & exciderunt, qui & ipsi ad certamẽ accesserunt, se esse Christianos confitentes & in custodiam cum tormentis coniecti sunt, æquum est in exultatione cordis vires simul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis, & sanguinis, & sermonis adhortatione: vt qui constantius decertauarint, ipsi quoque supernæ vocationis brauio dignẽtur. Etenim septies, inquit, cadet iustus & resurget. Quod quidem si omnes quoque lapsi fecissent, perfectissimam, & toto corde susceptam pœnitentiam ostendissent.

BALS. *Quidam tyrannis delati & proditi fuerant, vel etiam ipsi se ipsos illis tradiderant: victi autem tormentis testimonio exciderunt: deinde cum pœnitentia ducti essent, & quod bonum est agnouissent, se esse Christianos confeßi sunt, adeo vt in custodiam coniecti, tormẽta quoque sustinuerint. Eos ergo æquum censet sanctus lætanti animo suscipere, & ad fidem orthodoxam cõfirmare, & eis in omnibus, communicare in orationibus & sacramentorũ participatione, verbisque adhortari vt sint ad certamen constantiores, & cælesti regno digni habeantur. Ne autem eò quod lapsi sunt, minimè suscipiendi videantur, testimonium quoque ex scriptura inducit, quod est, Septies, id est, sæpe, cadet iustus & resurget. Hoc autem, si etiam inquit omnes, qui à confeßione exciderunt, fecißent, vt scilicet lapsi reluctarentur, & se coram tyrannis Christianos faterentur, perfectißimam pœnitentiam ostendißent. Differũt ergo quæ in hoc canone comprehensa sunt, ab iis quæ in primo canone continentur, quod illic quidem qui propter tormenta lapsi sunt, ad confitendam coram tyrannis fidem nequaquam conuersi sunt: hic autem qui propter tormenta lapsi sunt, ex bona pœnitentia, sub tyrannis dominum confeßi sunt, propterea neque eos cecidiße reputabimus.*

Can. ix. Iis quoque qui tanquam ex somno ipsi ad certamen parturiens, & trahere differens prosiliunt, sibi autem pugnæ maritimæ, & multæ fluxuum inundationis tentationem attrahunt, vel potius fratribus peccatorum carbonem accendunt, ipsis quoque communicandum est, vt qui in nomine Christi ad id veniant: & si verba eius non animaduertant, qui docet non esse ingrediendum in tentationem, & eum rursus in oratione patri dicere, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Forte autem etiam ignorant nostrum patremfamilias & dominum nostrum, sæpe ab iis qui illi insidiari volebant, secessisse: & quandoque etiam libere apud eos non incedebat, & quod etiam quando passionis tempus appropinquauit, non seipsum tradidit: sed expectauit donec ad eum venirent cum gladiis & fustibus. Dicit ergo eis, Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus ad me comprehendendum. Qui etiam tradiderunt ipsum Pilato. Ad eius quoque similitudinem iis accidit, qui eius scopum sibi proponentes incedũt, diuinorum eius verborum recordati, per quæ nos confirmans, de persecutionibus dicit, Attendite vobis ipsis. tradent enim vos in concilia, & in suis synagogis vos flagellabunt. Tradent autem dixit, non, vos ipsos: tradetis: & ad principes, & reges ducemini propter nomen meum, non, vos ipsos ducetis. Nam vos quoque vult à loco in locum transilire, dum sunt qui vos persequuntur propter nomen eius. Sicut eum rursus dicentem audimus, Et quando vos ab hac ciuitate in aliam persecuti fuerint, fugite in aliam. Non enim vult nos ad diaboli stipatores satellitésque confugere, ne ipsis quoque multifariæ mortis causa simus, vt qui ipsos, & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere: sed expectare, & nobis cauere, vigilaréque & orare, ne intremus in tentationem. Ita Stephanus, eius vestigiis insistens, Hierosolymis ab iniquis correptus, & in concilium ductus, lapidibus obrutus, in nomine Christi glorificatus est, rogans, & dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatũ. Ita Iacobus secundus, ab Herode cõprehensus, gladio capite truncatus est. Ita Petrus Apostolorum primus, sæpe comprehensus, & custodię traditus, ignominiáque affectus postremò Romæ crucifixus est. Similiter, & inclitus, Paulus, sæpe traditus, & ad mortem vsque in periculum adductus, & in multis persecutionibus afflictionibúsque gloriatus, in eadem vrbe ipse quoque gladio capite mulctatus est, qui in quibus gloriatus est, ipse in iis vitam finiit, & quòd Damasci in sporta noctu per murum demissus est, & effugit eius manus qui eum conabatur opprimere. Erat enim eis in primis propositum euangelizare, & verbum dei docere: in quibus fratres confirmantes vt manerent in fide, hoc quoque dicebant, quòd per multas afflictiones oportet in regnum cælorum ingredi. Quærebant enim non quod sibi erat vtile, sed quod multis, vt seruarentur, & multa ipsis liceret ad hæc facientia dicere, vt verbo dei conuenienter facerent, Nisi, vt dicit Apostolus, nos tempus narrantes deficeret.

BALS. *Qui è somno modo exurgunt, & maxime si crudo profundóque somno premebantur, non habent constantem rationem, sed perturbatam, & instabilem. His aßimilat sacrosanctus hic martyr eos qui in certamen prosiliunt, seu qui non ordinatè, sed ferociter & inconsideratè se in certamen intrudunt.*

intrudũt, Parturiens, et trahere differẽs, pro eo quod est, quod nondum in apertũ erupit, sed meditatur, et differt, seu cuncta tur trahere eos qui decertant. Maximè autem & aliis fidelibus peccatorum carbones accendunt, à tyrannis scilicet punitiones. Sed & si eos qui sic faciunt reprehendit, iubet tamen fideles eis nihilosecius communicare: quia propter Christum certamen subierunt, & illius doctrinam ignorarunt, qui docet petere ne tentemur, & quod ne se ipsum quidem tradidit, sed traditus est, & non esse ad tortores confugiendum, ne plurium eius cædium causæ sint, vt qui eos incitent ad sumenda de piis supplicia. Infert autem & diuersa sacræ scripturæ exempla Canon.

Canon. 10 Vnde non est æquum, vt vel clerici, qui sua sponte aufugerunt, lapsi autem, & reluctati sunt, amplius in sacro ministerio maneant, vt qui Domini gregem reliquerint, & ipsos vituperauerint: quod nullus fecit ex Apostolis. Etenim cum multas persecutiones obiisset, & multa certaminum premia ostẽdisset beatus Apostolus Paulus, sciens esse longè melius dissolui, & esse cum Christo, infert, & dicit, In carne autem manere, magis necessarium propter vos. Considerans enim non suam, sed multorum vtilitatem magis quàm suam quietem, necessarium existimauit apud fratres manere, & eorum curam gerere. Qui etiam vult eum qui docet esse in doctrina typum seu formam fidelium. Vnde qui in carcere contendentes, à misterio exciderunt, & reluctati sunt, sensus planè sunt expertes. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum in ea tempestate esse possent fratribus suis vtiles? Quandiu itaque firmi stabilésque manserunt, eius quòd præter rationem fecerant eis venia dabatur. Quando autem lapsi sunt, vt qui perperam se gesserint, & se ipsos vituperauerint, non possunt amplius sacra ministeria obire, & ideò magis curam gerant, quomodo in humilitate confessionem peragent à vana gloria cessantes. Eis enim sufficit communio, quæ diligenter & accuratè fit duabus de causis, tum ne videantur molestia affici, hinc dissolutionem vi arripientes: tum ne lapsi aliqui causentur se propter pœnas occasionum fuisse remissos. Qui quidem plusquam omnes probrum & ignominiam habebunt sicut ille qui fundamentum posuit, & non potuit perficere. Incipient enim, inquit, omnes qui prætergredientur eum illudere, dicentes. Hic homo posuit fundamentum, & non potuit perficere.

Cleri sponte fugientes, postea lapsi indigni sacro ministerio

BALS. De iis qui sua sponte ad Martyrij certamen confugiunt locutus pater, nunc de clericis quoque qui sunt einsmodi loquitur, & dicit quod se clericus ad certamen sua sponte profugit, deinde cum non posset ferre tormenta, excidit, & cum rursus ad se rediisset, lapsum suum reuocauit, & se coram tyrannis Christianum confessus est, is non amplius sacra ministeria obibit, eo quod gregem Domini reliquerit, & eo quod cum sua quidem sponte confugerit, & tormenta sufferre non potuerit, sibi ipsi labem & reprehensionem attulit. Vt autem populi doctrinam negligerent, & suam vtilitatem præferrent, nec Apostoli fecerunt. Magnus enim Paulus, post quam multa tormenta subiisset, intelligens multo esse melius vitam relinquere, maluit viuere & torqueri propter salutem & Doctrinam populi. Sensu ergo omnino carent, qui petunt sacrum Ministerium, à quo sua sponte exciderunt. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum poßint in hac tempestate persecutionis scilicet, fratribus esse vtiles? Si itaque non cecidissent, inquit, eius quod præter rationem fecissent, eis daretur venia, spontaneæ scilicet fugæ, vel in fratribus docendis, & confirmandis socordis. Si autem propter suam insolentiam & arrogantiam lapsi sunt (tale enim est se temere tormentis obiicere audere, nec posse tolerare. & propterea de eis triumphus actus est) non poßunt amplius sacra ministeria obire. Quamobrem magis curent quomodo confeßionem in humilitate peragant, cessantes à petenda sacri ministerij vana gloria: sufficit enim eis cum fidelibus communio, quæ fit propter duo, diligenti cautione rectóque consilio. Si enim dixerimus nos eos non habere pro communicantibus, & eos molestia afficiemus tanquam sententiam ferentes, eos, vi seu mutatos, hinc dissolui, seu mori, & alios quoque qui fortesse lapsi sunt & volunt ad quod bonum est redire, remißos ad hoc & negligentes efficiemus, causantes se fidelibus non esse communicaturos, etiam si post lapsum fidem confeßi fuerint: qui si non conuertantur, plus probri & ignominiæ quam omnes susceperint, maiorique dedecore affecti fuerint: quemadmodum & qui fecit fũdamentum, domum autem nõ fecit. Eis enim sunt similes, qui ad tormenta quidem propter Christum confugerunt, & veluti pulchro iacto fundamento, id quod honestum est perficere non potuerunt. Nota ergo, quod ne confeßio quidem propter Christum restituit eum qui semel à clero abalienatus est propter lapsum.

Canon. 11 Qui enim primum in persecutionis feruore prosilierunt iudicium circunstantes, & sanctos martyres, qui ad brauium supernæ vocationis festinabant, aspicientes, honesta æmulatione incitati, se ipsos ad hoc tradiderunt magna libertate vtentes, maximè videntes eos qui subtrahebantur labi, propter quos interius excitati, & quodam veluti sono impulsi ad debellandum se efferentem aduersarium, ad id contendebant, ne apud se prudens esse videretur, ob ea in quibus eius calliditate inferiores esse visi sunt, etiam si se ipsum vinci ab iis, qui se fortiter & constãter gesserunt, qui scuticarum flagellorumque tormẽta, & gladij aciem, & ignis vstulationem, & aquarũ immersiones tolerãter tulerunt, cum latuit. Iis quoque qui vt ex fide preces & orationes fiant persequuntur, vel iis qui in custodia puniti sunt, & à fame, & siti traditi sunt, vel pro iis qui extra custodiã scuticis & flagellis in iudicio torti sunt, postea autem à carnis imbecillitate victi fuere æquum est annuere Cum iis enim qui lugent, & mœrent pro iis qui in certamine victi sunt à magnis maligni diaboli viribus, siue pro parentibus, vel fratribus, vel liberis, vnà dolore, & tristitia affici neminem quidquam penitus lædit. Scimus enim etiam propter aliorum fidem, quosdã esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione. Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cum ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem in corporis afflictione, & mortificatione defleuerint, & se præterea testẽtur, in vita sua fuisse à ciuitate alienos, simul oremus. & postulemus pro eorum reconciliatione cum aliis quæ decet per eum qui est nobis aduocatum apud Patrem, se nostris peccatis propitium exhibentem. Et si quis, inquit, peccauerit, habemus aduocatum apud patrem Iesum Christum iustum: & is est propitiatio pro peccatis nostris.

Fides vni alteri prodest.

BALS. Cum superius dixisset sanctus, quod qui sua sponte confugerunt, & lapsi sunt quidem, pœnitentiam autem non egerunt, nec suum lapsum reuocauerunt, plus dedecoris, & ignominiæ subibunt; vt qui non supra fundamentum certum quoque fabricauerint, seu quod bonum est non perfecerint, nunc huius & reliquorum confirmationem inducit dicens.

Qui enim in persecutionis feruore, seu vehementia stantes, et videntes sanctorum Martyria, & quomodo cælestes coronas diuino zelo accipere contendant, se ipsos dabant Martyrio cũ multa libertate. & maximè quia videbant quosdam subtractos, pro eo quod est seductos & deceptos à Diabolo, & lapsos, seu negantes pietatem. Quamobrem interius accensi seu corde inflammati, vt qui audirent se per hoc debellasse, ac vicisse superbum aduersarium Diabolum, studuerunt subire Martyrium, ne glorietur Diabolus, & sibi prudẽs esse videatur: vt qui calliditate sua & malitia eos vicerit qui sua sponte ad Martyrium confugerunt: etiam si eũ latuit se magis vinci ab athletis qui tormenta fortiter perpeßi sunt. Fidelibus ergo orantibus æquum est pro ipsis supplicio affectis, & punitis annuere, siue in hoc concurrere, quod etiam visum est, & nihil lædit vnà cum parentibus vel aliis necessitudine coniunctis, pro iis qui Testimonium dederunt martyriumque subierunt, sed lapsi sunt diaboli arte, & insidiis, dolore & tristitia affici. Scimus enim quod multi bonitatem & misericordiã Dei consecuti sunt per aliorum orationes. Et ideo & ipsis dari à Deo peccatorum remißionem postulabimus, & aliis qui lapsi sunt, & postea errorem reuocauerunt, & pietatem confeßi sunt communicabimus, memores eorum quæ ante lapsum propter Deum sustinuerunt certaminum, & etiam bona eorum postea pœnitentiæ, & quod seipsos testati sunt esse à ciuitate alienos propter peccatum: & non solum ipsis communicabimus, sed & pro eorum propitiatione orabimus, cum aliis quæ decet, seu cum aliis bonis operibus quæ debent ab ipsis fieri, ieiunio scilicet, eleemosyna, & pœnitentia, per quæ, qui pro nobis est aduocatus, patrem nobis propitium beneuolumque efficis. Deinde & sacræ scripturæ sententia vsus est. Ea verò est ex prima Catholica Epistola sancti Apostoli & Euangelistæ Ioannis.

Orandum pro apostatis & lapsis.

Iis enim qui pecuniam dederunt, ne vt ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim, & iacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alij propter turpe lucrum non fecerunt, quanuis Dominus dicat. Quid enim hominem iuuabit, si vniuersum mundum lucratus fuerit, animæ autem detrimento fuerit affectus: vel eam etiam perdiderit? Et rursus, Non potestis Deo seruire & mammonę. In illis enim apparuerunt qui Deo, seruirent: exosis, conculcatis, contemptísque pecuniis, & in eo cõpleuerunt quod scriptum est, Precium redemptionis animæ hominis, propriæ diuitiæ. Nam in Actibus Apostolorum legimus, eos qui pro Paulo, & Sila Thessalonicæ ad magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquàm enim ipsos propter nomen multùm onerassent, & multitudinem magistratúsque perturbassent, ab Iasone inquit, & reliquis satis datione accepta, eos dimiserũt. Fratres autem noctu protinus Paulum, & Silam miserunt in Berrhoeam.

Matth. 8. Luc. 9. Matt. 6. Act. 17.

BALS. Postquam sanctus de iis qui sua sponte ad Martyrium confugiunt, perfecißet, dicit eos non eße reprehendendos, qui ipsos datis pecuniis à tormentorum afflictione liberarunt. Maluerunt enim suarum pecuniarum quàm suæ animæ iacturam facere. Deinde hoc ipsum confirmat, & affert diuersa scripturæ exempla ex Actibus Apostolorum de Beato Paulo Apostolo, & aliis.

Vnde nec eos qui omnia reliquerunt propter salutem animæ & secesserunt: licet accusare tanquam aliis propter ipsos detentis. Nam & Ephesi pro Paulo Gaium, & Aristarchum in Theatro comprehenderunt vnà cum Paulo peregrinantes, qui volebat ad populum adire: quoniam propter ipsum qui persuaserat, & multam turbam ad Dei cultum traduxerat, seditio facta fuerat, non siuerunt eum, inquit, discipuli. Quin etiam nonnulli, ex Asiaticis magistratibus, qui ei erant amici, miserunt ad eum & suaserunt, ne se Theatro daret. Si quis autẽ cũ iis contendere, perrexerint, qui animum ei adhibent, qui dicit, Seruans serua animam tuam, & ne retro aspexeris. Petrus quoque Apostolorum princeps eis in mentem reuocetur, qui iam in custodiam erat coniectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum seruandum. Qui cum noctu fugisset, & ex Iudæorum manu seruatus esset, iussu Angeli Dominifacto, inquit, die erat non paruus tumultus in militibus. Herodes autem cum eum quæsiuisset, & non inuenisset, interrogatos custodes iussit suffocari, propter quos nulla culpa in Petrum confertur: Licebat enim eis illo viso quod factum fuerat effugere, sicut & omnes infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus, si sciuissent eorum parentes quod erat futurum, qui à crudeli homicida Herode sublati sunt, vt vnus qui ab eo quærebatur infans periret, qui & ipse iussu Angeli Dei effugit, qui celeriter iam cœperat spolia accipere, & acriter præpascere, secundum appellationem nominis quemadmodum scriptum est. Voca nomẽ eius, celeriter spolia, velociter depopulare, eo quod priusquam infans sciat vocare Matrem & patrem, capiat potestatẽ Damasci, & spolia Samarię, corã Rege Assyriorum. Magi ergo vt iam spoliati, infantem humiliter & suppliciter adorant, suos thesauros aperientes, & ei offerentes, maximè opportuna, & magnifica dona, aurum, & thus, & myrrham, vt regi, & Deo, & homini: vnde ad regem Assyrium non amplius reuerti voluerunt à prouidẽtia vetiti. Responso autem, inquit, accepto ne reuerterentur ad Herodem per aliam viã reuersi sunt in regionem suam. Vnde cùm vidisset cruoris sitiens sanguinolentus Herodes, se à magis illusum, valde fuit commotus. Et mittens, inquit, interfecit omnes infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus, à bimatu, & infra, eo tempore quod à Magis diligenter didicerat. Cum quibus & alium prius natum infantem, cum interfecturus quęsiuisset, & nõ inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elizabeth. Vnde nec vllo modo reprehenduntur.

Act. 19. Ibidem. Gen. 19. Act. 12. Matth. 2. Isa. 8. Matth. 2. Matth. 2.

BALS. Si qui autem, inquit, relictis suis facultatibus secesserunt, ne detenti forte in periculum vocentur, vt qui non possent ad finem vsque in confessione persistere, propter tortorum sæuitiam, non culpabuntur, etiamsi alij detenti sunt, & puniti propter ipsos. Et adducit in exemplum eius rei gratia, Caium & Aristarchum, qui pro Paulo detenti fuerunt: milites qui Petrũ seruabant, & infantes qui ab Herode interfecti sunt propter Christũ, & venerabilem sanctũque Præcursorẽ.

Si qui autem vim multam & necessitatem passi sunt, quíque & in ore ferrum, & vincula acceperunt & propter bonam fidei affectionem, suas quoque manus vri fortiter pertulerunt ad Prophanum sacrificium, eis inuitis, adductas, quemadmodum mihi scripserũt ex custodia beatissimi Martyres de iis qui in Libya, & alij etiam in sacris comministri, ij simul testificãtibus reliquis quoque fratribus, possũt esse in sacro ministerio inter cõfessores colocati, vt & qui in

in multis tormentis mortificati, & non amplius potuerint, vel loqui, vel dicere, vel moueri, vt resisterent iis qui vim afferebant. Neque enim eorum improbitati assensi sunt. Quemadmodum ergo à comministris rursus audiui, annumerabitur inter cõfessores, & quicunque secundum Timotheum vitam instituit, parens ei quoque qui dicit, Persequere iustitiam, pietatem, fidem, dilectionem, tolerantiam, lenitatem. Certa Pulchrum certamen fidei. Apprehende vitam cælestem, in quam vocatus es, & confessus coram multis testibus confessionem.

1. Tim. 6.

BALS. Eos qui vi tyrannica visi sunt ex idolothytis carnes comedere, vel ex Græcis libationibus vinum bibere (Forte enim iis in terram deiectis, & in eorum orchamis seu ferramentis iniectis, vt semper aperta essent, tyranni in eorum fauces vinum infundebant, & carnes iniiciebant, vel etiam in eorum manibus carbonibus cum thure impositis sacrificare cogebant) si essent quidem Clerici in eodem quoque rursus gradu esse decernit Canon, vt qui collocati sint cum Confessoribus. Laici autem reputentur vt Martyres, quod ij hæc sua voluntate fecerint, nec actioni omnino assensi sint: quemadmodum inter Confeßores quoque numerabuntur, qui propter tormentorum neceßitatem dißoluta corporis firmitate, non valentes iis resistere, qui in ora eorum vinum ex libaminibus effundebant. Deinceps autem de iis qui conscientiæ Martyrium seu Testimonium peragunt dicit, & illos cum Confessoribus connumerat.

Non reprehendet nos quispiam, quartam & sextam feriam obseruantes in quibus nobis ieiunare secundum traditionem præceptum est. Quartam quidem propter initum à Iudæis consilium de proditione Domini: sextam autem, quòd ipse pro nobis passus sit. Diem enim Dominicum lætitiæ diem agimus, quòd in eo Resurrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

Traditio de Ieiunio. 4. & 6. feriæ.

BALS. Consequenter sexto Canoni Apostolico, qui decernit non eße à nobis ieiunandum diebus dominicis vel sabbatis, præter vnum Sabbatum, magnum scilicet, & lxix. qui valde punit eos, qui sacra Quadragesima non ieiunant, omnique quarta, & sexta feria, præsens quoque decernit.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPIPHANII,

EPISCOPI CONSTANTIÆ VRBIS INSVLÆ CYPRI,

DE LAVDIBVS SANCTÆ MARIÆ DEIPARÆ, SERMO,

Eodem Pico interprete.

EX EIVSDEM EPISTOLA DEDICATORIA, AD R. P.

GVILIELMNM VIALEAVM EPISCOPVM, ET CLERVM Parisiensem.

EX Regia Bibliotheca magno ac peruetusto Græco Codice decerpsi pios aliquot ab antiquis patribus conscriptos sermones en laudem beatißimæ virginis deiparæ. è quorum numero quatuor modò è Græco in Latinum conuertimus. Primum Epiphanij Cypri Salaminæ vrbis Episcopi: qui vixit temporibus summorum virorum Basilij magni, Gregorij Theologi, Ioannis Chrysostomi, ac beati Hieronymi: regnantibus Valente & Gratiano principibus: eius operà nonnulla, præsertim contra octoginta hæreses per Ianum Cornarium Latino sermoni tradita iamdudum prostant impreßa. Duos sermones Hesychij alias Isychij Hierosolymorum presbyteri: qui cum eßet auditor Grægorij Nazianzeni, claruit sub Honorio & Arcadio, circa annum Domini quadringentesimum, scripsit ad beatum Augustinum Epistolam vnam de fine sæculi, quæ inter Epistolas eiusdem Augustini septuagesima nũc a numeratur. Scripsit etiam insignem & omnibus notum commentarium in Leuiticum: in quo testatur se etiam interpretarum eße Ezechielem prophetam & Epistolam ad Hebræos. Quartum sermonem à Chrysippo Hierosolymitanto etiam bresbytero compositum. de quo & si non paucos historiæ Ecclesiasticæ scriptores consului, nihil tamen reperi. Quicunque porrò sit ille, non videtur esse scripturæ sacræ ignarus.

EPIPHANII DE LAVDIBVS SANCTÆ MARIÆ DEIPARAE

SERMO, PICO INTERPRETE

MIser ego sum, qui effulgentes splendores deiparæ radios, terribiles & incomprehensas facultates, cæli & terræ inhabitatæ mysterium, admirandumque propiciatorium verbis consequi tentaui. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ. & altißimæ speculationis Miraculum. Veruntatmen, charissimi, & timor multus & grauis continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, & sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam maximę contemplationis, ac velut incomprehensi mysterij memoria, nempe quæ illud eloqui minimè possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere?

Quale verò os pronunciare, quęve lingua proferet? Nequaquam potest dicere quod latet. Iam verò audebo, dicam de Sola deipara, quatenus assequor, denuò tamen vereor, vt pote qui lingua non sim pręditus idonea, ad ea dicenda quę sunt valde magna: sum enim exili voce, tardáque lingua. & minimè disertus, vt sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta, & deipara Maria Matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua, pertenuẽ em̃ habet vocẽ illius habita ratione, & imminuta est lingua, quę pro dignitate facultatẽ dicendi non habeat. Ita siquidẽ vel cęlorũ virtutes in stuporem conuertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Ar-

changeli, principatus, potestates, Throni, dominationes, Cherubim, ac Seraphim, & Angelorum vniuersus exercitus, timore, tremoréque graui detenti: quia cernebant illum qui habitat in cœlis, per eam versari in terra, & exhorrescebant. Spectabant virginem, cœlum, & Thronum, & formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à Throno Cherubico, in vtero virgineo sedere.

O beata radix, quæ hanc produxit, de hac Esaias Propheta Turturis more gemendo submurmurat ignea lingua exclamans.

Isa.11. Parentes B. Mariæ. *Exurges virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet, & requiescet super eum Spiritus timoris Dei.* De radice Iesse ortus est Rex Dauid & de tribu Regis Dauidis sancta Virgo: sancta inquam, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum eiusmodi germinarunt, sanctam virginem Mariam, Templum simul & Matrem Dei.

Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit Templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur. propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperunt; vt accedentibus precibus talem fructum germinarent sanctam virginem adepti. Ioachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo. Anna verò grauida effecta, cœlum & Thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur esse cœlum, Templum, & Thronus: quia *Mariæ nominis interpretatio.* Mariam interpretari solemus dominam. atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet vniuersum mundum, cui virgo serenitatem & tranquilitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursum itaque præclatæ puellæ Mariæ beatum nomen D interpretatur illustrata, vtpotæ quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit. Sancta enim puella Virgo Maria est sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis plane arcanus, cui Gabriel inquit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* subiunxit Gabriel. Et pa- *Luc.1.* ter misit arrabonem de cœlo Spiritum sanctum, præparauit virginem vnigenito filio cœlesti sponso, quam Pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa est enim sponsa & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus. Virgineum indumentum, iuxta suauem Dauidis Prophetæ cantio- *Psal.18.* nem. *In Sole posuit Tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de Thalamo suo.* E

O sponsi desiderium summæ puritatis, propriam ancillam propensione affectu constituit sponsam & Matrem. Gabriel effectus hospes Virginis, cœli & terræ incensum atque suffimentum vnà copulauit. quam quidem Virginem propheræ clarè descripserunt, dum prædicarunt seriem nuptiarum.

Quomodo Virgo inuenitur esse cœlestis sponsa & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum vnà cum Paradiso? Quærebat igitur virgo conspicere quem desiderabat inquiens. Vbi est spon- sus cuius pulchritudinem exopto? vbi est pulchri- A tudo Solis splendidior? vbi totius formæ gloria ineffabilis? vbi lumen quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro? vbi Sol qui radium exquirit? vbi ipsorum Cherubim cithara? vbi oculus Seraphim nunquam dormiens Christus? vbi Angelorum adoratio quam Gabriel indicauit vbi solus ac solius patris vnigenitus filius, quem virgo exoptans redamat, per quirens salutat? Cui Gabriel, ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gratia plena.* Gratia Sanctæ virginis est immensa. *Aue gra-* *Luc.1.* *tia plena.* multis virtutibus exornata Virgo, in lampade, gestans lucem inextinguibilem, Sole splendiorem. *Aue gratia plena,* hami esca spiritalis in te B siquidem hamus diuinitas. *Aue gratia pleua,* gloriæ spiritalis. *Aue gratia plena,* quæ es vrna aurea ontinens manna cœleste. *Aue gratia plena,* quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias.

Aue gratia plena, mare spiritale habens gemmam cœlestem Christum. *Aue gratia plena,* splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum contines Deum. *Aue gratia plena,* quæ Cherubicum Thronum diuinitatis fulgore superas. *Aue gratia plena,* quę cœli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimum loco in te ipsa contines. *Aue gratia plena,* nubes columnę similis, quę Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid di- C co? & quid proloquar? quo pacto beatam prędicabo glorię radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis: natura formosior es ipsis Cherubim. Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prędicandę cœlestis ac terrena lingua minimè sufficit, immò vero nec Angelorum. Et enim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lętabantur verò Angeli tanquam ipsi duntaxat Deũ haberent, quibus sanctissima virgo superior nata, Deum habitantem in cœlis concepit in terra. vt hac ratione exercitus Angelorum traherer in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est cœli & D terrę mediatrix, quę vnionem naturaliter peregit.

O beata virgo, columba pura, & sponsa cælestis Maria, cœlum, Templum, & Thronus diuinitatis, quę coruscantem in cœlo & terra Solem habes Christum. nubes lucida, quę fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cœlestis, quę Tonitruum Spiritus Sancti in se ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem spiritus sancti in vniuersam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit.

Aue gratia plena, porta cœlorum, de qua Propheta vociferatus est, his verbis.

Ezec.44. *Ecce porta clausa, & nullus ingredietur per eam. nec egredietur, præter quam Dominus Deus solus, & erit porta clausa duci. quia dixit ipse vocabitur, & in ipsum sperabunt omnes gentes.* E

De hac porta etiam in canticis Propheta in discursu orationis planè & apertè proloquitur inclamans. *Cant. 4.* *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Mansit in virginitate sancta & prędara puella Maria, quę est nubes lucida habens intus Deum Verbum: ad quam vocalissimus Esaias. *Ecce nubes le-* *Isa.19.* *uis, & veniet in Aegyptum mons nullatenus incisus, prærup- tam habens petram Christũ.* de qua sapientissimus Daniel *Dan.2.* ait, *Absciſus est lapis de mõte sine manibus,* hoc est absque virò solidam Petram christum virgo peperit, ipsa tẽplum

plum minime compositum, quæ lapidem cælestem habet Christum, ipsa nubes tonitrui formis, A quæ fulgur interius in vterogestat: sermonique meo attestatur diuina scriptura, dum ait, *Veniter tuus ace-* *Can.7.* *rus frumenti vallatus in liliis.* Ipsa est ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti suscipiens etiam manipulum germinauit. Ipsa clibanus intel- *Io.12.* lectualis, quæ ignem & vitæ panem habebat. Ipsa est sancta mater Saluatoris, quę Verbum patris ex te incarnatum peperisti, Ad quam Esaias. *Ecce Virgo in* *Psal.7.* *vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel.* O virgo pura, sancta mater Domini, beata sponsa Trinitatis indiuiduę. beata tu inter mulieres, quæ Deum & hominem omnium creatorem velut infantem in terra peperisti. beata tu inter mulieres, B quæ sola in terra Deum cœlestem concepisti. beata tu inter mulieres, cuius vbera suxit is qui alit vniuersa. Sancta Maria virgo deipara beata tu inter mulieres, quæ nunc genuisti eum qui olim in Paradiso formauit Adam è luto. Tu enim es deipara, quæ verbum ex te incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ Deum verbum in forma serui concepisti. Deipara existis, quia Deum verbum suscipiens incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filium genuisti, non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum: sed æternum, qui ante te est, & ante omnia. Ouis immaculata, quæ peperit agnum Christum. Iuuenca nunquam iugum ex- C perta, quę vitulum genuit. Fidei mensa intellectualis quæ panem vitæ mundo suppeditauit. Quid dicam? & quibus verbis explicabo gloriam radicitus funda tam? De hac sancta puella, semper inquam puella & virgine, Deus per Prophetam ait, *Ex te mihi exi-* *Miche. 5.* *bit dux qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio* *1. Matt. 2.* *à diebus æternitatis: propterea dabit eos Vsque ad tempus parientis, pariet, & reliqui filiorum eius conuertentur ad filios Israel, Astabit, & videbit, & pascet ouile suum in potentia Dominus.* O virgo sancta lucis æternæ mater, lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim in com prehensum oculum: lucis, quæ illuminat solem splẽ D didis facibus. lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati. lucis, quæ dixit. *Ego sum lux mun-* *Io.8.* *di*: lucis, quæ dixit. *Ego lux in mundum veni.* lucis, quæ assumpta est, & illuminauit cuncta quæ sunt in cœlis & in terra. O virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est Miraculum in cœlis, mulier amicta Sole. stupendum Miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in vlnis, stupendum Miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum Miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater. Stupendum Miraculum in cœlis, thalamus virginis habens filium Dei, Deum sponsum Chri- E stum. Stupendum Miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, infans virginis effectus est. O sanctissima virgo mater Saluatoris, quæ genuisti principio carens Verbum, filium scilicet eundem cum Patre habentem thronum, consubstantialem patri, & spiritui sancto, qui cum Patre & Spiritu sancto est ante sæcula, qui concamerauit cœlos, & terram condidit. Aue sanctissima virgo, quæ velut rubus intellectualis absque combustione diuinitatis ignem *Saluator* tenes. Clibanus intellectualis, qui ignem & pa- *Virginem* nem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo

salvator mundi Christus ait. *Accipite, comedite, hoc est* A *corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Locuples est, charissimi, virtutibus plena *Matt.26.* mensa virginea, optimis quibuscunque cibis abun- *Mar. 14.* dans, quibus terra fruatur. Largita est sancta virgo *Luc.22.* & mater Christi, quæ splendidam lucernam relucentem in cœlo & terra Christum gestauit, ad quam Propheta Zacharias, *Ecce candelabrum aureum, & fa-* *Zach.4.* *cula super ipsum.* Quinetiam Dauid canticum hoc sua *Psal.118.* uissimum inclamat, *Lucerna pedibus meis verbum tuum* *& lumen semitis meis.*

O candelabrum virgineum, quod illustrauit tenebris inuolutos. O candelabrum virgineum repellens tenebras, & lucem splendere faciens. O candelabrum virgineum, quod ignem & oleum in- B separabile ad illuminandum intulit. O candelabrum virgineum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem, vnum inextinguibilem, consubstantialem, & ad illustrandam terram resplenduit. O candelabrum virgineum, de quo per Prophetam Deus inquit, *Illuc producam cornu Dauid, para-* *Psal.131.* *ui lucernam christo meo.* Corona regia pretiosissimum habens lapidem & gemmis similem Christũ, Purpura regia, quæ cœli terræque regem induit, vniuersale corporis indumentum purpuram referens, constantissima Christianorum fides: liber incomprehensus, quæ Verbum & filium patris mundo legendum exhibuisti. Beata inter mulieres, quæ Verbum ex te incarnatum peperisti, Verbum inquam patris, filium verbum, ante, sęcula Deum, verbum initio carens & æternum, verbum cum Patre & Spiritu sancto vnitum, verbum eundem cum patre habens thronum, verbum sedens super Cherubim, verbum quod glorificant animalia quadruplicem faciem habentia, verbum quod creauit Angelos, verbum quod fecit vt principatus & potestates essent, verbum quod extendit cœlos, & terram condidit, verbum verum Deum ipsum Christum Dominum nostrum, quem sanctissima virgo peperisti, & denuo post partum virgo, quæ gemmam pro- D duxisti, & coronam regiam plexuisti. O beata virgo, quæ gloriam cœlestem portasti, & ex multis floribus Paradisi mundum odore bono replesti. Virgo est lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum: vitis veritatis fertilissima, & quod ad virginitatem minimè vindemiata, quæ licet non fossa, vuarum tamen feracissima, nempe quę maturam vuam germinauit Christum. Quamobrem sanctissima virgo fac nobis fidem, qua ratione germinaueris, quo pacto suscipiẽs verbum, quod est ante sęcula, mater Dei visa sis super terram. Ego virgo incorrupta, quę in vtero gestaui, effecta sum Templum impollutum habitantis in me verbi Dei nuptiarum expertis.

Emanuelem gestaui in vtero incorrupto, in ventre impolluto, similis effecta throno cherubico: in qua caro factum est verbum Patris, qui Deus est initio carens: & licet inuisibilis, spectabilis tamen per dispensationem assumptę carnis factus est. Non experta nec cognoscens virum, peperi Deum, qui est ante sęcula, ipsum Christum, Nam etiam nunc *Virgo post* sum Virgo post partum, purior (si dicere licet) *partum.* quàm antea: sine labore perperi, non vt omnes mulieres, dissimiles enim fuerunt res meę ac illarum inter pariendum. Non nouit natura humana partum

meum, excepto ſolo Deo qui in me habitauit. O virginem, ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens Myſterium. Virginem appellat vel lut ſacerdotem pariter & altare quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cœleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum. O vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti. O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti. O vterum, qui cœlum es ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtis. O vterum ſeptem cœlis ſublimiorem atque latiorem. O vterum, qui es octauum cœlum, ſeptem firmamentis celſiorem. O vterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ. Quid dicam, aut quid loquar de præclara & ſancta virgine? Deſiderium me trahit vt de Deipara verba faciã, & formido me retinet in ſilentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iſte vero me abſtrahit. Cùm ergo ab vtroque diſtinear, expedit mihi vt ſermonem habeam de percelebri & ſancta virgine. Dico enim illam eſſe cælum, thronum, ſimul & crucẽ: extendens enim ſanctas vlnas Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cœleſtis: de qua per ſcripturas in cœlos incumbo, & conſpicio illam ab Angelis adorari. hinc Gabriel in primis ſalutat virginem. *Aue gratia plena*, quæ es ſplendidum cœlum. *Aue gratia plena*, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem, vt pote ſolem Chriſtũ. Virgo plurium nominum & multocula, effecta eſt. Seraphim incomprehenſæ viſionis: quæ inuenta eſt velamentum quoddam intellectuale corporis vniuerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim auertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem diuinitatis, fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem & ſomni expertem oculũ Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti) procidentes nec videre poſſunt nec contingere, hæc verò labra labris coniungens, incomprehenſum ſalutabat. O virgo incomprehenſi Myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti.

D. Virginis mariæ encomia.

Virgo Maria ab Angelis adoratur.

Luc. 2.

Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & mater. Sancta mater immaculata, quæ genuiſti Chriſtum, qui eſt ante te, & dixit, *Prius quam Abraham fieret ego ſum.* quæ ſtabulum gloria exornaſti, & præſepe illuſtraſti. Virgo ſiquidem ſpelũca & præſepe, cœli circulum præſe ferentes, Deum incomprehenſum geſtabant vt pote tres Trinitati apertè miniſtrantes quando virgo in ſpelũca citra laborem prægnans, cœli & terræ Dominum depoſuit in præſepio, tunc etiam ordines Angelorum circunſtabant virginem cum clamore dicentes.

Ioh. 8.

Luc. 2. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Quapropter etiam paſtores qui ruri pernoctabant, huiuſmodi glorificationem Angelorum audierunt de Saluatore, & celeri curſu properantes, lucem adorauerunt, ſpectantes Miraculum inſolens: ancillam Domini & virginem in terra verſantem, euaſiſſe ſponſam cœleſtem. Ipſa enim & ſponſa, & thalamus, & Dei mater viſa eſt in ſtabulo, quando peperit infantem Chriſtum. Iuxta propheticam Eſaiæ vocem, nempe.

A *Puer natus eſt nobis & filius datus eſt nobis: cuius imperium ſuper humerum eius, & vocatur nomen eius magni conſilij Angelus, Deus fortis, poteſtate pollens, princeps pacis, pater futuri ſæculi.* Tum poſt hæc & Magi à partibus Orientis, à ſtella ſplendida illuſtrati & deducti, peracta itineris ab Oriente longitudine, venerunt Bethleem ad adorandum partum. vnde cùm ad ciuitatem Hieruſalem perueniſſent, occultari cœpit ſtella: illi verò tumultuantes, eo quod viæ ducem perdidiſſent, neceſſitate cogente interrogabant incolas ciuitatis, & ſciſcitabantur ab eis Vbi natus eſſet Chriſtus, quod quidem Miraculum inauditum omnes exiſtimabant. De quò cùm audiſſet Herodes, turbabatur vehementer, & vocatis ſacerdotibus, percontabatur eos, vbi Chriſtus naſceretur. Illi autem dixerunt, & non negauerunt: confeſſi ſunt, & non ſunt mentiti. Solis radios abſcondere non poterant, vocem ſcilicet per Prophetam de ſaluatore clarè pronunciatam, teſtatò dixerunt, in Bethleem naſci Chriſtum. hunc enim in modum per prophetam clamat. *Et tu Bethlehem nequaquam es minima in principibus Iudæ: ex te enim exi dux qui ſit dominator in Iſrael.* O infidelem Iſraelem, confeſſus eſt legis effectum, & legiſlatorem denegauit. teſtificati ſunt ipſi vbi naſceretur Chriſtus, & hi rurſus Chriſtum natum abnegarunt.

Isa 9.

Matth. 2.

Mich. 5.

Matth. 2.

B

C Cur igitur Magi, quorum vis animi propria immutata erat, quorum cor admodũ turbabatur & extinguebatur præ dolore: quorum ſuſpiria fluctuum violentorum inſtar nauem ſubmergebant: quorum oculi, lachrymis gemmas præ ſe ferentibus, terram irrigabant: quorum afflictio intolerabilis erat, ductorem ab Oriente requirentes, quem non habebant, habentes quæritabant, vbi eſſet Magorum dux ſtella. At verò perpende veritatem, quóniam pacto occultatur eis ſtella, & intuere Miraculum, & eius ſignificationem, hac de cauſa abſconditur eis ſtella, vt dum percontarentur incredulos ſacerdotes, manifeſtum redderetur omnibus cœli & terræ Myſterium. quapropter vbi cognouerunt omnes, rurſum apparet ſtella Magis, donec veniſſet ſupra infantem in ſtabulo, vel potius in cœlo. (Vbi enim Chriſtus, ibi & cælum) Nam ſtabulum viſum eſt eſſe cælum in terra. Illi verò cum vidiſſent ſtellam, immo potius Saluatorem, gauiſi ſunt gaudio magno, & incuruantes ſe adorauerunt. obtuleruntque dona, aurum, thus, & myrrham, aurum quidem velut regithus autem tanquam Deo, & myrrham tanquam mortali, vel potius vt iudicarent ſepulturam creatoris & opificis omnium Chriſti, quam peperit ſponſa cœleſtis Maria, quæ eſt cœlum, templum, & thronus diuinitatis, inexplicabile Paradiſi monile. Angeli accuſabant Euam, nunc verò Mariam gloria proſequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Euam erexit, & Adamum è Paradiſo deiectum in cœlos miſit: quæ Paradiſum clauſum apperuit, & per Latronem rurſum Adamum complantauit. Per te enim, ô ſancta virgo, medius obſtructionis paries inimicitias diſſoluit, per te pax cœleſtis donata eſt Mundo, per te homines facti ſunt Angeli, per te homines appellati ſunt amici, ſerui, & filij Dei per te homines meruerunt eſſe conſerui Angelorum, & cum eis familiariter conuerſari, per te notitia cœleſtis,

D

E

ſtis, à terra tranſmittitur in cœlos: per te homines fiduciam habẽt in cœlo erga altiſſimum: per te Crux reſplenduit per vniuerſam terram, in qua quidẽ Cruce pependit filius tuus Chriſtus Deus noſter: per te mors cõculcatur, & ſpoliatur te Infernus: per te reciderunt idola, & excitata eſt notitia cœleſtis: per tẽ cognouimus vnigenitum filium Dei, quem ſanctiſſima Virgo peperiſti, dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, quem omnes Angeli atque homines adorantes, dicimus principio carentem Patrem, carentem principio Filium, & principio carentem Spiritũ ſanctum, Trinitatem indiuiduam & conſubſtantialem glorificantes in ſecula ſeculorum, Amen.

A

HESYCHII PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI DE SANCTA MARIA deipara, Homelia Eodem Pico interprete.

Sanctorũ dies feſti celebrãdi.

OMNIS profectò memoria iuſtorum totis votis eſt celebranda, & omnis ſolennitas amicorum Dei, glorioſa. Cũcti enim religionis ergô fortiter fecerũt, cuncti pro Confeſſione vera ſuſceperunt labores: cuncti, vt coronas veritatis conſequerentur, veluti numine diuino ducti, periculis ſeſe obiecerũt. Hic autem dies feſtus qui nũc agitur, omnem gloriam ſuperat, vt pote qui contineat ſolennitatem Virginis quæ vſque adeò omnibus antecellit, vt ipſum Deum Verbum volentem ſuſceperit, quem ipſa citra vllam loci anguſtiam comprehendit. Ad quam ante omnia Gabriel Archangelus primus exclamauit, *Aue gratia plena, Dominus tecũ: Ecce enim concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Emanuel.* Fauſta Gabrielis nuntia, fuerunt illi mox initium lætitiæ. Cùm enim prima Virgo * concluderetur moleſtijs per ſententiam condemnatoriam ob tranſgreſſionem inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent, omniſque mulier, illius cauſa, in dolore eſſet conſtituta, & partus omnis propter eam acerbitatem pateretur: ſecunda Virgo ex denominatione etiã Angelica miſeriam omnem fœminei ſexus repulit, omnẽque triſtitiæ fontem qui inter pariendum adeſſe ſolet, obſtruxit: & nubem deſperationis, qua premũtur mulieres in partu, diſſipauit: & lumina lætitiæ apud cõtribules coruſcare fecit. Dum audiret itaque à Gabriele, *Aue gratia plena, Dominus tecum*, non excepit ſalutationem tranquillo animo, ſed cùm talem vocem exaudiſſet, & Gabrielem Archangelum intuita domi ex inſperato, & ob vocem de pariendo, cogitatione perturbata eſſet, tales quaſdam (vt veriſimile eſt) abiiciebat Gabrielis locutiones: omnia, inquiẽs, præter opinionem, & peregrina video in te hodie. Et iſtud: Quo pacto auſus es temere accedere ad Virginem non deſponſatam, & incredibilia verba prædicare? Ais enim me pariturum puerum abſque ſemine, concepturam dixiſti nullis nuptiis interuenientibus: loculum vteri abſque vlla cum viro cohabitatione & conuerſatione editurum fructum. Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum naturæ peritus, antea agrum incultum produxiſſe ſpicam, aut terram non plantatam germinaſſe vuam, vinũ ſine vite, aut fluuium abſque fonte prodeuntem? Quod quidem nemo ex primis ſeculis audiuit auribus, aut oculis conſpexit accidiſſe. Qua ratione tibi fidem habebo me ſuggilanti? Quid ergo Gabriel ei hæſitanti reſpondit? Dixi quod didici, quod audiui loquor. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* tanquam is ſit à quo, & velut is ad quem omnis creatura, tanquam creator & opifex omnium, tanquam ſeculorum Pater, tanquam ſeculi parens, tanquam omnium conditor, tanquam cœlis antiquior, tanquam Angelorum opifex, & humanitatis formator: tanquam denique eorum, qui alioqui perituri eſſent, Saluator: præter hæc nihil poſſum denunciare. Non enim ô Virgo, mãdatum habeo, vt per ſingula dicam, Quo pacto: ſed vt earum rerum miniſter ſim, quæ faciunt ad ſaluſtum erga te nuntium. Admirare igitur mecum myſterium, & bona nuntia abſque dubitatione excipe. Illa verò ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Nos igitur natiuitatem dominicam edocti Archangelicis ſermonibus Gabrielis, incedamus à tergo ſemitis eius. Ego, quemadmodum ille, vim partus citra diſquiſitionem curioſam, diuinam aguſco & cenſeo: didicimus à Magis, imò verò inſtructi ſumus, vt eam rem religioſè colamus, qui quidem inquirentes infantem ſtella duce, non dixerunt his quos interrogabant, quomodo ſit conceptio diuina, quomodo vterus ſine ſemine, quomodo partus incorruptus, quomodo mater poſt partum eſt Virgo, quomodo ſubiicitur annis, qui prior illis eſt: quomodo eſt in tempore, qui eſt ante ſecula: quomodo natura vteri comprehendere potuit eum, qui eſt incomprehenſus: quomodo is qui eſt incorporeus, ſine cõuerſione factus eſt caro. quomodo Deus verbum ſeipſum exinaniens in vtero virgineo, cùm eſſet inſignis & glorioſus, inſtar ſerui, modo indicibili ex eo incarnatus eſt. quomodo id quod eſt perfectum, infans eſſe poteſt: quomodo lac ſugit is qui nutrit. quomodo is qui tegit, & complectitur vniuerſa continetur in vlnis: quomodo pater futuri ſeculi ſit infans. quomodo ſurſum & deorſum eſt. quomodo is qui eſt in cœlis, eſt etiam in terra. quomodo pannis inuoluitur, qui Auriga eſt Cherubicorum curruum. quomodo iacet in præſepio, qui eſt in ſinu patris. quomodo faſciis continetur, qui educit vinctos in fortitudine: & cuncta alia quæ vel referre horreſcimus. Sed cùm taciturni perueniſſent ad ſtabulum, vbi inquiſierunt, decentem cultum exhibuerunt Regi & Deo cum muneribus, cupientes cum gaudio reuerti in ſuam Regionem, qui declarati ſunt erga gentes eſſe primitiæ cognitionis diuinæ: quos gentes quidem æmulatæ ſunt, Iudæi autem inflexibiles, vel potius obdurata ceruice, eos qui miniſterio ſtellæ è longinquis regionibus erant adducti, neglexerũt imitari, vt cognoſcere poſſent Solem iuſtitiæ in propriis eorum locis apparentem. Ego verò chariſſimi, animaduertens veſtram animi prõptitudinem ad audienda eloquia diuina, & intimum amorem erga illorum interpretes, veſtro audiendi ſtudio victus, excitor ad docendi deſiderium, congratulatione charitatis veſtræ delectatus. Vos enim continenter cum plauſu excipitis eos qui ſermonem habent, perinde ac diſcipuli, multarum rerum enarratores: vos velut vectores, gubernatorem ipſi comparatis: vos gubernacula linguæ, precibus continetis. Quis zelum veſtrum pro dignitate poterit enarrare? quis verbis explicabit veſtrum aduerſus græcos infideles odiũ? quis contra hæreticos veſtram pate-

B

C

D

E

Luc. 1.

Virgine dicit, quaſi viraginem, intelligens Euam. Gen. 3.

Luc. 1.

Luc. 1. *Mat. 2.*

Phil. 2.

Ioan. 1. *Pſal. 67.*

faciet animosam fiduciã? quis vestras in Iudæos inimitias cõmemorare poterit? execrãdi eñ cũ reliquis revera sunt Iudæi, qui nihil aliud perpetuo esuriũt & sitiunt nisi cædes innocentium, nulla re magis oblectati quàm vt Prophetas in foueas proiiciant, in terram protrahant, lapident iustos, gladios exerant in in religionis præcones, serris in frusta concidant, partes manuum ac pedum piorum virorum amputent, & cruentis manibus teneant instrumenta ad supplicium idonea, continua iustorum interfectione palmas sanguine perfundant: qui quidem aduersus Saluatorem nostrum tantam & tam impiam effutierunt audaciam, vt impudenter eo præsente exclamarent in illum, *Nos scimus quòd Moysi locutus est*
Ioan. 9. *Deus, hunc autem nescimus vnde sit.* O res audacter gestas. O odium in Iudæos, quod me declinare non sinit. Quoties enim abominationem eorum effugere desidero, toties palam mihi occurrunt, vel Prophetarum verba calumniãtes, aut in syllabas legis contumeliosi, aut libros adorandorum Euangeliorum perturbantes, ita vt chartæ diuinæ nouam suspicionem nobis ingesserint, ipsos impudentes voces obiecisse in dominum omnium, & audacter dixisse quæ audistis, *Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.* O manifestam imprudentiam. O ægritudinem linguæ latronum detectam. O cæcam sermonum contrarietatem. Nam cùm Herodes percunctaretur
Mat. 2. eos, *vbi Christus nasceretur*, cum fiducia dicebant, in Bethleem Iudæ. & ostendebant conclusionem Prophetiæ adducentes sacrarum rerum interpretem testificantem his verbis, *Propheta magnus excitatus est in Israel.* Nunc autem velata facie clamant, *Moysi locutus*
Luc. 7. *est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.* Haud dubiè non cognouerunt neque intellexerunt, in tenebris am-
Ioan. 9. bulant. Verè populus iste stultus & minimè sapiens. vnde merito Christus exclamat in eos, *Cecinimus vo-*
Psal. 81. *bis, & non saltastis. Lamentati sumus vobis, & non planxistis.* Quis contra eos ex aduerso stabit ad impugnan-
Mat. 11. dam tam iniquam sententiam? Quis arguet contentiosas eorum inimicitias? Tot apud eos Christus mi-
Mat. 11. raculósas operationes circunquaque exhibuit, corroborans paralyticos, mundans leprosos, male habentes sanans, curans vexatos à dæmonio, aperiens
Ioan. 2. palpebras oculorum, mortuos illorum excitans è sepulchris, aquam in vinum mutans, & alia præstãs infinita, quæ laboriosum esset recensere. Et tamen nusquam apud eos est vel tantillum fidei. Esto, non credis nobis, ô Iudæe, lege sacros Antistites, euolue libros qui sunt apud te: neque velis leuiter detestari sanctos, Petrum aut Paulum Euangelistas. Audi saltem vel Moysem quid præscripserit in lege. *Prophe-*
Deut. 18. *tam suscitabit dominus Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis.* Intuere quid Esaias prophetans inclamet, *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, &*
Esa. 7. *vocabunt nomen eius Emmanuel.* Audi Hieremiã vociferantem ingentia, *Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter eum & descendam,* inquit. *post hæc in terris vi-*
Baruch. 3 *sus est, & cum hominibus conuersatus est.* Vide rursum quid innuat Zacharias. *Ecce vir, nomen ei Sol iustitię, &*
Malac. 4. *sanitas in pennis eius.* Et mulier quæ fluxu sanguinis la-
Mat. 9. borans multos post annos sanata est, vnà cum aliis
Mar. 6. sermonem confirmauit, & sigillo notauit, solo fim-
Luc. 8. briæ tactu recipiens sanitatem. Quid? lege studiose Ezechielem, & virum desideriorum, quo pacto ille quidem dicebat, *Hæc est porta Domini, & ingredietur*
Ezec. 44. *Dominus per eam & egredietur, & erit porta clausa.* Daniel autem inquit, *Et ecce in nubibus cæli velut filius hominis veniens.* *Dan. 10.* Adsta ipsi Iacob, & disce quid dicat in benedictionibus emittendis: *Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat qui repositus est,* *Gen. 49.* *& ipse expectatio gentium.* Pulsa citharam sancti Spiritus, & perspice quid Dauid accuratè decantauerit, *Psal. 86.* Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Virgo enim est mater, & post partum permãsit sigillum virginitatis. quod natura indidit, incõcussum custodiẽs. Rursum inspice quid ait Dauid, *Orietur in diebus eius iustitia, & deinde dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsq; ad terminos terræ.* *Psal. 71.* Num quis præceptorum nostrorum hæc pronũciauit? Nam quis discipulorum Saluatoris in tabulis aut chartis talia circunscripsit? Nonne quicunque de eo antea prædicarunt, ij erant filij circuncisionis, qui hæc præcinebãt? His forte non tibi libet credere. Reuerere dæmones exclamãtes his verbis, *Quid nobis & tibi fili dei viuetis?* Reuerere angelorum, hominum, dæmonum, ac simul vniuersæ creaturæ confessionem de Christo domino. Sin etiam *Mat. 8.* hæc auersaris, excipe testatricem Patris vocem, illius gratia è superis instar tonitrui resonantem, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Ipsi gloria in *Mat. 17.* secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM.

AVE proculdubio omnis grati animi lingua salutat Virginem, & deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum Principem imitatur. Itaque hic quidem dicit ei, *Aue*: ille verò acclamat, *Dominus ex te*, eo quòd Dominus editus assumpta carne apparuerit humano generi. *Luc. 1. Dixit ex te, seruiens instituto.* Iste cognominat eam, Matrem lucis. Ille, Stellam vitæ. alius. Dei thronum appellat. alius, Tẽplum maius Cœlo. alius, Cathedram nõ inferiorem cathedra cherubica. alius item, Hortum non seminatum, fertilem, incultum, vitem vuarum feracem, valde florentem, intactam: turturem mundam, columbam impollutam, nubem pluuias incorruptas continentem, specimen cuius gemma Sole splendidior, fodinam vnde prodit lapis totam terram tegens, à nullo incisus: nauem mercibus refertam, nulloque egentem gubernatore: thesaurum locupletãtem. *Cantic. 5. Incultum dicit, quia præter humanam cohabitationem. Dan. 2.* Alij similiter, Lucernam oris expertem, quæ à se ipsa iugiter ardeat. Arcam arca Noë latiorem, longiorem, illustriorem. Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium Animalium, ista verò vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noë, hæc verò ipsius Noë factorem portauit: illa duas & tres contignationes & mansiones habebat, hæc autem vniuersum Trinitatis complementum: quãdoquidem & Spiritus sanctus adueniebat atque hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero gestatus inhabitabat. *Spiritus enim sanctus,* ait, *superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque quod nascetur ex te* *Luc. 1.* *sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vides quanta & qualis est Deiparæ virginis dignitas. vnigenitus enim Dei *Luc. 3.* filius Mundi conditor, velut infans gestabatur ab ea, *Gen. 3.* & Adamum reformabat, Euámque sanctificabat, excludebat Draconem, & Paradisum aperiebat, sigillum vteri muniens. Meritò sanè vtrumque & iusta ratione. Aperiebat enim Paradisum, quoniam latronem introducturus erat in eum, cunctósque regni hæredes deducturus. Sigillum vteri muniebat, *Claustra Virginei pudoris non aperuit Christus.*

eo quòd

eo quòd is qui carnem assumebat, esset Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingrediendi *Ezec. 24. & 26.* causa aut egrediendi. Tibi igitur, ô Virgo, Prophetæ tribuunt laudes, & quisquam Deiferam dicit, qui *Maria deifera.* miraculorum mysteriis fidem habuerit. Et ille quidem te virgam Iesse vocitat, vt obscurè declaret vir- *Esa. 7.* ginitatem, quæ nullo modo vulnerari aut incuruari *Exod. 3.* potuerit. Iste verò comparat cum rubo ardente, qui tamen non exuritur: vt subindicet carnem vnigeniti, & Virginem deiparam. *Maria deipara.* Hæc enim ardebat, & non consumebatur: peperit siquidem, & vterum non aperuit: concepit, & vuluam non corrupit: eduxit infantem, & vterum signatum reliquit: lac suppeditauit, vbera tamen intacta conseruauit: portabat puerum, *Mat. 1 Luc. 3.* pueri tamen Patrem non agnoscebat: ~~mater effecta est, quæ minimè sponsa fuit~~: nutriebatur filius, & non inueniebatur Pater: ager fructum edebat, & fructus carebat cultore: messis reddebat quæ semen non acceperat: currebat fluuius, & fons quacunque ex parte clausus erat, vt perspicuum fieret te matrem esse factam, & tamen non esse passam ea quæ mulieribus accidunt. Peperisti tanquam mulier non tamen vt mulier corrupta es: iuxta legem naturalem gestabas in vtero, quoniam tempus pariendi *Luc. 1.* præscriptum expectabas: veruntamen concepisti præter legem naturalem, Alius te appellauit Portam clausam in Oriente sitam, quæ introduxit clausarũ *Ezec. 44* portarum Regem: nec non etiam Portam emittentem te vocauit, quoniam porta præsentis vitæ vnigenito effecta es. Portam in Oriente sitam, quia lux *Ezec. 1. Ioan. 1.* vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. ex vtero tuo processit, velut è quodam thalamo regio. Tu Regem portarum clausarum introduxisti atque iterum eduxisti. Nequaquam enim Rex gloriæ, dum conciperetur aut ederetur, vuluæ tuæ portas prorsus aperuit, neque virginitatis vincula laxauit. Vocauit te Hortum cõclusum, & Fõtẽ, *Cantic. 4.* signatũ, is qui ex te ortus est spõsus, prædixit in Canticis, Hortum cõclusum, ob id quòd falx corruptio- *Cant. 4.* nis, aut vindemia te non attigit: florem autem, qui ex radice Iesse hominum generi purè exhibetur, ex- *Esa. 11.* cultus tibi à puro intemerato Spiritu. Fontem conclusum, quia flumen vitæ ex te prodiens repleuit terram, alioqui ramus nuptialis fontem tuum nequaquam exhausit. Dauid sine intermissione cithara celebrat eum qui ex te natus est, *Surge Domine in requiem* *Psal. 131.* *tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Surge, vnde? è sinu *Ioan. 1.* Patris, non vt à Patre separeris. (hoc enim dicere vel cogitare nefas est) sed vt dispensationem peragas, vel quidpiam è Cœlis ante secula, & ante generationes tibi præfinitum. Surge, vt lapsos eri- *Esa. 35.* gas, vt claudicantes recta incedere facias, vt possessionem tuam recipias, quæ ab hoste ad hoc vsque tempus tyrannico modo occupatur. *Surge domine in in requiem tuam,* quam super terram præscripsisti, & in Bethleem constituisti, vtpotè stabulum, præ sepe, & fascias. Non enim eges in Cœlis requie, sed ipse es requies vniuersæ creaturæ: at in terra, nostra causa pateris quæ ad carnem pertinent. Non enim erat esuries aut sitis vera quam habebas, quinimo esuriẽs, *Ioan. 6.* panis es vitæ: & sitiens ipse es consolatio laborantium siti, cùm sis fluuius incorruptionis. & dum fatigabaris obambulando terram, per fluctus maris iter pedibus faciebas absque labore. *Surge Domine in* *Mat. 14.* *requiem tuã, tu & arca sanctificationis tuæ,* quæ est haud dubiè Virgo deipara. *Arca sanctificationis virgo Maria.* Si enim tu es gemma, meritò illa est arca. & quia Sol existis, necessariò Virgo vocabitur Cœlum. cùm sis flos immarcessabilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, & Paradisus immortalitatis. in quam Esaias hæc prospiciens nuper *Esa. 7.* acclamabat, dicens, *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Ecce virgo, quænam? mulierum egregia, è Virginibus electa, pręclarum naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam Draconis abscidit: quam concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læsit. *Ecce virgo in vtero concipiet.* vndénam ô Propheta? non dico, ait. hoc enim reseruatum est Gabrieli. Permulti distinctè declarare nituntur miracula Virginis pleráque tamen eorum prætermissa *Luc. 1.* sunt. Cæterùm ego de partu semper Virginis fidem *Mich. 5.* facio, Micheas de regione & loco in quo miraculũ peractum est. Dauid de tempore. Ipse enim Prophetiæ Psalmorum inseruit istud, *Ex vtero ante Luciferum* *Psal. 2.* *genui te.* Gabriel igitur dicturus est vnde. Ille enim de Cœlo descendit, ille ad hoc ipsum mittitur ad Virginem, ille tempore partus adest, & substantiã partus creditur necessariò declarasse. Sin cupis & à me discere, quæ sequuntur in Prophetia percurre: *Et pariet filium,* & vocabunt nomen eius Emmanuel. Quid porro est Emmanuel? Nobiscum Deus. Nunquid ergo Deus ex nuptiis & corruptione concipitur, & ex viro atque concubitu editus aut incarnatus esse potest? Nequaquã, sed operatione diuina, seminatione superna, & aduentu Spiritus sancti. Quamobrẽ cùm Virgo Gabrieli diceret, *Quomodo fiet istud apud me, quia virum non cognosco,* percellit me miraculum, quod dixisti, me perterret: & oraculum Angeli Virginem obstupefacit, miranda dicis, ideóque mihi dubia, quia peregrina. extimesco nuntij fausti nouitatem: perturbor ob ea quæ dicuntur à te admodum insolita. *Quomodo mihi fiet istud, quia virũ nõ cognosco?* qua ratione fiam mater, quæ non fui sponsa? flos ætatis vigentis non est corruptus: cingulum virginitatis non solui: vincula vuluæ non laxaui: vteri non dissolui sigillũ. *vere fuit sponsa, et vxor, quoad essentiam coniugij.* Angelus confestim subiunxit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: *Luc. 1.* hoc est, si cognosceres virum, nõ pareres Deum, cui visum est ex te, propter te citra corruptionem, serui formam sumere: nunquam fieres instrumentum incarnationis eius qui omnia produxit. Verùm quia munda es à concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberũ conseruasti: & Pater hospitatur apud te, & Spiritus sanctus obumbrat, & assumpta carne vnigenitus ex te nascitur, eam ob rem, ne dubites vllo modo de reliquis mysteriis: ne sis anxia, si parias in stabulo vniuersæ creaturæ opificem: ne hæsites, si sedere facias in præsepio eum qui sedet in dorso Cherubim, si nõ habeas locum in diuersorio, cùm sis mater Regis eorum quæ sursum sunt & deorsum. Libens enim qui ex te natus est pauper efficitur, vt diuites refrænet, & egenis patientiæ sit argumentum, & gratiarum actionis magister. Libens reconditur in præsepi, vt qui sunt pecuini accurrant & reperiant λόγον, id est, sermonem & rationem in præsepi constitutam: vt ex eo recipiant dignitatem rationalem: vt qui currunt ad paleas, frumentũ nãciscantur: vt bestiarum more festinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos ordei, & panem verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, escam lætitiæ, incor-

ruptionis dulcedinem, vnde oritur notitia regni, ar
ra adoptionis filiorum, Cœlorum hæreditas, socie- A
tas cum Patre & Filio & Spiritu sancto. Ipsi gloria
in secula seculorum, Amen.

CHRYSIPPI PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI DE SANCTA Maria deipara, Eodem Pico interprete.

VIrgam Iesse semper virentem, quæ cunc-
cto generi humano, vitam pro fructu at-
tulit, omni quidem tempore beatam præ-
dicare, admirari, & laudibus extollere cō
uenit. Iis tamen, qui hymnis celebrāt eam, est quod-
dam tempus præscriptum, quo & vt plurimum præ-
clara solennitas hæc peragitur: cúmque planè circa
mysterium istud quippiam gestum sit, quod sensum
multorum effugiat. Agite ergo, & nos & si mu-
nera digna offerre nequimus, pro viribus tamen
bonam voluntatem adferamus. Mox verò sumamus
initium à verbis quæ Gabriel apud eam fecit, *Aue*
Luc.1. *gratia plena, dominus tecum.* Aue, inquit, tuum enim est
re vera auere & gaudere: tuum est verissimè audire
istud, Gratia plena, quia tecum est vniuersus lætitiæ
Cant.4. thesaurus, totius lætitiæ & gratiæ Rex cum ancilla:
&3. cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ fi-
Psal 4. liis hominum: cum puella impolluta, is qui sanctifi- C
Virginis cat omnia. Tecum est conditor omnium tecum in-
conceptio quam, vt ex te gignatur, tecum conceptione, vt ex
sine macu partu tuo generetur. tecum velut deus, vt ex te sit
la qua Deus & homo. Hactenus Gabriel verbis salutatio-
christum nis finem imponit. Nos autem peropportunum est
concepit. modo vt plurimarum prophetiarum faustas accla-
mationes illi adscribamus & dedicemus. Aue igitur
semper, Aue gratia plena, aue quæ vsuam adepta
es præter naturam, vel ipsis cœlis latiorem: quan-
doquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne
Ioan.1. Cœli quidem capiunt. Aue fons lucis omnem homi
Cant.4.5. nem illuminantis. Aue Solis ortus, qui nullum ferre
potest occasum. Aue armariū vitæ. Aue quæ es hor- D
tus Patris. Aue quæ es pratum totius fragran-
tiæ sancti Spiritus. Aue radix omnium bonorum. A-
ue specimen gemmæ omne precium excedentis. A-
ue vitis vuas pulchras producens. Aue nubes plu-
uiæ potum animis Sanctorum exhibentis. Aue quæ
es puteus semper viuentis aquæ. Aue quæ es rubus
Exod.3. ardens igne spiritali, nusquam tamen adureris. Aue
Ezec.44. porta clausa soli Regi aperta. Aue mons vnde lapis
Dan.2. angularis abscissus est sine manibus. His enim atque
aliis multis huiusmodi cuncti qui deum gestāt par-
ticulatim eam alloquuntur. Cæterùm nobis sufficit
nunc admetiri sermonem cum his quæ in medium
adduxerunt illi, qui suppeditant ea quæ ad festum E
pertinent, quod celebramus. Quapropter dico in
primis quod me vultis dicere, quo pacto Esaias lau-
dibus prosequitur partū seminis expertem, sed fer-
Esa.7. tilem: inultum, & nihilominus pulchros fructus
producentem, præter naturam simul & secundum
naturam, quia quæ nostra sunt accepit: præter na-
ram quia digressus est à superis: secundum natu-
ram propter tempus conceptionis, insuper & pro-
pter legem generationis præter naturam, eo quòd
Gal.4. is qui supra nos est, hæc omnia suscepit nostra gra-
Luc.1. tia. Dico porro quæ & Paulus exclamauit, dico etiā
&2. quæ Lucas prædicat, aut placet vobis vt antea di-
cam qualia nunc decantauit Dauid, dum pulsaret li-
ram Dei imitatricem: scio quòd hoc anteponitis &
vultis. Quæ enim quispiam vehementius expetit,
hæc audire magis desiderat. Mauultis vos meritò
cantica Dauidis, eo quòd in ipsis omnem vitam du- *Nocturna*
catis, quòd hymnorum cantionem continuam ob- *preces.*
seruetis, quòd diu noctuque eorum gratia cho-
rum congregari solitum non deseratis: quòd eorum
dulcedinem ore semper hauriatis, atque ex eis viui-
ficas delitias absque satietate in animis recondatis.
Agite ergo agite, denuo illa cū clamore pronūtiate *Psal.131.*
quæ prodeunt ex tam grata vobis cithara. *Surge do-*
mine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Arca
enim verè regia. Arca preciosissima est Virgo dei-
para. Arca quæ excepit totius sanctificationis the- B
saurum. Arca non ea in qua erant omniūm anima-
lium genera, quemadmodum in arca Noë, quæ fluc-
tuantis vniuersi mundi effugiebat naufragium. Ar- *Gen. 6.*
ca non ea in qua erant tabulæ lapideæ, quemadmo-
dum in arca quæ per totum desertum vnà cum Is-
raële perambulabat: sed arca cuius architectus & *Iosue 4.*
incola, gubernator & mercator, comes viæ & dux *5. & 6.*
erat opifex omnium creaturarum quas in se ipse v-
niuersas portat, sed à cunctis ipse non comprehen-
ditur. *Surge domine in requiem tuam.* tua enim requies,
inquit, est Virgo & vterus tua requies, quia tibi cu- *Ioan.1.*
bile efficietur & habitatio. Surge domine. Nàm nisi
tu exurgas è sinu paterno, inquit genus nostrum
quondam lapsum non resurget. Surge domine, quia
etiam si exurgas, non separaberis à gloria paterna, &
versans in terra, non relinques Cœlos, & licet appa-
reas in carne, non imminues potestatē quam habes
ante secula, Tu & arca sanctificationis tuæ. Cùm eā
tu inde surrexeris, sigilabis arcā sanctificationis tuæ,
túmque arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo
vel illam constituit Euæ cognatio. Talia præclama-
bat & exorabat illius gratia, quæ ex eo germinare
debebat, imo verò totius generis humani nomine.
Age verò alteram etiam recolite Psalmorum cātio-
nem, quæ illustriorem hymnis præ se ferat honorē.
Audisti quæ fuerint hymnorum, iam audi quæ sint *Psal. 44.*
odæ verba. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam,*
& obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & cō
cupiscet Rex decorem tuum, quia est ipse dominus tuus, &
adorabis eum. Tractemus igitur quantum licet etiam
in his latentem sensum. Audi, inquit, filia, hoc est, de
cætero sermo meus dirigitur ad te, quæ à me ortū
accepisti. sermo, inquam, ad te, per quem eadem e-
tiam euangelizo ecclesiæ gentium. sermo meus ad
te, quæ desponsanda es Regi magno: sermo est ad te,
quæ Deum Verbum, prout ipse nouit, conceptura
es. Audi filia, & vide: adeò diligenter ausculta, vt e-
tiam ipsis notitiæ oculis intuearis effectum. Audi e-
tiam hæc mecum inclinatione prædicentem, atque
Gabrielem eadem tibi indicaturum, *Audi filia, &*
vide, & inclina aurem tuam. hoc enim faustum nunciū
est de redemptione Mundi: *inclina aurem tuam,* & au-
scultatio diriget cor tuum. *Et obliuiscere populum tuum*
& domum Patris tui. populus enim à quo cognatio-
nem cōtraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert.
Populus imprudens tibi irreprehensæ natura pro-
pagini familiaritate iunctus est. & cultura spinarum
ferax rosam tuam producit. obliuiscere autem vnà
cum populo, etiam ipsam domum paternam. Audi
paulisper dignitatem quam adeptura es è concep-
tione indicibili. Etenim Propheta & Rex sum ego,
qui tibi

qui tibi semē suppeditabo, tu verò declarabere ma-
ter Regis, qui dominus est sceptrorum nō terreno- A
rum, at cœlestium. *Et obliuiscere populum tuum & do-*
Psal. 44. *mum Patris tui.* Ne posthac attendas animum huic in-
feriori cognationi, quoniam in Reginam transmu-
taberis. Et audi, inquit, quanto te amore prosequa-
tur is qui & conditor omnium est, & potestatem ha
bet. *Concupiscet enim,* ait, *Rex decorem tuum.* Ipse Pater te
sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus coëfficiet ea
quæ ad desponsationem pertinent, & Filius ipsum
templi tui decorem assumet. Itaque ne existimaue-
ris te pariturā infantem humanū, quoniam ipse est
dominus tuus, & adorabis eum. ipse formator tui,
ipse etiam infans, ipsum concipies, & cum cæteris a-
dorabis vt dominum. Animaduertite quodnam Epi
thalamium Dauid obtulit Deiparæ, dum velut mo-
dulator quispiam hymnum decantat, quo etiam ve-
lut pater congratulatur tantæ puellæ beatitudini.
Cæterùm quis circunstantias partus, quis inquam,
vt par est explicare possit? Inde clangere incipiat tu-
ba Esaiæ, & opportunè subministret vocem reso-
nanti verba. *Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium,*
Esa.7. *& vocabunt nomen eius Emmanuel.* Nunc primum in-
quit, vobis reuelo mysterium quale non viderunt
anteriores nationes, imo verò quale ne ipsa quidem
lex naturæ nouit. Ostendito mihi virginitatem &
conceptionem. ostendito mihi partum nullis demō
stratis nuptiis. Itaque, ne diffidat quis infantem esse C
deum. Quòd si deus est simul & infans, horum cō-
cursus appellationem Emmanuelis exposcit. *Et vo-*
cabunt nomen eius Emmanuel, hoc est Deum, & eundem
Per huma indiuiduè hominem, deum & hominem ipsum. Et
nam legē enim partus secundum carnem humanus est: qui ve
intellige rò natus est Deus, partus secundum carnem huma-
infirmita nus, & ob id quæ pertinent ad partum humanæ le-
tem huma subiecta sunt, natus verò est deus, propterea & vuluę
nam dēpto sigillum permansit ei quæ peperit. Est deus qui na-
peccato. tus est, alioqui quo pacto stella natiuitatem eius in
* *Intellige* gentes euulgasset? Est Deus * qui natus est, sed ex mu
Deum pro liere naturam habet humanam. *Misit enim Deus filiū*
christo per *suum natum ex muliere, factum sub lege vt eos qui sub* D
communi- *lege erant redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus.*
cationem Audiamus hæc Pauli verba dicentis conuenientia
idiomatū. cum his quæ dicta sunt ab Esaia. O sermonem supe-
Gal. 4. rantem omnem intellectū: vt ego efficiar filius Dei,
vnigenitus dei filius factus est ad similitudinē meā.
Ad similitudinem autem meam dico participatio-
ne carnis, in qua tamen nulla sit communicatio pec
cati. Quænam igitur, quænam verisimile est hostem
humani generis secū loqui, dū videt nos per mulierē
reuocatos ad filiorum adoptionem quam initio ha-
bebamus? Nónne hæc dicit & queritur? Quī fit vt in-
strumentum quod in principio cooperabatur mihi,
nunc mihi aduersetur? Mulier mecum effecit, vt in E
3.Cor. 15. genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier
Dempto me è tyrannide deturbauit. Antiqua Eua me erexit
scilicet in altum, & noua deiecit. Ipsa est etiam Eua secundū
peccato. naturam, licet non sit Eua secundum generandi ra-
tionem. Quæ enim mulier possit edere partū adeò
alienum ab omnium opinione? nulli coitus inseruiēs
corruptioni imprægnata mater effecta est citra so-
lutionem virginitatis. Lac edidit quæ nullas nouit
nuptias. nutriuit infantem, cuius tamen infantis nul-
lus sit Pater in terra. Quamobrém meritò immuta-
tæ sunt res meæ ab eo qui immutat naturam: & per
quam captiuitati subiiciebam, in captiuitatem re-
dactus sum: per quam vincebam, succubui. Ego ve-
rò frustra in eam malignè moliebar insidias, & ipsi
etiam Ioseph suadens vt de ea malè suspicaretur, cō *Matth. 1.*
silium ei subieci, vt occultè eam dimitteret, & hac
ratione declararet ex adulterio proficisci cōceptio-
nem. Angelus autem astās in somnis aperè reuela-
uit ei quod latebat in conceptione mysterium. At
verò quantum mihi tempus sufficere possit ad pro-
sequendum verbis, quibus modis triumphauit de
me qui partum ex ea subiit? In his quæ attentabam
deprehensus, in his quæ impugnabam pudefactus,
dum ab ipsis qui mecum sunt dæmonibus frequē- *Luc 4.*
ter audirem ipsum appellari dei filium? Eripuit mihi
cunctos variis morbis laborantes: eripuit omnes à
B malignis spiritibus perturbatos: eripuit etiam eos
quos ipsi morti tradidi, tandem etiam consiliis meis
in Crucem actus, multo maiore me verecundia per-
fudit, & mecum denuò mortem, dum è Cruce con- *Matth.27.*
cussit vniuersa quæ sunt in terra, ex motu patefaciēs
omnia sub terra iacebant, decerpens tam me hīc
quàm mortem ibi, resurgentibus cum eo mórtuis.
Horum igitur omnium quæ mihi causa est? Quæ alia
præter eam quæ genuit eiusmodi miraculorum opi- *Gen. 3.*
ficem? profectò præstabat mihi, vt Euam illam anti-
quam nō inducerē in dolum: satius erat mihi etiam
per Serpentem illam non decipere. Nam quid lucri
mihi accessit ex circumuentione? siquidem eos quos
C in seruitutem redegi, modò video priscam libertā-
tem recipere, imo verò vnà cū præcedente libertate
etiam ipsum regnum Cœlorum hæreditario iure
possidere. Talibus equidem communis omnium no
strūm inimicus apud seipsum vsus esse sermonibus
videtur. Nos verò denuò recurrentes ad ea, quorum *Mat. 1.*
superius fecimus mentionē, laudemus virgam Iesse,
beatum prædicemus, & faustis ominibus prosequa-
mur sacrum Dauidis surculum. *Ascendit enim & Io-*
seph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæā ad ciuitatem
Dauid, quæ quidem vocatur Bethleem, eo quod ipse esset de
domo & familia Dauid, cum Maria sibi desponsata & gra-
uida. Ista Lucas nobis nunciauit per historiam E-
uangelicam, testificans familiam & propinquita- D
tem Dauidis non solùm ad Ioseph, sed etiam ad pei-
param & semper Virginem pertinere. Quid igitur, *Luc.2.*
posteaquàm ascenderunt, quid accidit? *Impleti sunt,*
inquit, *dies vt ipsa pareret, & peperit filium suum primo-*
genitum. Peperit filiū suū, qui & illius simul & Patris
cœlestis est primogenitus & vnigenitus. *Et pannis eū*
inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat locus in
diuersorio. Inuoluit panniculis illum qui amictus est
lumine sicut vestimento. Fasciis inuoluit eū, qui sua
ipsius potentia omnem creaturam inuoluit. Reclinauit in præsepio eum, qui proprio arbitrio cœlos
inclinat. Reclinauit in præsepio eum, qui sedet su-
per solium. Hæc porro non frustra contingebant,
sed in præsepi animalium irrationalium proponebatur ὁ λόγος id est Verbum & ratio, vt pro instituto
accurrentes homines irrationales, sensus rationalis
participes efficeret. In mensa bestiarum proponebatur panis cœlestis, vt ex hominum genere, his qui *Phil. 2.*
bestiales erant, communicationem escæ mysticæ ex-
hiberet. *Et non erat locus ipsis in diuersorio.* Locum in
quo habitaret non habet, is qui domum totius mū-
di construxit. Non habet locum habitationis, quia *Psal. 30.*
eūesset dines, sponte pauper effectus est. Locū non
habebat. quis enim locus capere posset eum qui lo-
cum excedit? Quare peropportunum est, vt hoc etiā

è Psalmis dicamus, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine* Vnde enim hæc? Vnde enim nisi ex tua, qui gratia nostra descendisti, bonitate? Vnde tanta ipsius humilitas, nisi ex ipsius erga naturam nostram clementia? Cæterùm quemadmodum quæ spectant ad Dominum omnium, resplendere solent in eius honorem, per ea quæ geruntur in Cœlis, ita & per ea quæ gesta sunt apud nos eo super Cherubim sedente, circũstare solent exercitus Angelorum. Verũ & in præsepio choreæ circumsteterunt: illic à virtutibus cœlestibus continuam habet adorationẽ: hîc à gẽtibus, stella obtẽperante. illic vniuersa elemẽtorũ turba, quæ habent à natura offerunt: hîc & pastores pro muneribus exhibent tripudia, & magi thesauros. illic præterquã ꝙ sedet in solio super Cherubim, etiam est in sinu Patris. hîc nõ solum residet in præsepio, sed etiam sedet in vlnis maternis. Iste porro thronus verè regius, thronus iste gloriosus, thronus sanctus, thronus solus dignus qui sanctum sanctorum gestaret in terra. Ipsi gloria in secula seculorũ, Amen.

GAVDENTII EPISCOPI BRIXIANI, QVI TEMPORE TRACTATVS IN SCRIPTVRAM D. AMBROSII FLORVIT.

Ad Seruum Christi beniuolum Gaudentii Episcopi, Præfatio.

Dies Paschales.

COMMVNIS voti fuerat, vt ea quæ de diuinis eloquiis per Paschales dies proximè præteritos explanaui, coràm valuisses audire. Cum enim semper, tũ pcipuè dieb⁹ Festis præsentia tua nobis meritò grata est, in Ecclesiæ Brixianæ cõuentu. Nã sicut honoratorum nostræ vrbis, ita etiam Dominicæ plebis, Domino annuente, dignissimum caput es: quia non minore diligentia seruare studes Dei præcepta, quàm discere: robustam Catholicæ Fidei professionem præclaræ vitę meritis æquiparare contẽdens, vt habeat sincera fides opera suæ puritatis nitore condigna. Qua in re maximus docentis fructus est, & immortalis vtilitas audientis, dicente Apostolo: Non auditores tantum, sed factores legis iustificabuntur apud Deum.

Rom. 2.

Nec mirum si hodie taliter in timore Domini conuerseris, qui necdum percepta Baptismi gratia, ita pro fidei cœlestis veritate pugnasti, vt imbutum te admirabilibus doctrinis, Apostolicè per omnia viri, Patris nostri Philastrij, † tantæ constantiæ testimonium adprobarit.

† Huius Tractatũ elegantem cõtra hæreses, habes supra, huius Bibliothecæ Tom. 5.

Nostri nãque temporis Regina Iezabel, Arrianæ perfidiæ patrona simul ac socia, cum beatissimum persequeretur Ambrosium, Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem, te quoque ea tempestate Magistrum memoriæ, † oblitum salutaris fidei arbitrata, contra Catholicas dictare Ecclesias compellebat. quod ne faceres, vltro & promotionis politicæ dignitatem & ambitionem sæculi, gloriámque mundanam pro Dei gloria contempsisti, magis eligens priuatus viuere quàm mortuus militare. Verè enim moritur apud Deum qui ab Apostolicæ fidei veritate discedit: cui Christus Deus, qui vita est, amputatur, dum eò æternæ Trinitatis homousion deneganti subtrahitur.

† Beneuolũ hunc, Ruffinus Eccl. hist. lib. 2. cap. 16. Memoriæ scriniis Præsidentem appellat: Niceph. verò, hist. lib. 12. ca. 20. in Scribarii Decuria, in sacrarum Constitutionum Tabulario militasse ait.

Sed vt ad propositam causationem redeam, ex ingenti ægritudine tuum nunc adhuc corpus inualidum, ne supra dictæ Festiuitati interesses, inhibuit: vnde vehementer dolebas, omnino fraudem tibi spiritualium bonorum reputans, peccatis vrgentibus irrogatam: ac propterea veluti singulare quoddam dispendij memorati remedium magnopere exegisti vt scriberem quid vnaquaque die illius Sacratissimæ hebdomadis sanctę fraternitati à me expositum meminissem. Quod planè ego, mediocritatis meæ conscius, literis credere non auderẽ, nisi tu religiosa cõstantia compulisses: Satis est enim mihi, si instruere commissam plebem viua saltem voce sufficiam.

Sacratissima Hebdomada. Sãcta fraternitas.

Sciens itaque, verum diuinæ sapientiæ amatorem non super adsertione inutilium rerum, inanis eloquentiæ pompam quærere, sed salutarem de scripturis sanctis explanationum congruentium desiderare doctrinam, scribere tibi aggrediar omnino, iisdem sensibus, & fortasse etiam verbis quibus in me in Ecclesia locutum esse reminiscor, vt loquelam meam qualiscunque est, facilè, cum legeris, recognoscas. Quatuor præterea breuiores Tractatus, quos de diuersis Capitulis Euangelij apud te olim fuisse me loquutum prodidisti, & quintum de Machabeis Martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam, vt eos, si vlla vtili memoria dignos arbitraris, in postrema parte schedulæ huius simul transcribẽdos adiungas. De illis verò Tractatibus, quos notariis, vt comperi, latenter adpositis, proculdubio interruptos, & semiplenos, otiosa quorundam studia colligere præsumpserunt, nihil ad me attinet. Mea iam non sunt, quæ constat præcipiti excipientium festinatione esse conscripta. vereor tamen, ne aliqua sub sermonis mei titulo, sanæ fidei inimica, alieni erroris inuoluant: & efficiãtur sempiterni criminis rei qui fuerint incautæ præsumptionis auctores.

Metuit ne hæretica sub nomine suo spargãtur

Ergo, quoniam desiderio tuo negare operam non potui postulatam, breuiter tibi prius ostendam, non semper ægritudinum plagas pro peccatorum cumulo nostris corporibus irrogari. Humani corporis natura ex quo sententiam mortalitatis excepit: Tu terra es & in terram ibis: infirmitatibus variis subiacet, sine discretione cuiusquam: & quamuis peccatores nos esse salubriter fateamur, non tamen vel ex vigore, vel ex debilitate carnis, meritorum ponderandæ sunt qualitates, Cùm frequenter idolorum cultores sanitate corporis ac bonis huius sæculi perfruantur: & econtrà diuino cultui inhærentes, ægritudinum ac tribulationum vexatione quassentur. Nam legimus, Abimelech gentilem regnasse & Abraham sanctum peregrinationis molestias pertulisse: Et illius Laban Syri Idololatræ, mercenarium fuisse sanctũ Iacob: & Moysen iustum, regnante impio Pharaone, latuisse metuentem in terra Madian: & Heliam mirificum, à facie persequentis Reginæ Iezabel fugisse ad solitudinem. In nouo autem Testamento, Ioannes Prophetarum maximus, post longum squalorem feralis custodiæ, post iniquas contumelias

Gen. 20. Gen. 12. Gen. 29. & 30. Exod. 2. & 3. 3. Reg. 18 & 19. Mat. 15. Mar. 6.

vinculorum, decollatur in carcere: & Herodes sacrilegiis qui eũ iussit occidi, epulatur cum principibus suis, & tribunis, & primoribus Galileæ discumbens, ebrius non solũ vino, sed ipsius etiam cruore Baptistæ. Et sicut in Apocalypsi de Babylone scribitur, vel vrbe vel gente, vel vnaquaque Anima, errorum caligine vitiorúmque carnalium permixtione confusa (interpretatur enim cõfusio) Et vidi, inquit, mulierẽ ebriã de sanguine sanctorũ.

Luc. 9. Apoc 17

Verùm hæc de Dei patiẽtia quorsum euadat, ipse Saluator docet in Euãgelio, dicẽs: Homo quidã erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: Pauper autem quidã nomine Lazarus, iacebat ad ianuas eius, vlceribus plenus, & cupiebat saturari de his quę cadebant de mensa diuitis: sed & canes veniebãt, & lingebant vlcera eius. Factum est autem, vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: diues verò mortuus sisteretur ad inferna supplicia, & obsecraret, istius pauperis tincto in aqua digito refrigerari linguam suam: quod tamen promereri non potuit, in tormentis flammæ inextinguibilis constitutus.

Luc. 16.

Felicitatis impiorum exitus.

Ad hanc seruatur pœnam prosperitas impiorum, & econtrà ad illam beatitudinem perducitur Iustorum tribulatio, vt cum sancto Abraham Patriarcha, in æterna vita requiescere mereãtur qui angustias vitæ huius fideli patientia tolerantes, de sæculo isto migrauerint. Vnde dicebat Dominus: Intrate per angustam portam, quia lata & spaciosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per illam: Quam angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. Propter hoc & sanctus Apostolus gloriari se in infirmitatibus suis prædicat. Cùm enim infirmor, ait, tunc potens sum. Sanctum quoque Timotheum assiduis ægritudinibus laborasse, idẽ beatissim⁹ prodidit Apostolus Paulus scribens ad eum: Noli amplius aquã bibere, sed vino modico vtere, propter stomachum, & frequẽtes tuas infirmitates.

Mat. 7. Luc. 13. 2. Cor. 12 1. Tim. 5.

Excusatio in Peccatis.

Quærat fortasse quispiam diuitum, dicens: Ergo malitiosè Deus dedit diuitias, si propterea diuitem torquet. Vult enim videri humanus error, nõ modò, cùm venia sed etiam cum ratione peccare.

Cur Deus largiatur diuitias. Tob.

Non malitiosè sed prouidenter te Deus diuitem fecit, vt per opera misericordiæ inuenires peccatorum tuorum vulneribus medicinam. Eleemosyna quippe à morte liberat, & ipsa mundat ab omni peccato. Nõ enim ob hoc cruciatur ille, quia diues fuit: sed quoniam, ipso epulante, pauper Lazarus esuriit.

S. Abraham. S. Iob Rex Arabiæ.

Cæterũ & ipse S. Abraham diues fuerat, sed peregrinorũ indigentiúmque mancipium, Sanctus quoque Iob regnum tenebat Arabiæ: sed, vt scriptum est, nulla vidua, nullus pauper domum eius sinu vacuo exibat. Denique in doloribus constituto exprobrantur per mulierem opera misericordiæ, quæ frustra exercuerit: &, ecce (inquit) quæ pateris? Heu venenata diri serpentis astutia: quoniam à bonis operibus famulũ Dei reuocare non valuit, incumbebat vt benefacti pœnitudine fructũ perderet pietatis.

Iob. 2.

Diuites infructuosi.

Caueant ergo infructuosi locupletes, terribile exemplum illius sine misericordia diuitis collegæ sui, ne ad similia tormenta ducantur: magis autem faciant eleemosynas largiter, frequenter, gratulanter, Hilarem enim datorem diligit Deus. Distribuant opes suas egenis: adquirant sibi Thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt & furantur, vt de hoc sæculo exeuntes possint inuenire refrigerium in sinu illius verè diuitis Abrahæ.

2. Cor. 9. Mat. 6.

Hæc ad quæstionẽ, quæ occurrerant, breuiter respondisse sufficiat: Illa autem, quæ superius comprehensa sunt idcirco memoraui, vt nemo nostrum scandalizetur in cogitatione sua, nemo nostrum murmurare audeat contra Deum si videamus iniustos, idololatras, blasphemos, continua salubritate corporis frui florere honoribus Mundi, caducis opibus redũdare: & econtrariò nos tribulationibus variis confici, doloribus carnis affligi, paupertatis necessitatibus subiacere. Nouit vniuersorum arbiter Deus, qua Prouidentia suos verberet, & qua ratione parcat impiis in hoc mundo. Nec planè ignoramus ab Apostolo beatissimo nos erudiri, quòd longa erga iniquos bonitas Dei, aut ad conuersionem prouocat sentientes, aut ad iustiorem pœnarum sententiam reseruat ingratos: An, inquit, diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad patientiam te inuitat? Tu verò secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, Qui reddet vnicuique secundum opera eius.

Rom. 2. Ibid.

Reseruatur enim in diem iudicij, illa retributio generalis: in hoc autem sæculo idcirco interdũ quidam vel blasphemi, vel apostatæ tormentis insanabilibus consumuntur, vt cæteri eorum suppliciis terreantur. Pietatis verò cultores, quòd interdum vel corporis doloribus, vel variis tribulationibus affligãtur, triplex esse ratio inuenitur: prima correctionis, secunda Purgationis, tertia Probationis.

Bonos affligi cur sinat De⁹?

Hominem fidei Apostolicæ inhærentem, si frequenter in quibusdam peccare videat Deus, sic peccatorem suũ verberat vt emendet, vt salutari admonitione flectat ad pœnitentiam, negligentem, ne tolerabili vltione dilata, Gehennæ inextinguibili fiat obnoxius. Eum quoque, quem pudice conuersantem, ac iustè, quædam tamen improbarum cogitationum maculæ resperserunt? Idcirco Dominus nunc & tribulationum & ægritudinum flagello castigat, ne in illo aliquid sordium futurus ignis inueniat, sed vt per exiguas plagas breuissimi temporis, ab omnibus purgatus maculis, securior ad æternam migrare requiẽ mereatur.

Ignis futurus.

Hæc est amantis Dei consulta erga peccatores suos, ac pia seueritas. Scriptum est enim: Quoniam quem diligit Deus, verberat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Vnde meritò misericordem Deum quisque nostrum prædicat Prophetæ doctus eloquio: Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Heb. 12 Psal. 117.

Iustos verò & inculpabiles quósque sicut sanctum Iob (de quo scribitur quòd fuerit homo sine querela, verus Dei cultor) hac de causa Deus omnipotens, vel damnis facultatum, vel orbitatibus charorum, vel angustiis persequutionũ, vel dolorum carnaliũ stimulis tẽtari permittit, vt probet: Probat autem non sibi, qui antè nouit vniuersa, quàm fiant: sed Angelis & hominibus, vt eos ex factis probos nouerint, quoniam Conscientias intueri non possunt, quas solus nouit scrutans corda & renes Deus. Ipse enim nouit occulta cordis, vt Prophetæ sermo testatur, Et ideò forsitan beatus Apostolus inter multipliciũ tribulationum persequutionúmque tentacula constitutus aiebat: Quoniam spectaculum facti sumus huic Mũdo & Angelis, & Hominibus. Angelis quidem iustos suos Deus probari ideo vult, vt consummatam sanctorum iustitiam lætantes agnoscãt. Lætantur enim

Psal. 7. 1. Cor. 14. 1. Cor. 4.

Iustorum virtutes cur ab Angelis et hominib⁹ et Diabolo cognosci velit Deus.

beati Angeli in Cœlo, vt ait Dominus Iesus, etiam super vno peccatore pœnitentiam agente. Hominibus autem probatam esse vult perfectionem iustorum, vt ad perseuerantiam dilectionis Dei, eorum prouocentur exemplo. Diabolo etiam probatam vult ingerere Deus sanctorum iustitiam, vt è bonorum operum meritis debitè ad amicitiam Dei, & ad regnum cœli vnde ipse cecidit, esse perfectos doleat, indignetur, inuideat, ingemiscat, nec tamen audeat quidquam de iudicio Diuino causari. *Iob Mirificus. Iob. 1.* Probationis igitur gratia mirificus Iob ex opulento repentè inops efficitur: ex patre decem natorum, sine filiis inuenitur: ex vegeto ac sano, vulneratus: ex florentissimo, vermibus exaratus aspicitur: ex glorioso, opprobriis expositus reperitur. Opprobriis autem & amicorū exprobantiū, & quod esset grauius, proprię Coniugis, quæ non ad solatium dolorum eius, sed ad vltimam tentationem docetur esse seruata. Nam cogebat eum loqui verba blasphemiæ, replicans ei iustitiæ eius opera quæ incassam gesserit, qui ad tot miseriarum genera peruenisset. Quapropter, inquit: *Iob. 2.* Dic aliquem sermonem contra Dominum, & morere. *Mors blasphemanti debita.* Mortem blasphemanti debitam, pro remedio ærumnarum suggerit acquirendam, callidus iterum per mulierem serpens, vt palmam patientiæ auferat fortissimo bellatori, & interitum congerat victo, quia blasphemantis furor non medelam doloribus præstat, sed cruciatum mortis accumulat: illius quippè mortis, quæ nec finem miseriis tribuat & exordium sit pœnarum, quas vltor Deus blasphemantibus præparauit. At ille beatissimus intelligens, callido antiquæ artis argumento Diabolum rursus per mulierem, venenum mortis ingerere, sic respondit: Velut vna (inquit) ex insipientibus mulieribus locuta es, pulsans videlicet vnam, de qua omnis. Et adiecit: Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? Et in alio loco: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus iterum reuertar in terram: *Iob. 1.* Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Inter dispendia omnium facultatum, inter funera tot natorum, inter atrocissimi sui corporis cruciatûs, & intestinos dolores opprobrij Coniugalis, laudat & magnificat omnipotentem Dominum verus Dei cultor. Et nos itaque, si cultores Domini sumus, imitemur patientiam triumphalem: quam solam, spoliatus vniuersis non solum facultatibus atque pignoribus, sed ipsis etiam corporis sui carnibus, inconcussa fide possidet verus Dei cultor. *Verus Dei cultor quis sit.* Verus.n. Dei cultor ille est, cuius fides inter aduersa non deficit: cuius lingua benedicere nomen Domini sui in omni angustiarum tempore, in omni tribulationum plaga non desinit dicens: *Psal. 23.* Benedicam Domino in omni tēpore, semper laus eius in ore meo. Si peccator es, agnosce pro correctione tua esse quòd cæderis, vel certè pro purgatione, sicut supra disserui. Si autem iustus es, nomen quidem iusti prçsumere non audebis, intelliges tamen, ad gloriæ tuę probationem euenire quod pateris. Scriptum est enim: *Eccl. 27.* Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. *Rom. 5.* Ideo sanctus quoque Apostolus dicit: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Ergo quoniam vel ad probationem iustis, vel ad emendationem peccatoribus, vel ad pœnā sacrilegis, varij cruciatus in hoc

A seculo irrogantur, & quibusdam mortiferæ sunt istæ plagæ, quibusdam salutares: propterea cum distinctione summa scribitur in libro Psalmorum, de pertinacibus quidem malis ita: *Psal. 33.* Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent: vtique eorum peccatorum pessimam testatur mortem, qui in scelere delictorum permanere cupientes, oderunt verberantē iustum. De emendabilibus autem: *Psal. 31.* Multa, inquit, flagella peccatorum. De sanctis verò: *Psal. 32.* Multæ, ait, tribulationes iustorum. Nec difficile omnino est vnicuique spirituali, vt hanc diuersitatem ex fructibus cuiusque diiudicet, dicente Domino: *Mat. 7.* ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nam confusa esse apud nos omnia, Philosophi Gentilium iudicāt, cùm B spiritualis homo discernat & diiudicet omnia, vt ait *1. Cor. 2.* Apostolus: ipse autem à nemine iudicetur. Nonnulli enim prudentium seculi, sapientiæ cœlestis ignari, dum volunt fortunæ adstruere vniuersa quæ creator omniū Deus iusto moderamine prouidenter exercet, ita loquuntur: *Philosophorum ratio contra Prouidentiam.* Si Dei Prouidentia gubernaretur hic Mundus, nunquam promiscuè bonos & malos, tribulationum, dolorum, ærumnarum atque ægritudinum plagæ conficerent: quia Diuinæ æquitatis non esset, disparibus meritis plagas irrogare consimiles. sed problematis huius inuidia facilè euacuatur vsitato veritatis exemplo. Notum namque est omnibus, quòd & ferri acies, & ignis vstio, vel ad interitum irrogantur, C quādo pœnam, puniendi exigit criminis qualitas: vel ad curam proficiunt, cum sanandi gratia medicinaliter adhibetur. Ita igitur Deus omnipotens easdem plagarum species, pro qualitatibus temperat meritorum: *Deus tēperat plagas pro modo meritorum.* quosdā quidem puniēs quosdam verò vel emēdans à vitiis, vel emundans, vel certè ad ampliorem gloriam promouens. Quod vt adhuc planius intelligi queat, pauca adiiciam sanctarū testimonia Scripturarū. Legimus enim: sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. *Psal. 119* & alio in loco: *Psal. 126* sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. Beatos Apostolus prædicat, quos electos ad fidem, Patribus eorum à gratia Dei ob D incredulitatem suam procul excussis, manus omnipotentis Domini Iesu, sicut sagittas velociter peruolantes, in vniuersum direxerit orbem, vt prædicatio eorum (iuxta beatissimi Pauli doctrinam) aliis quidem fieret odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Doctrina enim veritatis obedientes viuificat, rebelles interficit: vitia prosternit, virtutes erigit, incredulos deiicit, fideles extollit: quoniam Christus Iesus, qui ab Apostolis prædicatur (vt Symeon sanctus in Euangelio ait) positus est in ruinam & Resurrectionem multorum. *Luc. 2.* Vt autem noueris, Apostolos (qui ex officio sortiti vocabulum, Latino sermone destinati nuncupantur) filios esse Iudæorū, E à Dei gratia excussorum: ausculta quid ipsis blasphemantibus Iudæis responderit Christus: Si ego, inquit, in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri, id *Luc. 11.* est Apostoli ex vestra electi progenie, in quo eiiciūt? & vt apertius ostēderet, de quibus loqueretur, adiecit: propterea, inquit, ipsi iudices erūt vestri. Nā dicit alio in loco Apostolis: *Mat. 19.* Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, in Resurrectione, cum venerit filius hoīs in sede Maiestatis suæ, sedebitis & ipsi super duodecim thronos, iudicātes duodecim trib' Israël. Sicut sagittę ergo, inquit, in manu pottenis, ita filij excussorū. Statiq; adiicitur: Beat', q implebit desiderium suū ex ipsis: vt euidēter intelligas q sagittę Dei interdum

A terdum mortem inferunt, interdum beatitudinem præstant, sicut Iobo sancto ac beatissimo præstiterunt, qui ait: Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt, quarum ira bibit sanguinem meum. Cum enim incipio loqui, stimulant me. Et post pauca. Quod si tribuat Dominus, & veniat petitio mea, & spem meam det mihi Dominus, qui cœpit Dominus vulneret me, sed non in perpetuum interficat me. Sunt & plurima istiusmodi sparsa per totum corpus sanctarum Scripturarum, quæ studio breuitatis securus prætereo, quoniam scienti legem loquor, qui ex paucis instructus testimoniis facile possis similia exempla colligere, quibus documentis & bonitatē Dei, prouida castigatione suos famulos vel corrigē- B tis à delicto, vel promouentis ad gloriam, plenius intelligas approbari: & eisdem, debitis cruciatibus pertinaces impios punientis, veram iustitiam recognoscas, docente etiam beato Apostolo: *Rom. 3.* Nunquid iniustus Deus, qui infert iram? In eos videlicet, qui veritatem in iniustitia detinent. De nostra autem castigatione, qua verberamur à Deo, ita testatur: Cum iudicamur (inquit) à Domino corripimur, ne cum *1. Cor. 11.* hoc mundo damnemur. De iustis verò sic loquitur: *2. Cor. 4.* in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur, persequutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus, semper mortem Domini nostri Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu C Christi in corpore nostro manifestetur, Et alibi idē beatus Apostolus Paulus, postquam raptum se didixerat vsque in tertium cœlum, & in Paradisum, vbi ineffabilia verba audierat, ita continò addit: Ne eminentia, inquit, reuelationum me extollat, datus *2. Cor. 12.* est mihi stimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar. Propter hoc ter Dominū rogaui, vt discederet à me & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Et alia scriptura huic sensui concordans, euidentia loquitur: *Eccl. 2.* Quomodo in igne probatur, ait, aurum, & argentum, homines autem iusti in camino humiliationis: vt vtíque gustum perpessi tentationum, & tri D bulationum onere inclinati, minimè in superbiam iustitiæ suę meritis erigantur, aliquid se contra actuū suorū dignitatē pati mussitātes iniustū, quos nō mul to pòst immortalis præmij retributio subsequatur: *Sancti affliguntur, ne meritis iustitiæ suæ erigātur in superbiam.* sed potius, vt in humilitate spontanea permanētes sancti: scilicet virtutibus præditi, & humiles corde, probabiliores efficiantur in Christo. sicut etiam venerandi Martyres extiterunt, qui cum beato Apostolo fideliter præsumentes, Non esse condignas passiones huius temporis ad superuēturam gloriam, quæ reuelabitur in sanctis: vniuersa supplicia pro *Rom. 8.* Domini Christi nomine, omnésque irrogatos corpori cruciatus æquissimo animo susceperunt, Ipsum E Dei filium remuneratorem victricis patientiæ habituri, qui regnum cœlorū seruis suis, vsque in finem fidelibus largietur. Cuius sempiterna virtus, atque Diuinitas, cum Patre, & cum Spiritu sancto, permanet in omia sæcula.

PRIMVS TRACTATVS GAVDENTII EPISCOPI, IN EXODVM, nocte vigiliarum, de Paschæ obseruatione.

A OPportuno tēpore Dñs Iesus beatissimam festiuitatem Paschæ voluit celebrari, post autumni nebulam, post horrorē hyemis, ante æstatis ardorē. Oportebat enim solem iustitię Christū, & Iudæorum caliginem, & rigorem Gentilium, ante ardorē futuri iudicij, placido Resurrectionis suæ lumine dimouere, cunctâque in statum tranquilli primordij reuocare, quæ fuerant velamine tetro confusa, ab illo principe tenebrarum. Nam veris tempore, Deus condidit mundum. *Mundus conditus tempore veris.* Martio enim mense dixit per Moysen Deus: Mensis hic vobis initium mensiū, primus est in mensibus anni. Quem mensem verax vbique Deus, primum non diceret, nisi primus esset: sicut 7. diē nō diceret. Sabbatū, nisi Dñic', prim' esset. *Exod. 12.* B Filius ergo Dei, per quem facta sunt omnia, eodem die, eodémque tempore prostratum mundum pro- *Io. 1.* pria Resurrectione resuscitat, quo eum prius ipse *Ephe. 1.* creauerat ex nihilo: vt omnia reformarētur in Chri- *Rom. 11.* sto, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra sunt: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, vt ait Apostolus: ipsi gloria in sæcula. Nec turbari quisquàm nostrûm debet, si interdum secundo mense, id est Aprili, Pascha nos celebrare, lunaris ratio, & dies cogit Dominicus. Secundum lunæ enim cursum numerantur in Scripturis diuinis dies. Cæterum Calendas, & Idus, & Nonas, & mensium nomina, ac dierum Gentiles posuerunt, *Mensium nomina Gentiles posuerūt.* vtpote quem vetustas C humanæ memoriæ primum mensem tenebat, paganus hunc à Marte Martiū nuncuparet: & diem Sabbati, quem septimum, rationabiliū corda seruabant, ille Saturni diem, statueret appellandum. Scripturæ *Exod. 12.* autem sanctæ, cùm de tēporibus aliquid vel referūt, *Leuit. 23.* vel iubent, ita loquuntur: Decima die mensis secundi, & luna decima: aut v. die mensis septimi, aut vicesima die mensis noni, aut quarta decima die mensis primi: vt in Exodi libro pariter nunc audiuimus, vbi obseruatio Paschæ describitur, & septem diebus eiusdem solennitatis azymæ comedendæ mandantur. Præcipit tamen Deus & hoc, vt si quis primo mense, vel immundus in anima hominis, id est, mor D tui attactu pollutus, vel extra electum sacrificij Hierosolymæ locum, in longinquo itinere constitutus, Pascha non potuit celebrare, secundo mense celebret. Præuidens quippe Deus Gentium populos, tūc adhuc hominum mortuorū simulachris immundos *Ephe. 2.* & extra sanctum locum Ecclesiæ, in longinquo positos, vtique nos qui eramus longè, & facti sumus propè, in sanguine Christi, dat licentiam, vt si primo mense nobis non occurrit dies Dominicus & congruus lunæ numerus, secundo mense celebremus. Et ideo nec intra quartam decimā lunam, nec vltra vicesimā primā celebrare possumus, quia septem tātum dies sunt azymorum Paschalium, in quibus Do E minicum quærimus diem. *Nec intra 14. lunam nec vltra 20. Pascha celebrandum est.* Vult enim nos Christus, promulgator legis & Gratiæ, neque legitimos iuxta lunæ cursum computatos præterire dies, neque diem suæ Resurrectionis, ocio ingrato transcendere. Nam sexta feria, qua hominem fecerat, pro eodem passus est: & die Dominica, quæ dicitur in Scripturis prima Sabbati, in qua sumpserat Mundus exordium, resurrexit, *Mat. 27. Gen. 1.* vt qui prima die creauit cœlum & terram, vnde postea hominem faciens figurauit, prima etiam die omnem repararet hominem, propter quem fecerat mundum. Hæc breuiter dixerim de ratione Paschali. Sed iam tempus est, vt eorū virtutē, quæ in libro Exodi audi-

Exodus quid.

uimus, edisseramus. Ac primum, quid sit Exodus, aduertamus. Exodus, egressio appellatur. Egressio aũt fuit de captiuitate Pharaonis & Aegyptiorum, populi tunc Israël, non nostri. Tibi ergo, vt quid legitur, si aliis tantũ profuit? Quid ad te, quod nó pro te, Sed iam disce ab Apostolo, magis vniuersa pro te,

Heb. 10.

quàm pro illis esse, quæ scripta sunt. Lex, inquit, vmbra erat futurorum bonorum, eorum quippe bonorũ, quæ in nobis completa sunt. Veritas enim Christus adueniens, bona quæ ante Iudæis fecit vmbraliter, nobis nunc in veritate largitus est: cum dicit ad

Mat. 13.

discipulos. Amen dico vobis, multi Prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt, Vestri

Exodus cõsummatur in nobis.

autẽ beati oculi, qui vident: & aures, quæ audiunt. Exodus ergo beata atque perfectè cõsummatur in nobis,, quãdo verus Moyses de Iordanis aqua sumptus, & natura, non positione Deus, dominus noster Iesus Christus, virga Crucis suæ, per aquam nos baptismi de captiuitate pharaonis educit diaboli, ac de omni tenebrarũ eius Aegypto eripit, euocãs nos in lucis opera de tenebris actuũ mundanorum, vbi aliquos adhuc positos increpat beatissimus Paulus: Debueratis, inquiens, de hoc mundo exisse. Nũc aũt

1. Cor. 5.

scripsi vobis, non cõmisceri. Consideremus nunc,

Exod. 12.

quid audiant à Deo, qui educũtur ex Aegypto. Mẽsis hic vobis initium mensium, primus est (ait) vobis

Num. 30.

in mensibus anni. Legimus in Numerorum libro, quòd quicunque vouerit votum, vt abstineat se, aut ab vsu coniugali, aut à deliciis quibuslibet, vel cibi, vel potus, vsúsque ad præfinitum tempus, & violauerit quocunque lapsu, dies præteritos ei non imputandos, sed vt ad initium redeat. Sic non sunt imputati Israëlitis illi dies, quos consumpserunt in Aegypto: sed quando ingemuerunt ad dominum, cõuersi ab operibus duris, & Dominus percussit primogenita Aegyptiorũ, qui eos seruire Domino non

Exod. 3. & 12. Gal. 4.

sinebãt, tunc audiuerunt: Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni. Sunt. n. quidam superstitionum dies, & menses, & anni: quos abrogat, cum reprehẽdit Apostolus. Sunt alij, quos præcepit deus, & imputat. Eramus & nos aliquando in Aegypto nescientes Deum, ac luminis & veritatis ignari: quos vrgebant immũdi spiritus veri Aegyptij, laterem facere, terrenis videlicet inseruire figmentis: At vbi conuersi ad Deum sumus, reclamantes ab operibus duris, verberati sunt Aegyptij multiplicibus plagis, & primitiua eorum percussa sunt. Salus enim nostra dæmonũ pœna est. Nos autẽ

Salus hominũ, pœna dæmonum.

respiranimus, & viuificati sumus: neque enim viuebamus prius in illis diebus, quibus mortui mortuos colebamus. Tunc igitur opportunè audiuimus. Mẽsis hic vobis initium mensium, primus est in mensi-

Psal. 117

bus anni, quando nouus nobis illuxit dies, ille quẽ fecit Dominus, quãdo cognouimus mensem nouorum, sanctũ, & annum Domini acceptũ, & diem retributionis. Opportunius autẽ congruit expositio

Catechumenis primitiua tã tum, Baptisatis verò totus exercitus Dæmonũ perit.

ista fidelibus: Nam Catechumenis adhuc tantũ primitiua dæmonũ sunt interfecta, his verò, qui ad gratiam merentur baptismi cœlestis accedere totus exercitus Diaboli submergitur, ac necatur, vt verè ac meritò audiãt in Christo renati: Mẽsis hic vobis initium mensũ primus est in mẽsibus anni. Cõgruit & pœnitentibus hæc explanatio, quos iterũ tenebræ criminum, & Aegypti huius caligo possederat. Nam si ingemiscant ad Dñm respicientes, & fugientes ab operibus nequissimis tenebrarum, lumẽ cœlestis in-

A dulgentiæ consequentur, & ad æternã lucem redibunt, & salutem. Scriptũ est enim. Cum conuersus ingemueris, tũc saluus eris, & scies vbi eras, cũ confidebas in illis. Scies, inquit, vbi eras. Tunc enim se homo in erroribus Aegypti tenebrarum fuisse intelligit, cum ad lucẽ veritatis regreditur atque iustitiæ. Potest etiã pio sensu, hæc eadem oratio accipi, de illa luce perpetua, quæ post consummationem sæculi iustis ac fidelibus tribuetur: quando penitus fuerit deuicta mortis nox à sole iustitiæ, vt tunc audiant: Mẽsis hic vobis initiũ mensium, primus est in mẽsibus anni: tunc vtique, quãdo interibit tota potestas Aegyptiorũ, & liberati de hac Aegypto verũ manna co-

Dies lucis perpetuæ. Ps. 62.

B medemus, & de petra ipso Christo bibemus, adhærentes Agni immaculati vestigiis, ac dicẽtes: Adhæsit anima mea post te, me verò suscepit dextra tua. Et ideò, sanctus quisque adhuc in sæculo constitutus suspirat ad illam, quã mundus modò capere nó potest. Futurã lucẽ, dicens: Sitiuit anima mea ad Dñm

Psal. 41.

viuũ, quando veniam & apparebo ante faciem Dñi?

1. Cor. 13

Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, ait S. Apostolus: tũ autem facie ad faciem, & modo quidem ad comparationem Iudæorũ atque Gentilium, qui in profunda nocte incredulitatis demersi noscũtur, & ad eorum cõparationem, qui in hæresẽon caligine ac nocte luxuriæ demorãtur, nos videmur es-

C se, & planè sumus in luce, sed ipsi dies nostri, quibusdam nebulis prætexuntur, & non habent serenitatis lætitiã, dicente Propheta, Dies mei sicut vmbra declinauerũt: Ibi verò erit nobis ipse Dominus lumen

Psal. 101.

æternũ, vt iam non tantum in vmbra eius saluemur, sed viuamus semper in spendore claritatis eius, cui omnis honor, virtus & gloria cum Patre & Spiritu sancto, ante omnia, & nunc, & semper, & in cuncta sæcula sæculorum, Amen.

SECVNDVS TRACTATVS, A REGRESSIS FONTE NEOPHYTIS DE ratione Sacramentorum, quæ catechumenos audire non cogruit: Licet eadem scripta in Euangeliis patere omnibus videantur.

D

Resurrectio Christi hostes eius extinxit.

RESVRGENTE Christo à mortuis, vltio in Aegyptios per sacramẽtũ Baptismi facta est, paulescentibus inferis, ipse ad suscitationem sui corporis reuertẽte, inimici Dei, hostes quippe populi eius, extincti sunt. Clamat n. spiritus prophetalis: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiãt qui oderunt eũ, à facie eius: sicut deficit fumus, deficiãt: Sicut liquescit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie Dei, & iusti epulẽtur. Redẽptionẽ misit pius pater populo suo, me-

Psal. 67.

mor testamẽti sancti sui, quod disposuit patribus nostris, Abrahæ & semini eius in sæcula. Potens enim

Luc. 1.

E Deus suscitauit de lapidibus istis, quondã durissimis

Mat. 3.

gentibus, filios Abrahæ. Nunc dicant omnes qui redimuntur à Domino, quos redemit de manu inimicorum, de regionibus cõgregauit eos, à solis ortu &

Luc. 3.

occasu, ab aquilone & mari: Quoniã bonus, quoniã in sæculũ misericordia eius. Nã in exitu illius Israël

Psal. 106.

de Aegypto, domus Iacob de populo Barbaro, Iudæa tãtùm facta est Sãctificatio eius: nunc aũt beati oẽs

Psal. 113.

qui timent dñm, qui ambulãt inviis eius. Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Idẽ nam-

Psal. 31.

que Dominus, diues in oẽs qui inuocant illũ. Quia sicut scriptũ est: Omnis quicũque inuocat nomẽ dñi

Rom. 10.

saluus

Pascha Verum.

saluus erit. Quotquot igitur inuocãtes dominũ salutem recipimus extinctis Aegyptiis, discamus mãducare Pascha, non sicut insipientes Iudæi, qui post aduentum veritatis adhuc vmbram sequuntur, quem quisque per vnam quamque domum, quartadecima die mensis primi occidens & comedens. Ex quo enim venit, cuius vmbra fuerat ista ouis (verus ille Agnus Dei, Dominus Iesus, qui tollit peccata mundi,

Io. 1. & 6.

& dixit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis) frustra iam Iudæi carnaliter exercent, quod nisi nobiscum spiritualiter fecerint, habere in se

Rom. 7. 1. Cor. 5.

vitam non potuerunt. Lex enim spiritualis est, vt ait Apostolus: & Pascha nostrum immola-

Exod. 12.

B tus est Christus. Quæ verò virtutes præfiguratæ sunt spirituales in ipsa historia Exodi, vbi celebratio Paschæ narratur, qui sit decimus dies, qui quartusdecimus, quæ immolatio pefecti, masculi, anniculi agni ad vesperam, qui sanguis liniendus in postibus, quæ conuocatio vicinorum, quæ calceamenta, qui baculi, quod fermentum, quæ azymæ, necesse est vt adiuuante Domino, à die, crastina incipiamus exponere. Modò autem ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessariò tamen sunt aperienda Neophytis. In vmbra illius legalis Paschæ non vnus agnus occidebatur, sed plures. Singuli. n. occi-

C debantur per domos: nam sufficere vnus non poterat vniuersis, quoniam figura erat, non proprietas dominicæ passionis, Figura & eẽ nõ est veritas, sed imitatio veritatis. Nam & homo ad imaginem Dei factus est. Nec tamen idcirco Deus est: Tametsi ea

Figura quid.

ratione, qua imago Dei dicitur, dicatur & deus, quomodo natura vnus deus est, positione plures.

Idem Agnus per singulas Ecclesias consecratus, immolatur.

Ergo in hac veritate, qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est. Et idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat cõsecratus. Hæc agni caro, Hic sanguis est. Panis enim qui de

D Cœlo descendit, ait: Panis quẽ ego dabo, caro mea est pro sæculi vita. Rectè etiam vini specie tũ sanguis eius exprimitur, quia cũ ipse in Euangelio dicit:

Io. 6.

Ego sum vitis vera: satis declarat, sanguinem suũ esse omne vinum, quod in figura passionis eius offertur,

Sanguis Christi in specie vini, exprimitur, & offertur.

vnde beatissimus patriarcha Iacob de Christo prophetauerat dicens: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum. Stolam quippe nostri corporis indumentũ suo proprio erat sanguine

Gen. 49.

abluturus. Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panẽ, de pane rursus (quia & potest & promisit) efficit propriũ corpus. Et qui

Christus de pane efficit pro prium corpus, quia potest & promisit.

E de aqua vinũ fecit, & de vino sanguinem suũ. Qualiter itaque manducari debeat Agnus iste, ex ipsa lectione debemus aduertere. Non ederis quid ab eo crudum, neque coctũ in aqua, sed assatũ igni. Caput cũ pedibus & interaneis. Duæ sunt spirituales intelligentiæ in his dictis, quarum si vnam sequaris, ambas noueris. Omne corpus diuinæ scripturę, tam veteris quàm noui Testamenti, filiũm dei continet, vel

Scriptura

venturum promittens in hominem, vel iam venisse declarãs. Vnde B. Philippus inuẽtus à Christo, inuenit Nathanael, & dicit ei: Quẽ scripsit Moyses in lege & pphetis, inuenim⁹ Iesũ filiũ Ioseph à Nazareth.

Io. 1.

& quid plura, charissimi, in ipso continetur oĩs lex, Et vetus & noua: & vt sic dixerim, ipse est anima legis. Ipse enim per Moysen loquutus est, cùm dixit illi:

Christus est anima legis. Esa. 52.

Ego aperiã os tuum, & inspirabo quæ debeas loqui. Ipse & per Prophetas, cum dicit: Qui loquebar in Prophetis, Ecce adsum. Ipse etiã per Apostolos, cũ

2. Cor. 13

dicit Paulus: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Has igitur immaculati Agni carnes, id est, doctrinæ eius viscera, neque cruda sine interpretatione sumi oportet, neque cocta in aqua, id est eorum dissertione dissoluta atque decocta, qui velut aqua deorsum fluũt, nihil supernum sentientes, sed assata, inquit, igni, id est, spiritu diuino solidata atque tosta. Ignis enim sursum versum tẽdit. Vnde dicebat dominus Iudæis: Vos de in-

Io. 7.

feriotibus estis, ego de supernis sum. Ergo quoniam membra Agni Dei scripturas eius diximus, videamus quid est caput cum pedibus & interaneis, videlicet vt in capite diuinitatem accipias, in quatuor Euangelistarum testimonio: pedes ad incorporatio-

Ritus cõmestionis Agni, mystice explicantur.

nem sumimus, circa finem sęculi celebratam. Pedes enim extremæ partes sunt corporis: in interaneis autẽ percipias occulta mysteria. Et non relinquetis, inquit, ex eo vsque in mane, & os non confringetis ex eo. Quæ autem superfuerunt ex eo vsque in ma-

Exod. 12.

ne, igne cremabitis: hoc est, si qua mysteriorum superauerint, in mane illius futuræ Resurrectionis manifestanda: quæ capere modò non possumus. Modò enim scio ex parte, inquit, Apostolus: tunc autem co-

1. Cor. 13.

gnoscam, sicut & cognitus sum. Hæc igni cremanda

C sunt: id est, diuino tradẽda spiritu: vt, ea quorum rationem modò non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur. Quod autẽ dixit, Os non conteretis ex eo: hoc præcipit, vt omne quod est in Scripturis robustius atque validius, non comminuatur, neque quasseture, sed solidum maneat, quod præceptum non custodientes, meritò Væ excipiunt ab eo, cuius ossa comminuunt. Væ vobis, inquit, Scribæ & Pha-

Mat. 23.

risæi, hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum & cyminum, & reliquistis quæ fortiora sunt, legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc sunt ossa Agni. Et alibi ad ipsos: irritum facitis, inquit, verbũ Dei, vt traditiones vestras statuatis. Adiicit verò

Hier. 1.

Deus in Exodo superioribus dictis, hæc. Sic autem comedetis illum ignum, videlicet, lumbi vestri præcincti, & calciamẽta vestra in pedibus vestris, & baculi in manibus vestris, & edetis illud festinanter: Pascha enim est Domini. De calciamentis & baculis longa ratio est quæ alio tempore differetur. De

Job. 38. & 40.

præcinctione lumborum, quod frequenter à me latius dictum est, breuiter nunc dicetur. Scribitur in Hieremia: Et tu præcinge lũbos tuos, & dices ad populũ, &c. Et ad sanctũ Iob: Præcinge tanquã vir lũbos tuos: interrogabo aũt te, tuverò respõdeas mihi:

Luc. 12.

Vbi eras cũ ego fundarẽ terram: & reliqua. Apostoli quoq; audiunt: sint lũbi vestri præcincti. & cur istud

Luc. 3.

tãtopere iubeatur, in Ioãne Baptista cognoscitur, qui zona pellicea præcinctus erat circa lũbos suos. Lũborũ ratio quæ sit, significat Apostolus ad Hebræos:

Heb. 7.

Adhuc, inquit, in lũbis patris erat Leui: id est, sacerdotali genere, quãdo occurrit ille Melchisedech. Illi: Cui: Sancto vtique Abrahæ. Zona ergo pellicea circa lũbos, mortificationẽ significat vitiorũ. Pellis eẽ

Zona pellicea, mortificationis vitiorum.

quæ aptatur in vsum, non nisi mortui animãtis est. Oportet ergo nos ex pcepto dei mortificate prius

tificatio cõcupiscẽtias carnis, & sic accipere corp⁹ Christi, qui nẽ *signat* p nobis seruiẽtib⁹ in Aegypto, est immolat⁹. Propter qđ pbet se homo, vt ait Apostol⁹, & sic de isto pane

1. Cor. 11.

mãducet, & de calice bibat. Quod aũt dicit, cũ festi-

Festinatio quid. natione illud manducandum: præcipit, ne lento corde, & ore languido, Sacramentum Dominici corporis sumamus, & sanguinis: sed cum omni auiditate animi, quasi verè esurientes & sitientes iustitiam, Beati.n. (Dicit Dominus Iesus) qui esuriūt & sitiunt iustitiam, *Mat. 5.* quia ipsi saturabūtur. Concludens aūt proposita lectio præclara. quæ dixerat, fine dignissimo: Pascha est enim Dñi. O altitudo diuitiarum, & sapiētiæ *Rom. 11.* & scientiæ Dei. Pascha est, inquit, Domini: hoc est, transitus Domini, ne terrenum putes, quod cœleste *Panis trāsit in corpus christi.* effectum est, per eum qui transit in illud, & fecit illud suū corpus & sanguinem. Nam quod suprà generaliter exposuimus edēda de carne Agni, specialiter in degustandis seruandum est iisdem mysteriis Dominicæ passionis: vt neque crudā carnem, crudúmque sanguinem, sicut Iudæus, esse putes, & respuas dicēs, *Io. 6.* Quomodo potest iste dare carnem suam manducare? neque in olla cordis carnei, humoribus per naturam semper obnoxij, ipsum decoquas sacramentū: Commune illud ac terrenū esse existimās. Sed vt per ignem diuini Spiritus id effectum, quod annūciatum est, credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cū panem *Mat. 24. Luc. 22.* consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus. Credamus quæso, cui credidimus. Nescit mendaciū Veritas. Ideo cum de corpore suo manducando, & *Io. 6.* sanguine suo bibendo turbis loqueretur stupentibus ac mussitantibus: Durus est hic sermo, & quis eū potest audire? vt abstergeret per ignē cœlestem eas cogitationes, quas vitandas esse prædixi, sic adiecit: Spiritus est, qui viuificat, nam caro nihil prodest. Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Et idcirco caput Diuinitatis eius, cum pedibus incorporationis, & interioribus simul iubemur manducare mysteriis: vt pariter vniuersa, quemadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit, etiam nunc in vniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur: quoniam Deus noster ignis consumens est, pur- *Heb. 12.* gans, erudiens, & illuminans corda nostra ad intelligentiam diuinorum: vt & ipsius à Christo instituti *Eucharistia est Sacrificium institutū à christo.* sacrificij cœlestis causam rationémque noscamus inenarrabili dono eius, sine fine gratias relaturi. Nā vere istud est hæreditarium munus testamenti eius noui, quod vobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc seculo recedentes, vnde dicebat idem *Io. 6.* Dominus: Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis. Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriæ passionis, & ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos & Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, vt indesinenter *Discipuli christi, primarij sunt Ecclesiæ Sacerdotes.* ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsque quo iterū Christus de Cœlis adueniat, quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie & gerentes in manibus *1. Cor. 11.* ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostræ indelebili memoria teneamus, & contra venena Diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur. Sicut Spiritus sanctus hortatur: *Ore & pectore christum sumimus.* Gustate & videte quoniam suauis Dominus. Quòd *Psal. 32.* autem sacramenta corporis sui & sanguinis in specie panis & vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primùm, vt immaculatus Dei agnus hostiā mūdā mūdato populo traderet celebrandā, sine vstione, si- *Oblationis corporis christi duplex ratio.* ne sanguine, sine brodio.i. iure carnium, & quæ omnibus ad offerendum prompta esset, ac facilis. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, & per ignem necesse est consummari: rationabiliter in eo figura accipitur corporis Christi, qui nouimus ex multitudine totius humani generis vnum esse corpus effectum, per ignem sancti Spiritus consummatum. Na- *Mat. 3.* tus est enim de Spiritu sancto, qui super eum in figura columbæ descenderat, inde ab Iordane regreditur, testante Euangelista. Iesus autem plenus Spiritu sancto, & quoniam sic eū decebat implere omnem iustitiam, aquas Baptismi, vt consecraret ingreditur, & exinde plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane. Similiter & sanguinis eius vinum ex pluribus acinis, id est, vuis vineæ ab ipso plantatæ collectum, in torculari Crucis exprimitur, & per capacia vasa fideli corde sumentium propria virtute feruescit. Hoc sacrificium Paschæ Saluatoris, omnes de potestate Ægypti & Pharaonis Diaboli exeuntes, tota nobiscum religiosi cordis auiditate percipite, vt ab ipso Domino nostro Iesu Christo, quem sa- *Christus adest suis sacramentis.* cramentis suis inesse credimus, viscerum nostrorum sanctificētur interna: cuius virtus inæstimabilis permanet in omnia sæcula.

DE EADEM LECTIONE TRACTATVS TERTIVS: PRIMA Dominica Paschæ.

DEVS loquitur per Prophetam: Ecce ego *Esa. 66.* facio cœlum nouum, & terram nouam, & Luna lucebit sicut Sol, & Sol septies tantum. Quamuis elementorum futuram renouationem prædicet post huius sæculi finem, ipsa vtique creatura, vt ait Apostolus, liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Neq; enī Charissimi, vel elemēta sic deficiūt, vt *Rom. 8.* nō sint: vel nos sic moriemur, vt nō meliorati surgamus: tamē & hoc die, pmissionē Dñi cernimus esse *Christus plus hodie lucet, quā antea.* cōpletā, renouatas ad instar cœli & terræ Neophytorū animas intuentes, & corpora, Lunā quoq; .i. Ecclesiā, q̄ in pace crescit, in persequutione minuitur. Minuitur aūt globo plenitudinis, nō lumine claritatis, nunc eā sicut Solē cernimus per totum splēdore orbē. Cæterùm ꝙ Sol iustitiæ Christus septies tantū *Io. 1.* terris hodie luceat, q̄ lucebat radij eius testes sunt, qui illumināt omnē hominē venientē in hūc mundū. Nunc enī coruscat ex ipso igneus ipse Spiritus septiformis, qui velut ignis sedit super Apostolos, & *Act. 1.* ardet hodie in vnoquoq; credentiū. Nā priusquā pateretur ac resurgeret Christus, notus erat tantū in Iudæa Deus: nūc in oēs gētes fulgor claritatis Domini- *Psal. 75.* cę pertrāsit. A summo.n. cœli egressio eius, & occursus eius vsq; ad summū eius, nec est, qui se abscōdat à calore eius. Ergo quoniā reparatus est hodie Mūdus, *Psal. 18.* agamus exultantes natalē reformationis mundi. Hic est dies quem fecit Dñs exultemus & lætemur in eo. Mundi

eo. Mūdi verò natalem cum dico, nostrum dico, qui renati sumus in Christo, qui eramus antè viuentes quidem peccato, mortui autem iustitiæ, & nunc iniquitatibus criminum mortui pristinorum, viuere Deo iam cœpimus, conformes effecti primum mortis, deinde resurrectionis Christi. Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem, vt quēadmodum Christus resurrexit à mortuis: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, diem festum celebrantes, & gloriantes in cruce Domini nostri Iesu Christi. Quia acceptus decima die mensis primi, quartadecima die ad vesperum mundi à Iudæis immolatus est. Sed quid significet ille decimus dies, quid quartusdecimus, vt promissioni hesternæ satis faciam, prout Dominus largiri dignabitur, explanabo. Ait *Exod. 12.* Deus sancto Moysi: loquere ad omnem synagogam filiorum Israel, dicens: Decima mensis huius sumat vnusquisque ouem per domos familiarum, ouem per singulas domos, quòd si pauci erunt in domo, ita vt non sufficiant ad ouem, adsumet secum vicinum proximum suum secundum numerum animarum, vnusquisque quod sufficiat sibi computabit, in agno, agnus autē perfectus, masculus, anniculus erit vobis ab agnis & hædis sumetis, & erit vobis seruatus vsque in quartā decimā mensis huius, & occident illum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperum & sument de sanguine, & imponent super *Ritus mādueandi agnum vmbræ erant futurorum.* duos postes, & super limen in domibus in quibus manducaturi sunt eum. Multiformis sapientia Dei. Ita per legem loquitur, vt iisdem dictis futura prænunciet, quibus fieri salubriter iubet instantia. Iudæos tunc in his obseruationibus secuturæ veritatis vmbra saluauit: significans pariter, quod eorum posteri beneficiorum immemores diuinorum, ipsum aduenientem trucidaturi essent, cuius sub vmbra saluati sunt. Ab ipsis.n. Christus, in hunc mundum veniens: *Isa. 53.* Sicut ouis ad victimam ductus est. Cuius agni *Postes.* nos sanguinem, signū videlicet passionis, vel in duo- *Dies.* bus postibus, seu fide & opere, seu corde & ore, vel in liminaribus habentes nostrarum fontium, ab om- *Vesper.* ni incursu sæuiētis plagę protegimur. Quod autem decima die agnus accipitur, & quartadecima immo- *Matt. 27.* latur, hoc significari perspicio: quia Iudæorum populus filium Dei in Decalogo legis acceptum, & post transmigrationem Babylonis, sicut scriptū est, quartadecima generatione nascentem, crucifixurus esset ad vesperum. Ad vesperum autem, siue huius mundi, quia nouissimis temporibus sæculi passus est: siue etiam ad ipsius solis occasum, quoniam Crucifixo Domino occidit Sol. Meridie namque, ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Quid potuit esse tam vesperum? Nec illud ociosum putes, quod cum superius impe- *Mors Christi prædicta quidē sed nō iussa fuit.* ratiuo modo dictum sit, sumant ouem per domos: infrà indicatiuo modo pronūcietur: Occident eum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperam. Occident ait: non occidant: Synagoga quippe Iudæorum, quod erat crudeliter factura, prædictum est: non, vt fieret, iussum est: nec ideo factum est, quia *Præscientia stat cū libertate arbitrij.* prædictum erat, sed ideò prędictum est, quia erat futurum, vt præscientiam suam Deus in his, quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrij, quia voluerunt Iudæi facere quod fecerunt: & vtique si voluissent, nō fecissent. Certè ingentis sacrilegij est vel cogitare, quod Deus, qui non solum bonus & iustus, sed ipsa bonitas est, & ipsa iustitia, vel iubeat aliquid, vel cogat fieri, quod factum damnet. An fortasse putamus *Rom. 11.* quia si pœnituissent Israelitę, aliter omnipotens fi- *Matth. 11.* lius Dei saluare non potuerit mundum? Quis enim *Luc. 10.* cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Considera in Euangelio, quomodo expectauerit Christus pœnitentiam Iudæorum: vbi exprobrat ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quod nō egerint pœnitentiam: Væ tibi, inquit, Chorozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim vtique in cilicio & cinere sedentes pœnitentiā egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capernaū, quæ vsque in cœlum extolleris, vsque in infernū demergeris, inquit, quia si in Sodomis factę fuissent virtutes quę factæ sunt in te, mansissent vtique vsque in hodiernum diem. Sed tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, *Libertas arbitrij:* quàm vobis. Præscientia quidem Dei non fallitur, sed nec homini concessa semel voluntatis libertas *Rom. 4.* aufertur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo. Pertinaciā mali damnat Deus, conuersionem pœnitentis amplectitur. Sed dicat: Nunquid mentiri potuit Deus, qui facturos eos prędixerit, quod fecerunt? Quanta sit virtus omnipotentiæ eius, non consequimur, qui vocat ea quę non sunt, tanquā quę sint. Mentiri eum putaremus potuisse, si *Ionæ. 3.* ea quę prędixit, impleta non fuissent. Ergo & Niniuitis mentitus est? Dixit enim, adhuc triduum & Niniue euertetur: & euersa non est, quia pœnitentiam egit in prædicatione Ionæ. Sed intellige. Sermo Dei gladius est ex vtraque parte acutus. Niniue aliter euertenda fuerat, & euersa est: aliter euertenda fuerit excidio, si permansisset in sua nequitia. Euersa est iniquitas eius, quia pœnituit. Sicut distat Cælum à terra, dicit Deus hominibus: ita distant sensus mei à *Heb. 4.* sensibus vestris, & cogitationes meæ à cogitationi- *Isa. 55.* bus vestris. Scriptum est, Altiora te ne quæsieris, & *Eccl. 3.* sublimiora te ne scrutatus fueris. Multos enī supplātauit suspicio eorum. Iustum itaque Dominum, Charissime, & verum & pium, in omnibus dictis atque operibus suis, vt perfectam sapientiam consequaris. Agnus enim perfectus, masculus, inquit, anniculus erit vobis: vt nihil mediocre de perfecto sentias, nihil infirmum de masculo, nihil de anniculo semi plenum: perfectus est, quia in eo habitauit om- *Collo. 2.* nis plenitudo diuinitatis corporaliter. Masculus est: *Mystica agni interpretatio de Christo Domino* quippe quia vir nasci dignatus est ex virgine, vt sexui vtrique consuleret. Anniculus est: quia post illud Baptismum quod pro nobis in Iordane susceperat, vsque ad passionis suæ diem vnius anni tēpus impletur, & ea tantum scripta sunt in Euangeliis, quæ in illo anno vel docuit, vel fecit, nec ipsa tamen omnia. Sic enim dicit Euangelista Ioannes: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, eorum quippe, quos post baptismum scribitur elegisse, quæ non sunt, inquit, scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus *Io. 21.* est Christus filius Dei, & vt credentes vitam æternā habeatis in nomine eius. De his autem quæ ante illum gessit annum, sic idem Ioannes in postremis sermonibus libri testatur: Sunt autem & multa alia quę fecit Iesus, quę si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos libros qui scriberentur. Solus planè Lucas Euangelista memorauit præ-

teriens, quod duodecim annorum præditus Dominus Ieſus, in templo repertus ſit à parentibus, ſedẽs in medio doctorum, audiens eos, & interrogans: & quod dixerit parentibus: Quid quærebatis me? neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Hic eſt annus Domini acceptus, quem de Eſaiæ libro ex perſona ſua ſcriptum in Synagoga legens Dominus Ieſus ait: Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris. Hic eſt annus, cuius coronam, victorialem quippe circulũ, operibus bonitatis Chriſti benedicendum Propheta lętus nunciauit in Pſalmo: Benedices, inquit, Coronam anni benignitatis tuę, & campi tui replebuntur vbertate. Corda nempe credentium populorum, percepto ſemine verbi Vitæ, fructu etiam centeſimo redundabunt: Quod ſi cui cruce ſimul cum Chriſto pendentium latronum fractis cruribus, Ideò Saluatoris crura nõ fracta ſunt ſicuti ſanctus Euangeliſta teſtatur, vt Scriptura impleretur, quę ait, Os non confringetur ex eo: Debuit iuxta prædictam rationem, Agnus iſte Dei anniculus immolari, vt omnia quę de illo ſcripta ſunt, complerentur in ipſo: Cui eſt omnis honor, virtus & gloria, cum Patre & cum Spiritu S. ante omnia, & nunc & ſemper. & in cuncta ſęcula. Amen.

Luc. 3.

Pſal. 64.

Io. 19.

QVARTVS TRACTATVS DE LECTIONE EXODI.

Chriſti aduentum legis ceſſauerunt.

Rom. 10.

Galat. 4.

Exod. 12.

Lex ſpiritualiter intelligenda eſt.

Matt. 25

Matt. 27.

Iſa. 3.

Iudæi ſeditioſi & homicidæ.

Io. 20.

Luc. 24.

Vocatio gentium, & repro batio Iudæorum.

3. Reg. 19

Rom. 11.

Iſa. 1.

Rom. 8.

Delectus eſcarum.

Luc. 19.

Matth. 8.

SArnalem Iudaicę Paſchæ obſeruantiam, ſpiritualibus typis refertam, trino iam Tractatu docuimus: ſemel heſterno die, & bis in vigiliis, allocuti charitatẽ veſtrã: euidenter probantes, quod immolatio carnis & ſanguinis vmbraliter iuſſa, rectè ceſſauerit, aduenientę agno Dei Chriſto, qui iuxta Apoſtolum, finis legis eſt, ad iuſtitiam omni credenti. Nam & ipſe beatiſſimus Paulus, cum eſſet adhuc in Ægypto, cum Iudęis paſcha ritu Iudaico celebrabat? Sed poſtquam placuit ei qui ſegregauit me de vtero Matris meæ, (inquit) & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filiũ ſuum in me, continuò non adquieui, ait, carni & ſanguini. Ergo, quoniam non oportet rebus carnalibus immorari eum, cui filius Dei fuerit reuelatus, quæramus reliquas myſteriorum ſpiritualium partes in viſceribus propoſitæ lectionis. Ab agnis, inquit, & hædis ſumetis. Hinc aduertere Iudæi debuerant, legem Dei ſpiritualiter intelligendam: quoniam ab agnis & hædis ſumendum legerunt, Agnum qui immolandus erat, cum ſit iſtud naturæ cõtrarium, vt ſi agnus eſt, ab agnis ſit pariter & ab hædis. Sed hæc eſt omnis ratio in ambiguitate ſermonis, quod iſte immaculatus Agnus Dominus Ieſus, & iuſtorum & peccatorum carnem ſuſcipere ſit dignatus ex Virgine, corpus enim non ſolum de Patriarchis & Prophetis, ſex ex totius humani generis maſſa ſuſcepit. Iuſtos autem comparari agnis, & peccatores hædis, ipſe in euangelio declarauit, dicens agnos à dextris vocandos: Venite benedicti: hædos à ſiniſtris pellendos, diſcedite maledicti. Hunc ergo ab agnis & hædis ſumptum, omnis multitudo Synagogæ filiorum Iſrael interfecit: cum clamarunt omnes Pilato: Crucifige eum, Cæterum, iuxtà hiſtoriam legalis Paſchę, non omnis Synagoga occidebat vnum, ſed pauci ſingulos per vnamquanque domum. Ibi verò principes ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populo, vt peterent concedi latronem Barrabam, Ieſum verò perderent. Perdiderunt enim Saluatorem Chriſtum, & ex ore ſuo iudicati ſunt, vt moreretur in eis verbum Dei, id eſt eloquium Prophetarum, per quos ipſe loquutus eſt: & ſicut ſcriptum eſt in Prophetis, deficerent in eis ſapientes, viueret verò in illis Barrabas ille latro Diabolus, quem tantopere poposcerunt. Quod autem viuat in illis ſeditioſus ille & homicida, ſeditiones ipſę teſtantur, quas contra Apoſtolos commouerunt. Et quas nunc vſque contra omnes ſanctos exercere non deſinunt, vbi tempus inuenerint. Nobis viuit Chriſtus. Reſurrexit enim nobis, quia non eſt vltra viſus Iudæis, neque intrauit poſt reſurrectionem Synagogam Iudęorum, ſed ad congregatos diſcipulos introiuit. Ingreditur ad nos, qui ſumus in domo Eccleſiæ congregati, & oſtendit nobis venerandi ſui corporis veritatem, ſi tamen vel meruimus, vel meremur eius eſſe diſcipuli. Etenim B. Apoſtoli, quibus verè commiſſum eſt præparare in ſuperioribus Paſcha Domini, quoniam paucos viderunt ex Iudæis in domo Eccleſiæ, qui non ſufficerent ad conſummandum Paſchæ ſacrificium, conuocauerunt vicinos ex gentibus ſecundum quod præceptum fuerat in lege: Quod ſi pauca erunt, inquit, in domo, ita vt non ſufficiant ad ouem, adſumet ſecum vicinum proximum ſuum & cætera. Nam verè non ſufficiebãt ad eum, qui pro totius mundi peccatis mori ſuſtinuit. Pauci.n. crediderunt ex Iudæis in Ieſum Dominum, vnde Apoſtolus ita, inquit: In hoc tempore non dubium, quod ſicut hoc tempore Heliæ, cui ait Deus: Reliqui mihi ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, ita ergo, inquit, in hoc tempore, ſub aduentu quippe Chriſti, reliquiæ ſecundum electionẽ Gratiæ ſaluæ factæ ſunt: ex populo vtique Iudæorũ: de tanta enim multitudine, vix pauci ad Chriſti fidẽ inueniuntur fuiſſe conuerſi. Propter quod & de iſtis reliquiis Domini, miſericordiæ Dei, Eſaias Propheta teſtatur dicens: Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra, ſimiles fuiſſemus. Vos igitur Neophyti, qui eſtis ad beatæ huius ac ſpiritualis Paſchę epulas inuitati, videte quomodo ab omni pollutione eſcarum, quas ſuperſtitio Gentilis infecerit, veſtras animas conſeruetis. Nec ſufficit, vt à mortifero dęmonum cibo vitam ſuam cuſtodiat Chriſtianus: ſed vt omnia abominamenta Gentilium & omnes idololatrię tramites, ſicut quędam ſerpentis Diaboli venena, diffugiat. Partes enim idololatrię ſunt, veneficia, prędcantationes, ſuballigaturę, vanitates, auguria, ſortes, obſeruatio omnium, parentalia, parentalia inquam, vnde. Idololatrię malum extulit caput erroris. Nam gulę ſuę cauſa, primum cœperunt homines prandia mortuis prępparare, quę ipſi comederent, poſt hoc etiam ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare: quamuis nec ipſi mortuis ſuis minus ſacrificent parentalia, dum ſuper ſepulchrorum mẽſas tre mulis ebrietate manibus vina fundentes, ſpiritum balbutiunt. Cauete quęſo ab his omnibus, ne indignatus Deus, contemptores & inimicos ſuos, qui noluerunt eum regnare ſuper ſe, tradat illis inferni tortoribus, illic erit fletus & ſtridor dentium. Seruate Neophyti ornamentũ gratię ſalutaris: Sobrij eſtote per omnia, ne illud inebriati perdatis: ſolliciti conuenite ad Eccleſiam, orationibus, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus, nobiſcum vigilanter intumbite. Hęc ſint ocij veſtri opera, quibus debitum reddentes

dentes Chriſto Domino famulatum, mercedem vitę ęternę conſequi ab ipſo poſſitis. Sint igitur conuiuia veſtra ſobria, caſta cubilia: ſit modeſtus animꝰ, ſermo placidus, mitis inceſſus: orate, vt beneficia gratiæ ſuæ Deus conſeruet in nobis, & fides veſtra magis magiſque proficiat, largiente Chriſto Domino ſaluatore: cui vna virtus, eademque Diuinitas, cũ Patre & cum Spiritu ſancto ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſęcula. Amen.

Cõuiuia, cubilia, ſermones, inceſſus priorũ cuiuſmodi ſint.

QVINTVS TRACTATVS EXODI.

Vigiliæ nocturnæ.

Exo. 12.

Io. 1. Carnem Chriſti edere debemus.

Eph. 6. Calciamẽtorum myſtica interpretatio.

Matth. 5.

Matth. 25

Matth. 11

Calciamẽtorum myſtica expoſitio.

1. Cor. 13.

Io. 7.

Pſal. 49.

Matth 10

Luc. 10.

Mar. 6.

RDinem lectionis Exodi, vbi lex celebrandi Paſcha deſcribitur, idcirco præpoſtera uimus, vt myſteriis reſeruandis debitę reuerentiæ ordinem teneremus, quia oportebat in illa ſplendiſſima nocte vigiliarum, ſecundo tractatu non dictorum ſequentia, ſed congrua Neophytis explanari, vt edendi Paſchalis ſacrificij diſciplinam rudes Neophyti diſcerent, inſtructi fideles agnoſcerent. Quibus pariter & de habitu edentium vnam ſpeciem tempori aptam diſſerui, duas tam ipſis quàm Cathecumenis reſeruaui. Ait enim: Sic autem comedetis illum, id eſt agnũ. Lumbi veſtri præcincti. & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi in manibus veſtris. Tunc de præcinctione lumborum diximus: nunc de calciamentis & baculis exponamus. Quæ ideò hodie proponuntur, quia tunc ſequenti die & tertio illa prius, quæ de principiis lectionis conſultò prætermiſimus, neceſſe fuerit explicari. Agnus Dei verus, quem Ioannes Baptiſta demonſtrat, Chriſtus eſt: Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Huius carnem tam fideles in myſterio, quàm ſimul vniuerſi credentes in fide, ita debemus edere, noſtrique cordis interioribus commendare, vt non ſolum præcinctos habeamus caſtitate lumbos, verum etiam calciati ſimus, vt ait Apoſtolus, in præparatione Euangelij pacis. Sicut enim calciamenta terreſtria carnalium pedum munimina ſunt, & vel aſperitati frigoris, vel ſerpentum morſui vel ſpinarum reſiſtunt aculeis: ita Legis diuinæ præcepta, quibus greſſus noſtrarum mentium munire præcipimur, repugnant & ſerpenti Diabolo, & aſperrimo aquiloni Gentilium, & hæreticorum vndique compungentium ſpinis ac tribulis. Huiuſmodi ergo calciamentis vti debemus, quotquot Paſcha Dominicũ celebramus. Quoniam lex, vt Apoſtolus ait, ſpiritualis eſt: Et Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque & lumbi noſtri prędncti eſſe debent, & calciati pedes. Quid enim prodeſt homini, ſi ſolam corporis habeat caſtitatem, & incautus, & ſine inſtructione calciamentorum legalium, malis fuerit ſupradictis obnoxiꝰ: vel, quod quotidie in vſu eſt, cordis ſui calcaneum patens præbeat comeſtioni ſerpentum? Si cogitet mala, ſi concupiſcat aliena, dolum meditetur, ſi nutriat iram, ſi inſidietur proximo, ſi mendacio ſtudeat, ſi comedatur liuore, ſi tabeſcat inuidia, ſi venenato ore detrahat bonis: & dũ mendacis linguæ ſpiculo lacerare nititur innocentes, morſibus Dæmonum, qui per ipſum loquuntur, ipſe potius lanietur? Quid profuit prędcinctos habuiſſe lumbos, ſi diuinorum mandatorum calciamenta non ſeruans, greſſus cordis tui, id eſt, animæ tuæ baſes, crudeliſſimæ conciſioni tradideris? Contrarium forſitan videatur aliquibus, quod cum hic tãcopere calciatos eſſe debere à Deo iuſſum ſit, alibi ab eodẽ diuino iubeatur ſancto Moyſi, & ſancto Ioſue: Solue calceamenta de pedibus tuis. Ingens quidem ratio eſt, & multiplicium propoſitionum ambagibus prędtruenda: ſed quia breuitas congruit & prędcantis labori, & memoriæ auditoris nolo vos longius trahere. Ibi ſoluitur quæſtio, vbi calciamenta ſoluuntur, dum ſtatim cauſa adiicitur: ſolue, inquit, calciamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Oſtenditur ergo terra Ægypti, vbi datur prędceptio illa ſuperior, ſancta non eſſe: & ideo ibi habenda mandantur calciamenta, in ſancta autem terra decernuntur eſſe ſoluenda: quas tamen ob cauſas, euidenter eſt exponendum. Quamdiu in huius ſæculi Aegypto conuerſamur, oportet nos Paſcha Domini celebrantes, calciamẽtis vti ſanctarum ſcripturarum: quia tutus non poteſt eſſe greſſus noſter, niſi mandatis Dominicis contegatur, vſque quo intremus in illam ſanctam promiſſionis terram: quæ iuſtis eſt prępparata. Beati enim mites, ait Dominus Ieſus, quoniam ipſi poſſidebunt terram: non vtique iſtam terram quam poſſident peccatores, ſed illam in qua non ſunt ſpinę & tribuli. In qua non ſunt ſerpentes & ſcorpij, quippe vbi Diabolus cum cęteris immundis ſpiritibus nõ accedit. Erit enim tum vnà cum ſuis ſatellitibus, in igne ęterno, quem parauit Deus vtique Diabolo & Angelis eius. Habemus & Ioannem Baptiſtam qui dixerit de ſaluatore humani generis Domino Ieſu: Cuius ego non ſum dignus inquit, corrigiam calceamentorum ſoluere. Sed alia in Chriſto ratio eſt, ille non propter ſe calciatus eſt, ſed propter nos. Quoniam terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia. Calciamenta cum dicit greſſus oſtendit ſanctarum Scripturarum, quibus graditur & circuit notitia eius in omnes qui habitant ſuper terram. Et ideò Ioannes Baptiſta in Euãgelio negat vel idoneum ſe eſſe vel dignum, qui ſoluat corrigiam calciamentorum eius, id eſt ſermonẽ eius: ſiue vt ediſſerat vnum de mandatis eius: ſiue vt nudare valeat & euidenter oſtendere calciati adhuc in iſto ſeculo Verbi Dei veneranda veſtigia. Modò enim per ſpeculum videmus in ænigmate, inquit, tunc verò à facie ad faciem. Vbi non erit aliquid occultum, quod non reuelabitur: nec abſconditũ, quod non ſcietur, quando ad illum futurum diem feſtum Dominus Ieſus non ſicut ſub incredulis, quia in occulto aſcendit: ſed, ſicut ſcriptum eſt: Deus palàm veniet, & Deus noſter, & non ſilebit. Propterea & Apoſtoli in Euangeliis alibi prohibentur portare calciamẽta in via, dũ dicitur eis in Euãgelio Matth. à Domino: Nolite poſſidere aurum, neque argentũ, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam, dignus enim eſt operarius mercede ſua. Alibi autem iubentur habere, vt Marcus Euangeliſta deſcribit: Et circuibat, inquit, caſtella Ieſus docens: & conuocatis illis duodecim, miſit eos binos, dans illis poteſtatem fugare ſpiritus immundos: & prędcipiens illis, ne quid ſecum tollerent inviam niſi virgã tantum, non peram, non panem neque nummos in zonis, ſed calciatos caligulis: & ne induerẽt, ait, duas tunicas. Propter incredulos, & paruę fidei homines iubentur in via prędcationis calciamenta habere Apoſtoli, vt verbum Dei calciatum & contectum in myſterio, propter ſpinas & tribulos blaſphemantiũ prędcicent. Ad eos autem, qui fideli mente audiunt,

Ioſuæ. 5.

Exod. 3.

1. Cor. 10.

quasi iam in sancta terra,perfecti quippe cordis in fide,vbi nuda de Deo securi possent proferre Testimonia,iubentur non portare calciamenta: videlicet vt aperta figant illic vestigia Diuinitatis eius,& ideò beatus Petruscalciauit se in carcere calciamẽtis suis, & sic exiit iterum ad hostes Iudæos , & aduersarias potestates,vt calciati pedes in præpatione Euangelij calcaret super serpentes , & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et Moyses dicit in benedictionibus , vel ad vnumquemque fidelem,vel ad personam potius Christi: Ferrum,inquit, & æs calciamentum tuum vtique vt confringat capita draconum super aquas:Id est,vt conterat principatus Dæmonum, draconum qui sunt super aquas Gentilium populorum. Aquę verò,quod populis comparentur in Gentibus,in Apocalypsi reuelatur Ioannis:Aquę, inquit,quas vidisti:super quas sedet meretrix Babylon,populi & gentes sunt.

Opus mihi est & baculo,Pascha adhuc in Aegypto celebranti,vt si imitator sum S.Moysi,Hebræum meum,id est intellectum Israelitem , qui Deum videre promeruit, ab interitu liberem , percusso Aegyptio.Hoc propter seipsum quisque,quamdiu seruit legi. Si quis verò est Apostolicus,& per Iesum prostrato Aegyptio magnus factus, ac potẽs,non iã propter se baculum portat,sed propter eos quibus dici necesse est.Quid vultis,in virga veniam ad vos an in charitate & spiritu mansuetudinis? Portet & propter eos qui veniunt ad nos in vestimentis ouium,ab intus autem sunt lupi rapaces. Quod si lupus desinat esse lupus , & cum agno pascatur:vt ait Propheta.Et si leo desinens esse leo,cum boue man ducet paleas,baculo opus non est.Si enim feralium morum nequitia in tantam vertatur mansuetudinem,vt cum ouiculis innocentibus,ac mundis Christi operariis vitæ pabulum mites quærant& capiãt: & tales vtique sunt qui in Charitate & spiritu mansuetudinis ad perfectum debeant eruditi , dicitur à Christo Apostolicis quibusque sacerdotibus, vt neque baculos correptionum portent in via , quando in discipulis obedientibus ac modestis terram Sanctam possidere iam cœperint. Quod annuat de vobis pusillanimitati meæ saluator humani generis, Deus Dominus Iesus:Cui vna Deitas,eadẽque omnipotentia,cum patre&Spiritu sancto ante omnia, & nunc & semper,& in cuncta sęcula,Amen.

Act. 12.
Luc.10.
Deut. 33
Apoc.17
Baculi expositio.
1.Cor. 4
Matth.7.
Psal. 11.
Matth.10
Luc.10.

SEXTVS TRACTATVS DE EXODO.

Anacephalæosis superiorii

Vantum Deus Pater per virtutem suam, & spiritum suum , pro captu vitium nostrarum reuelare dignatus est , quantum Patris & Filij & Spiritus sancti coęqualis omnipotentia tribuit, quantum sempiterna ac sine principio Trinitas inspirauit , aperuimus dilectioni vestræ,à primis vigiliis Paschæ vsque in hanc diem, quæ esset ratio nominis libri Exodi, quæ virtus Paschæ,ibi obseruatio primum custodienda decernitur & quamobrem mensis iste,in quo Deus hoc obseruandum precipit , primus dicatur in mensibus anni , quæ esset Aegyptiis,quid significaret ille decim' vel quartus decimus dies,quis esset agnus immolationis,& cur assumendus esset ab ouibus & ab hædis quæ vespertina diei, quod illud limen , quid illi postes, quis ille sanguis & quam ob causam neque crudas carnes,neque in aqua coctas,sed assatas igni , & caput cum pedibus &interaneis festinanter comedere iubeantur,quod ex eo os non confringẽdum quę reliquiarum crematio , & quid mysterij figuratum sit,vel in calciamentis pedum in baculis manuum, vel in præcinctu lumborũ.Restat vt disseramus percussionem primitiuorum Aegypti,& azyma cum amaritudine:& septem dies azymorum:Transibo,inquit,in terra Aegypti hac nocte,& percutiam omne primogenitum in terra Aegypti,ab homine vsque ad pecus,& in omnibus diis Aegyptiorum faciam vindictam,ego Dominus:& erit sanguis vobis in signo in domibus,quibus vos eritis ibi: & videbo sanguinem,& protegam vos:& non erit in vobis plaga cõtritionis, cum percutio Aegyptum , & erit hic dies vobis in memoria.Percussit quidem Deus in illa nocte tunc temporis,primatus omnium Aegyptiorum sicut perMoysen comminatus fuerat Pharaoni,cum noluit dimittere populum Israel : quem populum, idemDominus primitiuum nuncupare filium digna batur,quando perculsi tantorum repente funerum strage Aegyptij,Israelitas , quos tanquam captiuos dudum relaxare noluerant,noctis medio expulerũt, sed quoniam multo maiora fecit idem Deus pro nostro populo,contra veros Aegyptios,& in nobis cõpleta sunt quæ tunc temporis vmbraliter contingebant:redemptionis nostræ memores, non debemus dona pietatis eius ingrato occultare silẽtio. Die qua immolatus est agnus Dei Dominus Iesus,ad vesperum,imminentibus quippe iam tenebris, quę statim crucifixo eo cooperuerant omnem terram:in illius diei nocte percussit primitiua Aegyptiorum Dæmonum:id est,simalacra hominum mortuorum,quæ ip si prima in hoc mundo creauerant,vt per ea colerẽtur. Sed cum ibi adiicitur:In omnibus diis Aegyptiorum faciam vindictam?Fortasse dicas qui sũt isti Aegyptiorum dij?Audi ergo. Non solum Dæmones Aegyptios esse , sed etiam cultores eorum, quicunque pertinaciter in incredulitate versantur,filij tenebrarum cum sunt, Aegyptij sunt : quoniam filij Aegyptiorum sunt.nam filij sunt Dæmonum. Vnde dicitur vniuersis incredulis:Vos de Diabolo patre nati estis.Sicut enim, quotquot spiritu Dei ducuntur, hi filij Dei sunt,secundum doctrinam Pauli Apostoli:Ita quoque quotquot spiritu Diaboli abducuntur, filij dæmoniorum sunt.Ideò autem scriptura diuina diabolum & exercitum eius Aegyptios nuncupat, quia à Deo qui lux est, alieni facti sunt,contra creatorem proprium rebellando.Nam sanctus Apostolus dicit:Quid mirum si Satanas transfigurat se in Angelum lucis?Probans vtique cum esse Angelum tenebrarum,qui se quasi Angelum lucis ostentare conetur, vt fallat. Simili ratione & omnes increduli aduersantes Deo,& à luce diuinitatis eius extorres Aegyptij appellantur,quos tamen hortatur ipse Dominus ad salutem, dicens:Dum habetis lucem, credite in lucem,vt filij lucis sitis.Itaque si voluntati fides potest eos filios lucis efficere: hoc quod tenebrarum filij sunt,vitium voluntatis est,non naturę.Nocte ergo qua corpus exanime relinquens in cruce Dei filius,transiit cum anima ad Aegyptum inferiorem,vt animas in Inferno positas visitaret:tunc fecit vindictam in omnes immundos spiritus Aegyptiorum Deos,interficiens in primogenitis vires principatus eorum.Nam passioni proximus dicit Dominus Iesus: Nunc iudicium est huius mundi: nunc huius

Exod.12.
Signum crucis Exod.12
Matth.9.
Dæmon maximè accẽditur, cum extinguitur
Exod. 15
Exod.12.
Rom. 10.
Aegyptij mystice qui sint.
Io.8.
Rom.8.
2.Cor. 11
Descẽsus Christi ad inferos.
Io.12.

huius mundi Princeps eiicitur foras: Et ego cum exaltatus fuero,omnia traham ad meipsum. Reuocauit itaque omnem creaturam suam ad se Dominus Iesus,quam sibi iniquissimi vsurpatores Diuinitatis rebelli spiritu manciparãt,vt ipsius ditioni subiecta essent omnia,per quem facta sunt vniuersa, & qui protexit ac proteget credentes in se à plaga contritionis,per signum crucis suæ,cum dicitur: Et erit vobis sanguis in signo in domibus , vos eritis ibi,& videbo sanguinem,& protegam vos . Quærendum tamen,priusquam transeamus ad cætera quæ sequũtur: quomodo dicat,Protegam vos, quasi ab alio exterminatore:& iterum Moyses: Transibit Dominus percutere , ait, Aegyptios , & videbit sanguinem in limine,& in vtrisque postibus&pertransibit ostium. Quid ergo est,Dominus transiit percutere Aegyptios in manu exterminatoris? Absit.Nam post pusillum dicit:Et non dimittet exterminatorem intrare in domos vestras.Si ipse percutit,quomodo dicitur. Non dimittet intrare exterminatorem ? Hoc itaque in textu ipsius lectionis solicitus Lector considera, quod vbi dicit : Percutiam Aegyptios: non dicit,ab exterminatore,vbi dicit Hebræos protegendos, nõ dicit ab eius plaga protegendos , qui percussit Aegyptios,sed ab exterminatoris.Exterminator autem non percutit Aegyptios , quorum amicus & princeps est:quoniam, sicut ait Dominus in Euangelio Marci beatissimi:si satanas insurrexit aduersus seipsum,diuisus est,inquit,facere non potest , finem habet.Sed vtique, charissimi, percutere vult exterminator Hebræos,Deo percutiente Aegyptios. Nam retributionem molitur in seruos Dei,satellites suos ab eo percussos indignans.Quoniam Diabolus tum maximè accenditur,cum extinguitur.Tunc enim sęuit in Dei famulos, quando prima virtus eius in primogenitis occiditur, dum vel idololatriam, superstitionem vel cęteros principales errores Dæmonum Deus disperdit ex nobis.Dicit enim ille nequissimus murmurans contra Deũ: Tu propter Hebræos tuos percutis meos Aegyptios,& ego propter Aegyptios persequar,& interficiam Hebræos tuos. Nam dixit inimicus,persequẽs comprehendam,pariter spolia, replebo animam meam,interficiam gladio meo,dominabitur manus mea,sed frustratur eius minacitas, si precepto Domini , quo nos tutos esse posse prænouit,nauiter pareamus.Adiicitur enim : & custodies sermonem hunc legitimum tibi ipsi & filiis tuis vsque in æternum : scilicet vt semper soliciti simus Pascha Domini legitimo studio celebrare, & vigilanter facere ea quæ nobis præcepta sunt,ne per cõtemptũ nostrũ aut negligentiam nostram exterminator aditum grassandi reperiat,Dei protectoris tui tione cessante. Sit ergo vnusquisque nostrum in parte Domini,qui percussit Aegyptios,sit Israelita,Deũ semper mente aspiciens,vt protegatur à plaga exterminatoris.Habeat,quinimo habeamus , in vtrisque postibus,in ore salutarem Domini passionem. Quomodo?sicut docet Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio sit in salutem, Habeamus in limine frontis signum sanguinis agni,vt non sinat exterminatorem Deus introire ad nos : neque enim solummodo tunc istud factum est, vel in historia legis,vel in tempore crucis Domini Iesu: sed & nunc semper Deus vltor populi sui percutit Aegyptios , semper exterminator Diabolus intrare in domos Israelitarum nititur , cupiens eos occidere: semper Dei filius tuetur suos,& protegit eos,vbi signum suæ passionis cognouerit: Ipsi gloria cum Patre & cum Spiritu sancto per omnia sæcula , Amen.

SEPTIMVS TRACTATVS DE EXODI.

Discussis validioribus mandatorum paschalium membris , tres adhuc superfuisse de proposita lectione Exodi species , die heterno prædiximus:quarum primam de interfectione primitiuorum Aegypti statim, prout potuimus,interpretati sumus:duas nũc reliquas de prohibitione fermenti,& de septem diebus azymorum, Septem diebus,inquit,azyma edetis:à primo autem die exterminabitis fermentum de domibus vestris. Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vsque in septimum diem,disperiet anima illius ex Israel.Hęreticorum veterum quidam, ex quibus sunt insanus Marcion,& execrabilis Manichæus, quoniã spiritu erroris inducti,Scripturas omnes veteris Testamenti respuendas esse contendunt,per multa scripturarum capitula Deum legis antiquæ malum conantes adserere:quasi aut alius sit Deus noui Testamenti,quam qui ex lege vtique prænunciatus aduenit:aut in comparatione bonitatis Dei , aliquis legitimè bonus esse possit:cum vel Angeli vel homines hinc habere iudicentur aliquod participium bonitatis,si bonum Deum sciant, adorent,venerentur ac diligant:perhibente Domino Iesu, quod bonus homo de bono thesauro cordis sui proferat bona. Sed dicas:Dei filius perfectam bonitatem cum Patre & Spiritu sancto possidens & vnam sciens esse bonitatem Trinitatis,sicut vnam diuinitatem,indignè tulit bonum se iuxta conditionem creabilium bonorum nuncupari,& ait: Quid me dicis bonum? Hoc est: Nolo dicas bonum,quem nescis:scitoprius qui sum, & cum Deum verum cognoueris , amplector vt dicas bonum,quia nemo bonus nisi vnus Deus.Ille enim Iudæus filio Dei,Deo & homini, velut homini tantum cuidam,sanè bono doctori, dixerat: Magister bone,quid faciam,vt vitam eternam possideam? & idcirco Dominus ad illum:Quid me dicis(ait)bonum?Nemo bonus nisi vnus Deus. Vnus est enim Deus. vbiDeitatis nulla diuisio est,per omnes libros sanctarum Scripturarum,& Patrem Deum , & filiũ Deum,& spiritum sanctum Deum legimus,nõ deos quia Deos non sinit dici vniras maiestatis . Est enim sola in Trinitate personarum distinctiõ, non naturæ diuersitas.Quod si Marcion & Manichæus meruissent aduertere, Nunquam profectò dixissent, vnum quidem Deum noui Testamenti, bonum, alium verò malum,qui per legem veterem sit locutus. Ausi sunt & in supra dicta lege azymorum ascribere ei sęuitiam,dicentes:hominis animam disperdi propter fermentum panis,quo nihil possit esse crudelius. Vę cordes enim non intellexerunt , vel quanta esset in mandato vtilitas,vel quod Deus maiorem causam tunc vleiscendi habeat,si in exiguis rebus , vbi nulla difficultas est obseruandi , peruicaci tantum spiritu contemnatur:facilius necessitati ignoscat Deus, quã præsumptioni. Denique sancto Dauid non imputatur ad peccatum,quod in necessitate famis constitutus manducauerit sanctos panes , quos non licebat mãducare nisi solis sacerdotib⁹. Hic verò videamus

Exod.12.
Hæreses Marcionis & Manichæi opponuntur.
Matth.12.
Matth.19
Vnica Dei tas in trinitate.
Alius Marcionis & Manichæorum. error.
Matth.12

quid potuit neceſſitatis incumbere. Iuſſit Deus Iſrae
Exod. 12. litas, vt ſeptem diebus Paſchæ fermentatum ſibi pa A
nem non facerent. Si fermentatum fieri iuſſiſſet, di-
ligentia illic neceſſaria fuerat, ne deeſſet. Quod iuſ-
ſit, deſidiæ eſt, non laboris. Negligentiam iubet, vt
obedientiam probet: & non ius, vt damnet illam a-
nimam quæ diligentiam commodauerit vt contem-
nat. Sed iam videamus, quæ fuerat in ipſa præceptio
ne vtilitatis ratio: vel Iudæis hiſtorialiter vſque ad
Exod. 3. Chriſti præſentiam, vel nobis hodie quæ ædificatio
iuxta intelligẽtiam ſpiritualem. Filij Iſrael cum præ
merentur in Ægypto grauibus captiuitatis iniuriis,
gementes proclamauerunt ad Dominum Deum, vt
eos eripere dignaretur. Elegit ex ipſis continuò De⁹
Moyſen & Aaron, per quos conueniret Pharaonem B
regem Ægypti, vt dimitteret illos. Qui tum remitte
ret multiplicibus plagis cum ſuo populo verberatus
hanc excepit pœnę vltimam plagam, vt omniù pri-
mogeniti Aegyptiorum illa nocte percuſſi diuinitus
interirent, qua Iudæos neceſſe fuit ex mandato Dei
Paſchæ ſacrificium celebrare. Media igitur nocte
clamor factus eſt, & vlulatus in tota Aegypto, nulla
enim domus erat, in qua non erat mortuus. Tunc
Aegypti rex metuens, ne & ipſe & omnis populus
Exod. 12. cius ſimiliter diſperiret, compulit Moyſen & Aaro-
nem, vt illa hora noctis educerent omnem plebem
de Aegypto. Qui cum perurgerentur exire, quid fe-
cerint aduertamus. Et ſumpſit, inquit, populus, con- C
ſperſam farinam priuſquam fermentaretur maſſa il-
lorum, & ligauerunt in veſtimentis ſuis, & impoſue
runt ſuper humeros ſuos. Egreſſi autem, cum veniſ-
ſent in Sochot, coxerunt (inquit) conſperſum, quod
extulerant de Aegypto ſubcineritia azyma. Vt ergo
memores eſſent huius neceſſitatis, & beneficiorum
Exod. 13. Dei, iuſſit eos ſeptem diebus primi menſis ita cele-
brare Paſcha, vt fermentatum panem non ederent:
& vt ſemper indicarent filiis ſuis cauſam, pro qua i-
ſtud facere iuſſi eſſent, ſcilicet vt ingratus ipſe popu
lus, vel imagine rerum geſtarum admonitus Libera
tori ſuo agere gratias cogeretur, & ideò tantopere
eis præcipitur, ſeptem diebus azyma edetis, à primo D
autem die exterminabitis fermentum de domibus
veſtris. Omnis qui manducauerit fermentatum à pri
mo die vſque in ſeptimum diem, diſperibit anima il-
Exod. 32 la ex Iſrael. Fecit & alia plurima pro illis Deus, & in
mari rubro: & in deſerto: ſed immemores miſericor
diarum Dei (vt de cæteris malis eorum taceam) præ-
ter illud quod fecerant caput vituli aureum, & ado-
rantes illud dixerunt, Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui duxe-
runt te de terra Aegypti: Ieſum quoque filium Dei,
qui eorum liberator extiterat, venientem ad ſe, ſacri
legis mentibus reſpuerunt, Vnde ſanctus Euange-
Io. 1. liſta Ioannes non ſine querela commemorat: in pro
Beneficia collata Iudæis? pria venit, & ſui eum non receperunt: id eſt, ad eos E
venit, quos de ſeruitute Aegypti liberarat, quos per
mare rubrum veſtigio ſicco transduxerat, in quorũ
conſpectu Pharaonem & Aegyptios reſolutis aqua-
rum circumſtantium mutis obruerat, quos manna
cœleſti ſatiauerat in deſerto, quibus de rupe arida
fontes duxerat, quibus eloquia legis crediderat, qui
bus aduentum ſuum ſecundum carnẽ vaticinio præ
nunciauerat Prophetarum, ad quos præcipue vene-
rat dicens. Non ſum miſſus niſi ad oues perditas
domus Iſrael. Iſti eum non modò ſuſcipere nolue-
Matth. 15 runt, ſed & crucis ſupplicio trucidarunt: qui tamen
idcirco ſuſceptum corpus mori ſuſtinuit, vt & ſuæ
Maieſtatis omnipotentiam propria virtute reſur-
gendo monſtraret, & vt in lata ac deuicta morte vi-
tam credentibus redderet, & plenam crucifigentium
nequitiam condemnaret. Quapropter reſurgens ter
tio die, tranſtulit ſe ad Gentes, ſicut dudum fuerat *Matth.* 12
comminatus. Auferetur à vobis regnum, & dabitur *Matth.* 8.
genti facienti fructus ſuos. Ergo quoniam nobis qui *Luc.* 12.
fideliter Chriſtum ſequimur, datum eſt cognoſcere
myſteria regni Dei: videamus quid idem noſter Do-
minus & Magiſter de hoc fermento intelligendum *1. Cor.* 5.
docuerit. Attendite, inquit, vobis, & cauete à fermẽ
to Phariſeorum & Saducæorum. Quod cum clari⁹
iteraſſet, intellexerunt Apoſtoli, non à fermento pa
nis eſſe cauendum, ſed à corrumpentis doctrinæ ne-
quitia. Vnde idoneus Euangelij prædicator Apoſto-
lus Paulus nobis clamat: Expurgate vetus fermen-
tum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Nam
& Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque
diem feſtum celebremus: inquit, non in fermento
veteri, neque in fermento maliciæ & nequitiæ, ſed
in azymis ſinceritatis & veritatis. Caueamus ergo à
fermento malitiæ, Vbi enim paruerit fermentum ne
quitiæ confectum à Diabolo, de conſperſione pecca
torum & iniquitatum, ibi animæ illi appropinquat
interius. Cum ergo videris in anima tua intra ſe co
gitationes prauas machinantes, vt te à Dei cultu de-
torqueãt, aut vt facias aliquod peccatum, ſcito quod
intrauit ibi ille qui fermentum mortis facere conſue
uit: propterea caue, ne inueniatur tale fermentum in
te, & diſperdatur anima tua à Deo. Neſcitis, inquit,
Apoſtolus, quia modicum fermentum, totam maſ-
ſam corrumpit. Videte itaque, ne vel in modica ma
la ſuadenti animo adquieſcere velitis, aut errori Gẽ
tilium, aut iniquitati Iudæorum, aut Hæreticorum
nequitię, qui fermento Diaboli totam fidei maſſam
perfidiæ rancore corrumpunt. Quod autem dixit, *Azyma*
Azyma cũ amaritudine mãducãdũ: docuit, neminẽ *cum amaritudine*
poſſe ſine triſtitia carnis, ſinceram vitam ducere. A- *quid.*
maritudo videtur ieunium, & omnis abſtinentia de-
liciarum carnalium: ſed Paſcha Domini non aliter
celebratur, ſed ſinceritatis azyma aliter non editur. D
Cum verò exieris de Aygypto huius mundi, tactu
vel corpore, mannæ pabulum manducabis, panem
cœli accipies, & in illa ſanctorum terram repromiſ-
ſionis inductus, amœnitate ſimul Paradiſi & æterna
ſuauitate ipſius Domini perfrueris. Dulcis amaritu-
do eſt, quam ſequitur tantæ retributio ſuauitatis. A
prima igitur die vel regenerationis noſtræ, vel con-
uerſationis, eiiciamus fermentum nequitiæ de pro-
priis domiciliis terrenæ huius habitationis, & per ſe
ptem dies totius vitæ noſtræ, quia iidem reuoluntur in ſæcula, ſinceritatis puritatiſque azyma come
damus, vt cœleſtium promiſſionum munera conſe-
qui merceamur: quæ nobis largiri dignetur Deus
pater omnipotens, per coæternum Filium ſuum vi-
uentem ſecum regnantemque cum Spiritu ſancto,
ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſęcula,
Amen.

INCIPIT DE LECTIONE EVANGELII TRACTATVS PRIMVS, qui eſt in ordine octauus.

POſt illius finem Tractatus, quem dilectio-
ni veſtræ intulimus, vſque ad heſternum
diem, de Exodi libro, vbi lex celebrandæ
paſchæ deſcribitur: nunc aliquid de Euã-
gelij

gelij lectione, quę paulo antè decurſa eſt, adiuuante
Domino diſſeramus, vt eundem Deum tam Veteris A
Idẽ Deus Veteris et noui teſtamenti. eſſe inſtrumenti auctorem, quàm Noui, rebus ipſis
teſtantibus comprobemus. Audiuimus enim, quod
Saluator humani generis Ieſus ierat inuitatus ad nu-
ptias, ibique aquam in vini ſaporem naturamque
conuertit. Habet planè & ipſa hiſtoria ordinem ve-
Io. 2. ritatis. Nam & nuptias idem, qui ab initio inſtitue-
Gen. 2. rat, benedixit: & creaturam quam fecerat, in id quod
voluit ſua poteſtate conuertit. Ac de virtute qui-
dem Dei omnipotentis nulla in facto dubietas pote
rit animæ fideli ſubrepere: tamen illum ad feſtiuita-
tem nuptiarum, id eſt, in domo epulationis quiſpiã
noſtrum non ſine ratione mitabitur. Enimuero, cha
riſſimi, pene omnis Euangeliorum textus Dominũ B
Luc. 11. Chriſtum inter homines conuerſantem, deſperatis
rebus opem contuliſſe inſinuat, & quam maximè
Matth. 11 mœroribus adfuiſſe, dum Blaſphemantes Iudæos in
Luc. 8. crepat: dum ſcribas, & Phariſæos fallatiæ, doli, auari
& 7. tiæ reos, vanitatiſque coarguit: dum ciuitatibus ex-
probrat incredulis, ac minatur: dũ ſpiritus torquet
immundos, vt imagini ſuæ captiuatæ ſubueniant, &
expulſis Dæmoniis ſalubritati reſtituat mentes ob-
ſeſſas: dum leproſos ſupplicantes emundat: dum pa-
ralyticos linguæ ſolius, qua precarentur, viuentes
officio, reformat potius quam curat: dum tempeſta-
Io 9. te maris periclitantibus ipſe ſuper aquas ambulans,
ſecurus tranquillator aduentat: dum vel cæcatis o- C
Luc. 7. culis donum lucis amiſſæ redintegrat, vel à natiuita-
te cæcis nouum lumen infundit: dum inter mœſtas
Io. 11. ægrotantium turbas medendi peritus adſiſtit: dum
luctus varios obſecrantium parentum dimouet, vel
Matth. 9. morientes eorum charos ſaninati reſtituẽs, vel mor-
tuos vitæ. Ad has enim Filius Dei, ſine initio Deus,
in fine ſeculi initium carnis ſumpſit ex Virgine, &
inter homines conuerſari dignatus eſt, vt huic mun-
do ſuccureret pereunti: quoniam, vt ipſe ait: non
erat opus ſanis medico, ſed male habentibus. Me-
dicus enim mœſtitudinis domum potius, quam læ-
titiæ ingredi conſueuit. Aut enim vulnerum dolo-
re afflictis neceſſarius eſt, aut ægritudinis morbo D
laborantibus, aut longa viſcerum tabe deſertis. Quia
medici officium proſperitas non requirit.

Quid eſt ergo, quod iſta Euangelij lectio, quę ho
die recitata eſt, feſtiuitati nuptiali interfuiſſe Domi-
num perhibet inuitatum? niſi quod ibi vinum, id eſt
virtus defecerat lætitiæ ſpiritualis, & languebant ſi-
Pſal. 103 tientium conuiuarum ora vini lætificantis inopia:
quoniam vinum lætificat cor hominis, vt ait Pro-
pheta. Sed priuſquam Spiritualium ſcientiam reue-
lamus, rationem facti hiſtorialiter exponamus. Ideò
Gen. 2. nuptiarum celebritatem non aſpernatur Chriſtus, vt
eundem ſe eſſe teſtetur Deum, qui de limo terræ fi-
gurauerit ab initio virum & fœminam, iiſdemque E
licentiam tribuerit coniugalem, dicẽs: Creſcite &
multiplicamini, & implete terram.

Quod Manichæis perditis adeò diſplicet conſtitu-
tum: quibus ego ob immunditiam ſuam puto non
vtique rem nuptialem diſplicere, ſed legem quæ
non multas fœminas vni viro, neque vnam fœmi-
nam multis viris, ſed etiam vnam fœminam vni vi-
ro, coniungit. Nolunt enim viuere ipſi execrabiles.
Manichæi arguuntur. Manichæi iuxta Apoſtoli Pauli doctrinam, vt vnus
quiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaque ſuum
virum. Benedixit ergo, quod conſtituerat à primor

dio, legitimum Chriſtus coniugium, dum pergere
ad nuptias non renuit inuitatus. Et tamen Virgini- A
Virginitas præſtantior Matrimonio. tatem docuit eſſe meliorem, dum magis per eam
naſci dignatur. Probauit ſanctam Virginem ſuum
eſſe domicilium Deus, vbi lumen pudoris perpetuũ
ſeruet ingreſſus, dum ſine detrimento integritatis
maternæ naſcitur, ſine corruptela conceptus. Ideó-
que vas electionis Apoſtolus, ad iſtud bonum quod
conſecutus fuerat, cæteros inuitabat, dicens innup-
tis? Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut ego. Ex-
emplo fœlicitatis hortatur, non legis poteſtate com
pellit.

De virginibus, inquiens, præceptum Domini non
habeo: Conſilium autem do, quaſi miſericor-
diam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis: quia ex-
pedit homini ſic eſſe. Et poſt longam monitionem,
qua caſtimonię beatitudinem conditioni prętulit
nuptiarum, ſententia poſtrema concluſit: Igitur &
qui dat virginem ſuam nuptui, bene facit: & qui non
dat, melius facit. Quod ergo arbitror non parenti-
bus virginum fuiſſe à beato Apoſtolo dictum, quos
conſtat alienę voluntatis arbitrio dominari non poſ
ſe: ſed vnicuique homini, tam viro quàm fœminæ
optionem fuiſſe ab eodem ſancto propoſitam, vt
virginem ſuam, hoc eſt carnem ſuam virginem na-
tam, aut integritati conſeruet, meliorem partem li-
beramque eligens: aut agnita conditione, nuptui eã
ſi ſe non continet, tradat. Parentes autem, vel con- C
Parentum officio. ſanguinei quique Virginum, tam puerorum quam
etiam puellarum, nolo ſibi de ſupra dicta libertate
arbitrij blandiantur, quod alienis mentibus eos do-
minari non poſſe tractauimus. Imperare quidem
perpetuam continentiam non poſſunt, quia res eſ-
ſe noſcitur voluntatis: Voluntatẽ tunc in melius nu-
trire poſſunt, & debitores ſunt vt moneant, vt hor-
tentur, vt faueant vt pignora ſua Deo magis geſtiãt
obligare, quam ſæculo: vt de propinquis ſeminis
ſui, vel in Cleri ordine dignos Altari Diuino mini-
ſtros exhibeant, vel in ſanctarum numero fœmina-
rum puellas caſtimonię dicatas enutriant: vt Eccle-
ſiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudi- D
nem debitam conſequantur. Scriptum eſt enim:
Beatus qui habet ſemen in Syon, & domeſticos in
Hieruſalem. Ineſt autem pręclaro huic eloquio Pro
phetali & ſublimior intellectus, ſuo in loco plena
diſputatione pandendus. Sed quia in hunc tracta-
rum ſalubriter ſumus pertracti, ſtudio caſtitatis, dum
rationem pandimus, cuius intuitu perrexerit Salua-
tor ad nuptias: breuiter interim Neophytis noſtris,
ſalutare conſilium ſuggeramus, ſpiritualem ſcienti-
am lectionis huius figuraliter explanandam, dictis
ſubſequentibus oſtenſuri.

Regeneratos vos eſſe per Baptiſmum, & rena-
tos, nuncupatione ipſa, qua infantes vocamini, po- E
teſtis aduertere.

Si qui igitur veſtrum coniugio alligati, ſeruare
virgines ſuas, magis quàm nuptui dare deſiderant,
ſic habeant coniuges, quaſi non habentes, & erit il-
Continentiæ ſeruandæ modus. lis retributio magna apud Deum Dominum no-
ſtrum, quod talem ſuam carnem ſeruauerint, qua-
lis baptiſmi ſacramento renata eſt. Hęc ad vtilitatem
veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam. Nam
& ſi coniugio ſeruieris legitimo, poſt lauacrũ, nõ pec
caſti: Caue ſolum, vt aliter non delinquas idem, vt
à fornicationibus fugias iam fidelis effectus.

Hoc autem custodire ita demum poteritis: si ebrietatem deuitetis, & conuiuia inhonesta, vbi turpium fœminarum colubrini gestus concupiscentiam mouent illicitam: vbi lyra sonat & tibia, vbi omnia postremò genera musicorum, inter cymbala saltantiũ concrepant. Infœlices illæ domus sunt, quę nihil discrepant à Theatris. Auferantur quæso vniuersa ista de medio. Sit domus Christiani ac Baptizati hominis immunis à Choro Diaboli, sit planè humana, sit hospitalis, orationibus sanctificetur assiduis, Psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus frequenter: sit sermo Dei, & signum Christi in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in lauacris, in cubilibus, & in ingressu, in egressu, in lætitia, in mœrore, vt iuxta beatissimi Pauli doctrinam siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid facitis, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui vos vocauit ad gratiam, faciatis. Ipse enim & pręteritis peccatis indulgentiam tribuit, & emendatæ vitæ præmia pollicetur. Sed his pro communi ædificatione moraliter expositis, iam venio ad promissas allegorias ipsius Euangelicæ lectionis. Et licet ad explanationem mysteriorum Christi, idoneum me esse non arbitrer, qui necdum merear Bea-
1.Cor.2 tissimi Pauli authoritatem præsumere dicentis. Quoniam loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes: desidero tamen ex ea Diuini Euangelij lectione cœlestem vobis atque arcanam, prout Dominus largiri dignabitur, intelligentiam reuelare. Paulò antè enim dum propositi sermonis principium disserui causam pandens, propter quam Saluator ierit inuitatus ad nuptias: transcendi ad prædicabilem Virginitatis conseruendæ tractatum, ibique aliquantulum videor immoratus. Nunc autem replicabo ipsam narrationem beati Euangelistæ, vt intellectũ spiritualem oppotunius requiramus in verbis. Et die tertia, inquit, Nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & ibi erat Mater Iesu. Vocatus est autem, & Ie-
Io.2. sus, & discipuli eius, ad nuptias: & vinum non habebant. Quomodo? consumptum erat vinum nuptiarum. Verùm rei gestę historiam, vt oportuit cognoscentes, iam quis iste sit dies tertius, in quo factæ nuptiæ memorantur, spiritualiter exponamus. Dies lucis est, fratres charissimi: & ideò præceptis Domini, qui verum lumen est, æquissimè comparatur, testante Propheta: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et alibi iterum: Quomodo lux, inquit, man-
Io.11. data tua super terram. Vnde bene Saluator Dominus admonebat, in luce esse ambulandum, dicens: Quod si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi huius videt. Verè enim. Si quis ambulauerit in luce præceptorum Dei, offendere nequaquã potest. Dies itaque fuit in mandato primus, ab Adã vsque ad Moysen: secundus dies, fuit sub lege Moysi: tertius dies, est sub gratia Saluatoris: In quo hodie sponsus ipse cœlestis, amator animarum credentium Dominus Iesus sponsam sibi ex Gentibus coniunxit Ecclesiam, cui annulum signaculi sui, & inaures fidei tribueret preciosas. Nam fides ex auditu:
Quis sponsus & quæ sponsa mysticè. auditus autem per verbum Dei, videlicet filium: quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, cuius sponsus idem Dei Filius, Deus Verbum. Aũrea quoque donaret dextralia: probabilium quippe operum, dextrorumque factorum. Nec non etiam cætera sin-

gillatim, pręciosa monilia largiretur, quę spiritua-
A lium sunt ornamenta virtutum. Et vt agnosceres tertia hac die spirituales istas à Christo nuptias in plebe Gentium celebrari, non in Iudęa fiunt, sed in Cana Galilęæ, quod pręter Testimonium sancti Esaiæ, qui Galilęam gentium memorauit, ex interpretatione ipsorum nominum clarius ostendetur, Cana enim possessio dicitur: & Galilęa vel volubilis, vel rota nuncupatur, ex Hebręo interpretata sermone. Constat autem, vel populum gentium errore idololatriæ, vbi fuerat olim deuolutus, nunc ad Christianæ veritatis cultum celeritate rotæ cuiusdam pręparare currentis, vnde etiam figuraliter cecinit Propheta Dauid, locutus ad Deum: vox tonitrui tui in rota.
B Intonuit enim è cœlo Deus, & altissimus dedit vocem suam dicẽs: Hic est filius meus dilectus, in quo *Psal. 76.* bene placui, hunc audite. Cuius tonitrui vox hęret in cordibus plebis huius, quę ex gentili supersti- *Matt. 17.* tione ad fidem Domini Iesu, tanquam rota currens *Mar. 3.* velociter, properauit. *Io. 12.*

Quam ob causam etiam beatos Apostolos dignè arbitramur à Christo filios tonitrui nuncupatos, Boanerges. Nam legimus alio in loco Euangelij, quosdam ex gentibus desiderantes appropinquare Christo, aditum quęsisse per Apostolum Philippum, qui erat à Bethsaida Galileæ ciuitate: vt opinor, familiaritate confisos: Domine, inquiunt, volumus Ie-
C sum videre. Venit Philippus, & dicit Andreę. Andre as & Philippus vadunt, & dicunt ad Iesum, &c. His cohærentia, quę suo in loco, vt meminit dilectio vestra, minutatim disserui. Vbi confestim Dominus legatos gentium gratulanter amplectens, & in paucis credentibus fidem pręuidens innumerabilium populorum, dixit Apostolis: Venit hora vt glorifi- *Io. 12.* cetur filius hominis. Et post pauca, vocem conuertens ad Patrẽ, inquit, Pater glorifica nomen tuum, statimque vox de cœlo veniẽs ait: Et glorificaui, & iterum glorificabo. Quam vocem Dei Patris circumstantium Iudæorum turba audiens, de excelsis cœlorum sedibus resultantem, tonitruum putat,
D qui verba non assequitur, populus enim, secundum *Psal. 6.* Prophetiam Sancti Esaiæ, aure audiens, & non au- *Luc. 8.* diens horum tantummodo diuinæ vocis audierat, *Apoc. 23* sine intellectu sermonum.

Ideòque Dominus in Euangelio ad omnes & in Apocal. post doctrinam cœlestem clamat: Qui habet aures audiendi, audiat. Nouerat quippe, vniuersis inesse aures: sed non omnibus audiendi, neque enim computabitur audisse, qui cordis habitudine obtusus, quid audiuit ignorat. Apostoli autem, & per Apostolos ad fidem Christi currentes, qui audiendi habebant aures, meruerunt intelligere diuina eloquia, pro magnitudine sui, sicut in Apocalyp- *Apoc. 4.*
E si legimus, tonitruis comparata: quandoquidem di- *6. 8. 10.* gni habiti sunt, ad salutarem noticiam veritatis Paterno Testimonio cœlitus erudiri. Cana autem pars ua ciuitas est in Galilęa gentium, in cuius Galilęæ *Matth. 4.* partibus sita est, & ciuitas Capharnaũ, vbi beatus Euangelista Matthæus Christum testatur habitasse: dicens: Cum audisset & Iesus, quia Ioannes traditus est, secessit in Galilęam: & relicta ciuitate Nazareth, alterius scilicet Galilęæ, venit (inquit) & habitauit Capharnaum, maritimum oppidum, in finibus Zabulon & Nephtalim, vt adimpleretur, quod per Esaiam Prophetam dictum erat.

Terra

Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galileæ Gentium: populus qui se-
A debat in tenebris, lucem vidit magnam: & qui sedebãt in regione & vmbra mortis, lux orta est illis. Ioannes quoque Euãgelista beatissimus memorat, quod Dominus Iesus reliquerit terram Iudæam, & abie-
Io.4. rit iterum in Galilęam. Oportebat autem transire (inquit) illum per Samariam, vbi eum causa mulieris Samaritanæ aliquantisper in ipso transitu remoratum describens, consequenter adiecit: Post biduũ autem exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus Testimonium perhibuit, inquit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. Cum autem venisset in Galilęam (inquit) susceperunt eũ Galilęi, visis omnibus signis quæ fecit Hierosolymis, in die fe-
B sto: & ipsi enim venerant in diem festum. Venit ergo, inquit, iterum in Cana Galilęæ, vbi fecit de aqua vinum. Erat autem quidam regulus, cuius filius, infirmabatur in Capharnaum, Hic cum audisset, quia Iesus aduenit à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabatur vt descenderet, & sanaret filium eius, incipientem mori. Quem statim virtute sermonis sui, tanquam medicus cœlestis, cum sanasset absentem, taliter Sanctus Euangelista conclusit. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam. Ergo vt ad interpretationem nominum, rationemque figuralem redeam: in Cana Galilæę, id est in possessione gentium. Spiritua-
C les sub Christi præsentia nuptiæ celebrantur, prophetia & eius persona loquente ad Ecclesiam, in Canticis Canticorum: Veni à libano sponsa, veni à libano: id est, à thurificatione illa Gentili. Nam libanum thus interpretamur, ex Græco quod Magi illi ex Gentilitate venientes, Christo potius offerendũ esse crediderunt. Libanus denique & mons esse arduus apud Phœnices cernitur, superbo imperio gentium comparatus, vnde vel maximè sponsa hæc euocatur Ecclesia, audiens vocem Christi dicentis: Veni à libano sponsa, veni à libano: venies & transibis
Cant. 4. ab initio fidei, capite Sanir & Hermon, à cubili leo-
Mar. 2. num, à montibus Leopardorum: scilicet vt horren-
D tis idololatrię syluas deserens, & stabula immanium ferarum: Dæmonum quippe cubilia derelinquens, ad omnipotentis Dei cultum properet, eiusque complectatur fidem, qui cum diuini amoris gratia sponsam vocare dignatur. Sed dicat aliquis: si Deus, iux-
1.Tim. 1. ta Apostoli doctrinam, omnes homines vult saluos fieri, & ad notitiam veritatis venire: cur apud Gentes potissimum in consummatione sæculi istæ salutares nuptiæ celebrantur, & superioris æui plebes diuino non sunt copulatæ coniugio? Ostendam tibi dilectissime, & ipsum protoplastum Adam, diuinæ familiaritati fuisse coniunctum, perceptis ab ipso sponso imaginis diuinæ insignibus, sapientię & in-
E tellectus vitęque perpetuæ ornamentis. Sed postquam lenocinante Diabolo fides est adulterata mandati, immortalitas pariter cum libertate diuini amoris ablata est: fuit tamen vsque ad diluuium, & vsque ad ipsam legem, iustorum quorundam rediuiuus amor erga Deum, & Dei erga paucos sanctos reformata coniunctio. Verùm quia præter raros quosque vt prædixit, sanctos fornicabatur omnis terra à Domino, & vesana libidine innumeros sibi idolorum Deos, generatio humana coniunxerat, elegit conti-
Exod. 20 nuò Deus stirpem iusti seminis Abrahæ. & legitimas coniunctionis tabulas digito suo præscriptas, inter

se & illam plebem Moysi ministro firmauit. Exinde
A illa plebs diuina præcepta concipiens, & secuta prole sanctorum, cœpit Deo, cuius populum Deo meruerat esse charissima. Sed processu temporis nimium sibi de Dei amore præsumens, per delicias ad luxuriam declinauit, & per luxuriam ad contemptum rebellationemque prorupit, itaque verberata est, & frequenter & variè, quod adulteriis succubuerit idolorum. Nam sępe gladio, sæpe captiuitati est tradita: sed, sicut scriptum est, noluit recipere disciplinã, propter quod ad eam Deus loquitur, per Prophetam: Non vocaberis vltra mollis, & delicata, sed sede (inquit) in terra, & accipe molam, & mole. Et quid post hæc omnia? Apparebunt, ait, opprobria *Isa. 4.*
B tua. Et iterum conqueritur de ea Dominus apud Prophetam, vidisti, inquit, quę fecit mihi habitatio *Isa. 57.* domus Israel? abiit super omnem montem excelsum & subtus omne lignum nemorosum, & fornicata es *Hie, 2.* illic in idolis: & machinabatur (inquit) lignum & la- *Ezech. 6.* pidem Et dixi, postquam hæc omnia fornicata est, Reuertere ad me, & non est conuersa, & dimisi eam, & dedi ei libellum repudij. Fugiamus obsecro ab Idolis, ne repudiati similiter mereamur audiri. Quẽ *Matt. 23.* tamen acceperit Iudęa plebs libellum repudij, audiamus. Hierusalem, Hierusalem, quę occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te mittuntur, quoties *Act. 14.* volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat
C pullos suos sub alas: & noluisti, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, &c. Post passionem quo- *Os. 2.* que Domini, plenior libellus repudij ab Apostolis datur synagogæ Iudæorum, cum dicitur: Vobis oportebat primum annunciari verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, sicut mandatũ est nobis. Deserta igitur ac repudiata Iudæorum plebe, nostra ex Gentibus sumitur in coniugium plebs. Vocabo enim non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: prædixerat Dominus Prophetiam sanè, quoniam primo die sub mandato, & secundo sub lege celebratę, vt exposui nuptiæ fue-
D rant. Ideo sanctus Euangelista non absolutè aut die tertia Nuptiæ fiebant, sed coniunctione præposita loquitur: Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vbi? vtique apud Gentes.

Nam Beatam Mariam constat de gente Moabitarum ex Matre traxisse originem. Booz enim genuit Obed, ex Ruth, vtique illa muliere Moabithide. Obed autem genuit Iesse, Iesse genuit Dauid Regem, de cuius semine nascitur Ioseph, cui desponsata virgo Maria, eiusdem quippe tribus (quia aliter non licebat) genuit Iesum, qui dicitur Christus. Ibi ergo erat mater Iesu: vocatus est autem, & Iesus, & Disci- *Psal. 145* puli eius, ad nuptias, Magnum mysterium pietatis. *Psal. 79.*
E Ipse qui sponsus est, inuitatur, inuitatur autem vocibus Prophetarum, ita precantium: Domine inclina cœlos tuos, & descende. Et iterum: Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos.

Et his multæ sunt orationes consimiles, suppliciter inuitantium Prophetarum. Inuitantur etiam sancti vnà cum Christo discipuli, velut amici fideles eiusdem sponsi cœlestis, cum dicitur per Prophetam: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum *Psal. 18.* non audientur voces eorum. Nam Spiritu san- *Act. 1.* cto repleti, linguis erant variarum Gentium locuturi. Vnde spiritus Prophetalis, ea quæ indubitanter futura erant, quasi iam facta pronuncians, ad-

didit. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et vt ostenderet clarius qui essent isti, cuius essent præcones, adiecit: In Sole posuit Tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Psal. 18. *Io. 2.*

Deinde sequitur Euangelistę narratio: Et vinum nō habebant, quia consummatum erat vinum nuptiarum. Quod vinum sancti Spiritus non haberent Gentes, euidenter expressit. Quod autem dicit: Quia consummatum erat vinum nuptiarum, id est defecerat vinum nuptiarum, non absolutè, &c. Non absolutè dixit: vt tu credas his forsitan defecisse quibus adhuc datum non fuerat. Nec enim dixit, defecerat eis vinum nuptiarum, sed defecisse tantummodo ait vinum nuptiarum, tanquam si diceret nuptiæ. Quapropter defecisse intelligitur vinum, non istarum, sed præcedentium nuptiarum. Defecerat enim nuptiale vinum Spiritus sancti, cessantibus Prophetis, qui ministrauerant in populo Iudæorū. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem Prophetauerunt. Nec erat quisquam qui spirituali vino Gentes potare sufficeret sitientes: sed expectabatur Dominus Iesus, qui nouo vino vtres per Baptismum nouos impleret. Nam vetera, inquit, transierunt: ecce facta sunt omnia noua, sic tamen facta sunt omnia noua, vt origo maneret ex veteri: cum non ex nihilo vinum, sed ex antiquo aquæ gignitur elemento. Nec legem literæ existimes esse temnendam, vnde spiritus sanctus, Iesu operante, per fideles ministros hauritur, & idcirco in diluuio antiquo homines perierunt, & nunc in Baptismo renascuntur: quia litera occidit, Spiritus autē viuificat. Sola quippe interficit litera: Spiritu sancto temperata regenerat. Perisse autem constat in illo diluuio omnes ipsius temporis homines, præter eos qui intra arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperire meruerint.

Matth. 11 *Matth. 9.* *Mar. 2.* *Luc. 5.* *2. Cor. 5.* *2. Cor. 3.*

Nam similiter etiam nunc omnino salui esse non poterunt, qui ab Apostolica fide, & ab Ecclesia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio vnusquisque nostrum permanere in domo Domini, exercens opera perceptæ gratiæ congrua. Oportet enim in nouum renatos hominem, à peccatis pristinis iam cauere, Seruate quęso vtres nouos Neophytę, ne vitam veterem repetentes vinum nouum, disrupti perdatis, rumpit enim vinum nouum vtres veteres, & vinum effundetur, & vtres peribunt. Custodite igitur regenerati homines integram nouitatem & cœleste vinum in vestris vitibus conseruate, vt vos ipsos fideles custodite, & conseruate per Saluatorem generis humani Christum Iesum Dominum nostrum, regnantem cum Patre, & cum Spiritu sancto, ante omnia, & nunc & semper, & in cuncta sæcula.

Gen. 7. *Extra Ecclesiam nullus seruabitur.*

TRACTATVS SECVNDVS DE LECTIONE EVANGELII, QVI est in Ordine nonus.

EXplanauimus hesterno die charitati vestræ ex lectione Euangelica, quæ Saluatorem nostrum perhibet, de aqua vinum feciſſe in nuptiis, primum iuxta historiam gesti, quam ob causam ire dignatus sit. Deinde secundum. Spiritalem cœlestis mysterij intellectum, quid esset primus dies, qui secundus, quis tertius, quæ nuptiarum ratio, qui sponsus ille esset, quęve illa sponsa, quis locus, vbi fiebāt istæ nuptiæ, & quid non primæ illæ nuptiæ factæ sint, & quamobrem ibi fuisse dicta sit Mater Domini Iesu, deinde cur ipse sponsus inuitetur ad nuptias, vel à quibus, quomodo etiam Discipuli pariter inuitentur, deinde quid esset illud vinum, quod non habebant, & quæ fuerit vini nuptialis defectio, & quemadmodum repudiata, ob idololatrię adulteriū, plebs Iudaica, Ecclesia Gentium diuino fuerit amori coniuncta, vnde cauendum nobis est, omni genere charissimi, ne aliquo rursus idololatriæ contagio violemur, & non solum repudiari, sed & damnari in perpetuum mereamur. Quoniam si quis Templum Dei violauerit, disperdat illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, ait Apostolus, quod estis vos. Cauete attentius ne sicut serpens decepit Euam astutia sua, corrumpantur sensus vestri à castitate, quæ est in Christo Iesu, sicut admonet idem beatissimus Paulus, & repellamur ab eo, qui nos dilexit & dedit pignus sancti Spiritus in cordibus nostris.

2. Cor. 11 *Io. 2.*

Teneamus ergo gratiam Spiritus sancti largo munere sponsi cœlestis infusam, ne ad inopiam pristinam reuertamur. De qua inopia, tūc in enigmate ait Mater Domini ad eum: Vinum non habent. Sed iam quid Dominus ei responderit attonitis mentibus audiamus, ait illi Iesus. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Iuxta intellectus simplicis rationem probare sufficiemur: Beatam Mariam virginem sexus causa mulierem nuncupatam, sicut in Genesi de Eua scribitur, & iniecit Dominus soporem in Adam & obdormiuit, & sumpsit vnam de costis eius, & suppleuit carnem in loco eius & ædificauit Dominus Deus costam, quam sumpsit ab Adam, in mulierem, & vtique virginem figurauit illam, & adduxit eam ad Adam, & dixit Adam: Hoc nunc os, de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago quia de viro suo sumpta est: Sed dicat fortasse aliquis, paruę fidei ac parum prudens: Virginem quidem Mariam nō ex Viro concepisse Christum, sed Spiritu sancto vt in Euangelio ad eam loquitur Archangelus Gabriel. Non tamen Christo virginem dici, vltra non posse, quam constet, edidisse partum & ideo non dixisse Christum: Quid mihi & tibi est virgo: sed quid mihi & tibi est mulier. Audi ergo diuinam rationem spei communis ac vitæ, Nascitur Christus non sibi, sed nobis Nascitur enim qui semper erat, nascitur qui in principio erat & filius Dei, & Verbum Dei & Deus. Hic ideo prope finem sęculi ex Virgine natus est, vt Verbum caro factum habitaret in nobis, permanens tamē Deus esse, quod semper. Nascitur autem filius Dei in homine, vt vel ita conditorem suum intueri caperet Mundus, & nascitur de Spiritu sancto ex Virgine, vt homi-

Luc. 1. *Io. 1.*

nem, quem de limo terræ plasmauerat sancto spiritu, ex massa eadem reformaret. Si credimus conceptum Virginis, credere debemus & partum, vtrumque impossibile videtur homini: sed est omnipotentiæ diuinæ parum. Quid enim Deo magnū, vt omittam sublimiora eius opera, qui ex nihilo fecit terrā, & de terrę limo carnem, & de carne viri fœminam, ita vt neque pars reliquę terrę aliud esset quam fuerat, neque Adam minus haberet, quod Deus abstulerat, neque fœmina hoc esset tantum, quod ex viri sumptum fuerat, integer Adam ossa sua & carnem recognoscit in fœmina, dicens: Hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea & tu non vis, vt eum

vt eum, qui hæc operatur, vt integra virgo filium recognoscat, Qui sine corruptela Matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela æditus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare nō potuit, qui venerit redintegrare naturā. Cuius fidem si quis adhuc terrena cogitatione depressus, sensuque carneo præpeditus tardiore gradu sequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur, discat ex Euangelio Ioannis, eundem Deum post resurrectionem suam, bis ad Apostolos vbi erant in domo congregati, propter metum Iudæorū, clausis vtique ianuis introisse, & certo introgressus.

Io. 21. *Luc. 24.*

Ne autem non in carne vera esse: sed in phantasmate putaretur, manus suas, cęteraque membra Thomæ Apost. attrectanda ingerit dubitanti, similiter & in Euangelio beati Lucæ, simul discipulis omnibus cōtestatur, ingressus, palpate me, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. O miranda fides, reseratæ non sunt ianuæ, & ipse intrinsecus cum vero corpore, Apostolicis nō solum videtur oculis, sed & manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cuius rationem non nisi sola fides assequitur, omnipotentiam clamat auctoris, nec idcò negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis pusillitas mentis humanæ non timuerit. Eadem ergo Diuinitatis virtute per inuiolabilem fœminam Mundi huius intrauit hospitium, clausis Virginei pudoris, etiam nascendo conseruans, qui post resurrectionem ianuis obseratis domum potuit corporeus introire. Illud etiam quæstioni huic soluendę, quā maximè cōgruit, quod Apostolus Christum memorat: editum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret vtique vt sic illa, cum Virgo sit, mulier appelletur, veritate sexus, non detrimento integritatis, quo modo Deus Dei filius, ob dispensationem salutis nostrę, sub lege factus esse prædicetur, cum dator ipse sit legis: Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim cum illam Christus mulierem nuncupauerit, quæ diuino partu sic cœpit esse Mater, vt Virgo sacratior permaneret. Quod verò ait: Quid mihi & tibi est, nondum venit hora mea, non mihi videtur illa responsio ad istam suggestionem Mariæ sensibiliter cō uenire, nisi in Mysterio locutus esse spiritualiter Dominus dicatur, vt quoniam vinum Spiritus sancti ante passionem Christi, ac resurrectionem Gentibus dari non poterat, Euangelista testante, nondum erat Spiritus datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, meritò tunc inter initia signorū matri respondebit. Quid mihi & tibi est mulier: nondum venit hora mea. Tanquam si diceret: Quid tam prępropera es, ô mulier, suggestio, cum hora passionis meę non dum aduenerit, qua perfectis omnibus, vel doctrinę vel operationum diuinarum virtutibus, provita credentium mori disposui? Post passionem resurrectionemque meam, cum ad Patrem rediero tunc eis donabitur vinum Spiritus S. Quapropter & ipsa Beatissima, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit non suggestionem suam præsentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritalem rationem in mysterio tunc dilatam. Cæterum nunquam mandaret ministris: Quodcunque dixerit vobis facite, nisi Spiritu sancto post partum diuinum plena, non solum responsionis Christi, virtutem cognouisset: Verum etiam futuri ab eo, tunc ex aqua vini vniuersum ordinem præuidisset. Quid enim lateret sapientiæ Matrem capacem Dei, ædem dignissimam tantæ virtutis, veritate facti historialiter approbata? Figuras nunc spiritualiter propositas perse quamur, sicut enim intellexisti sponsum, & sponsam, die, & dies, nuptias & locū, indigentiā vini, & cuius vini: ita etiam Matrem Domini figuraliter, accipe sanctorum Patriarcharum & Prophetarum iustorumque omnium plebem: Vnde originem carnis nostrę idem Dominus traxisse in Euangelio perhibetur. Liber enim generationis Iesu Christi scribitur, filij Abraham & sequentium reliquorum. Hæc ergo mater Domini generatio Patriarcharum & Prophetarum interceſſit pro nobis Gentibus apud ęternum filium Dei, & secundum carnem natum, vt donaret nobis indigentibus, cœlestis vini lętitiam, sunt autem similia illis dictis, quę Apostoli suggerentes pro Chananea gentili quippe muliere, audierunt: Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus. Id est, Gentilibus: qui priusin superstitione positi canum more consueuerant immundum sanguinem idolothitarum lambere victimarum, contra Dominum Deum, non agnitum ore rabido oblatrantes. Nam canes eramus nos quondam Gentes, & filij erant aliquando Iudęi, & idcirco nolebat Dominus tollere panem filiorum, & dare canibus: sed postquam panis ipse cœlestis in sua venit, & sui eum non receperunt, postquam cognoscitur idem Dominus noster, ab Gentibus, quondam canibus, & blasphemo ore contra eum latratur, à filiis, postquam Pilato resistenti, ne Christum, qui Rex eorum crederetur crucifigendum pronunciaret, pariter clamauerunt, nos non habemus Regem nisi Cæsarem, causatur, de illis iterum. Sicut per Prophetam Deus, Filios genui, & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt, sed conuertentur ad vesperum, quomodo Propheta ait, & famem patientur, vt canes conuertentur quippe & ipsi Iudęi sero tandem ad vesperum, scilicet mundi: Nā scriptum est, si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, residui saluabuntur, & Apostolus Paulus cæcitate percussum fatetur populum Iudęorum, donec introeat Gentium plenitudo, conuertentur autem in consummatione sęculi, & famem verbi Dei patientur, vt illi canes, qui cupiebant saturari de micis cadentibus de mensa dominorum suorum. Adoptantur igitur Gentes prius canes in filios, & filij canibus comparantur. Belluę, quippe sunt omnes increduli, non natura, sed moribus. Et quoque homo in honore constitutus nō intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. licet ergo Iudei maiore cum scelere sacrilegis olim Gentibus similia perpetrassent: Christus tamen eos. quos non iam suo, sed Patrum iusto rum merito diligebat, quo scilicet iam indignos, ad huc tamen conuerteret, filios appellabat, paterna pietate misericors, nolebat relinquere. Nolebat se panem, cœlestem vitę principem, ab ipsis cito subtrahere, & gentibus commodare, donec pertinax fides Gentiliū illorū perfidiā cō furaret, & donec ipse in carne aduenies doceret eos instruere, verberaret curationum beneficiis: qui ingrati existerent, inuaret diuinis virtutibus, qui flecti ad fidem negligerent, condemnaret.

Mater Ieſu mysticè. *Matth. 1.* *Mat. 5.* *Io. 1.* *Io. 19.* *Isa. 1.* *Psal. 58.* *Matt. 5.* *Psal. 48.* *Matt. 15.*

Ianuis clausis Christus intrauit ad Discipulos.

Gal. 4.

Et ita demū consūmata in passione sua eorū nequitia

post resurrectionem propriam migraret ad gentes;
Io.2. quibus se ipsum panem vitę tribueret, & per aquam
A Baptismatis poculum Sancti spiritus propinaret. Iá
verò quibus ministris dicat mater ista Domini Iesu:
Quodcunque dixerit vobis, facite, & quid imperatum, quidue factum sit, videamus. Illuminante oculos carnis, ipso Domino Salvatore, qui lumen est ęterni luminis coęternum, præter beatam Mariam: proprie matrem cognouimus sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, plebem, originis Christi causa esse Matrem, quæ legatione apud eum functa sit, pro nostra inopia Nũc aduertamus, quibus ministris loquatur: Quodcunque dixerit vobis facite: Ministros autem non illos secundum rei gestum, solos accipio, qui tunc in illo nuptiarum conuiuio mi
B nistrabant, sed iuxta spiritalis rei cõmutationem primo ministros noui Testamenti intelligo esse Apo-
Ministri nuptiarũ mystice, qui sint. stolos, deinde Apostolicos Sacerdotes, quibus & lex & omnis sanctorũ Prophetarum doctrina insinuat, vt quidquid præceperit eis Dominus Iesus obsequio prompto perficiant. Iam quid ab illo iubeatur ministris sequens loquitur sermo. Interim quid Euangelista interloquatur, ausculta. Erant inquit, ibi lapideæ hidriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Nuptiæ istæ quamuis in Galilæa Gentium gerentur, & haberent figuram, quam diximus, tamen Iudæis tunc agebantur, & erant ibi verè hydriæ sex
C positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Nam Iudæi id moris habebant, vt priusquam Synagogam ingrederentur de publico regressi domum priusquam prandérent, cutem corporis sui aqua abluerent. Erat autem mensura aquæ ad abluendum corpus sufficiens vel duæ, metretæ vel tres, id est amphoræ duæ vel tres, pro quãtitate scilicet magnitudinis corporum. Non possum parcere transiens purificationi Iudæorum immundæ, lauant polluta corpora, abluta statim polluunt: semper lauant, semper impuri sunt, & (vt dici solet) laterem lauant. Illum laterem, quem
Exod. 2. Iudæi porcis comparantur. Matth.8. parauerunt in Aegypto Pharaoni, Diabolo exhiben
D tes se ipsos arma iniquitatis peccato, ad constructionem hostilium ciuitatum. Terrei enim sunt & igneo Spiritus sancti calore nequaquam solidati. Quapro pter vsquequo deliquescant in mortem, laterem suũ non desinunt lauare polluendum? Quinimo porcorum more de aqua in cœnum redeunt. Isti sunt porci, quos iratus Dominus legioni Dæmonum tradidit, vt præcipitarentur in lacum, morte necãdi perpetua. Fugite immunditiæ exemplum Neophyti, ne pœnæ participes existatis: Vnum baptisma nobis Apostoli iuxta diuinam sententiam decreuerunt. Ait enim, qui biberit ex ista aqua, non sitiet in æternum.
Io.4. Abluti semel estis Baptismo salutari, nolite de fonte
E in cœnum regredi, seruate donatam munditiem. Nõ potest iterari, quod semel est amissum. Sed iam videamus, quæ sint apud Gentes per Allegoriam sex
Sex Hydriarũm mystica explicatio. ille hydrię lapideę, capientes singulæ metretas binas & ternas: In vno quoque hominum sex quædam inesse numerantur, visus oculorum, auditus aurium, odorat⁹ narium, loquela oris, adtrectatio manuum, incessus pedum. Hæc omnia cum essemus gentes, la
Psal.113. pidea erant in nobis, & mortua, sicut sanctus Propheta Dauid execrando testatur; simulacra gentium argentum, & aurum, studio tacuit cæteras viliores materias metallorum, vt in pretiosis multo magis
A damnaret, & vilia. Simulacra ergo Gentium, vt quo sensu vituperata sunt, edicamus, quando satis opulento fabricatores habuerunt: Erunt inquit, insensibilia metalla, argentum & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur: Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audiẽt, nares habent, & non odorabunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, & quid? similes illis fient, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis: Ergo vnum consideremus in idolis, erant in nobis isti sensus sex, iuxta sententiã Prophetę emortui, atque lapidei, sine officio, sine motu congruo, sine officio cõperenti: sed mox, vbi in Deũ euum à simulacris mortuis conuersi credidimus, viui
B ficati sumus audientes ab ipso, quia ego viuo: & vos *Io. 11.* viuetis. Et iterum. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, & si mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, id est quod iam credit, si vsque in finem crediderit, non morietur in ęternum. Conuersi igitur ad fidem, & viuificati per Baptismum oculos leuamus ad Dominum, odorem notitię eius insatiabili spiritu trahim⁹, tacitóque testamur affectu: Quomodo vnguentorum tuorum super omnia aromata: lectiones diuinas aure percipimus: ore Dominum confitemur, Laudamus, benedicimus, obsecramus, manus supplices ad cœlum tendimus, pedibus ad
C Ecclesiam currimus, & vnam Trinitatis Deitatem *Trinitatis adoratio.* flexis ad terram genibus adoramus. Vocatis ergo Iesus ministris, Apostolis videlicet, & eorum successoribus qui sunt per singulas Ecclesias Sacerdotes, di- *Matt.28.* cit eis: Implete hydrias istas aqua. Hoc est, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quę ego mandaui vobis. Et plane, quia audierant idem ministri dicentem, venerabilem Mariã: quodcunque dixerit vobis, facite, impleuerunt eas vsque ad summum, plenitudine quippe doctrinę infusum Baptisma cumu- *Rom.1.* lantes: Bene autem dixit, vocatis ministris. Nam Pau- *Matth.4.* lus vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium *Rom.8.* Dei, est, similiter & omnes Apostoli, vocati sunt: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.
D Quos enim prędestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, hos glorificauit. Vocatis igitur Iesus ministris, iniunxit opus celebrandi Baptismatis. Nec illud in postrema parte huius sermonis prętereo, quod istę hydrię nostrę capientes esse dicuntur singulę metretas binas vel ternas. Super hoc aliqui nostrorum dixerunt metretas duas: vel tres Patrem, & filium, & spiritum sanctum, & quosdam quidem ex Gentibus Baptizandis Patris, & filij, tantum scientiam posse capere, quosdam verò capaciores, etiam spiritus sancti. Sed ego
E arbitror, quod qui spiritum sanctum, non capit: Ne- *Baptisandumnecessario in Trinitatẽ.* que Filium capiat, neque Patrem: Neque enim Baptizari quis potest, nisi in integram, atque inseparabilem trinitatem. *Io.6.*

Quoniam nemo confitetur proprietate naturę esse, vt oportet: Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto. Et nemo vadit ad Patrem, nisi per filium, vt ipse testatur: Et nemo venit ad filium, nisi Pater eum pertraxerit. Igitur qui vnam Trinitatis adorandę personam irrenuerit, denegabit integram Trinitatem: Ergo quum non est plus, & minus in cõfessione fidei, quę traditur per Christi ministros in Sacramen-

cramento Baptismatis. Videamus hydriæ nostræ,
Tres metreię quid signant. quas metretas singulæ capiant vel binas vel trinas. A Sanctus Apostolus Paulus scribens ad Corinthios inter cætera spiritualium genera virtutum, quæ aboleri profectu meritorum necesse sit mensura in æternum, tria hæc perhibet. Spem, fidem & charita-
1.cor.13 tem. Manerit, inquit, spes, fides & charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. Fides est, qua Trinitatem vnius substantiæ confitemur, Spes est, qua Resurrectionem carnis & præmia pro meritis futura speramus, Charitas est, qua ita Christũ diligimus,
Præmia pro meritis speramus. vt pro eius nomine interfici, æquo animo patiamur. Sed quia omnes in fide Apostolica Baptizati, credunt quidem in Trinitatem, & sperant futura, non tamen omnes cum sancto Apostolo ex affectu dice
Rom.8. B cere possunt. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames? an nuditas? an periculum, an gladius? Idcirco quædam hydriæ nostræ binas metretas capiunt, quædam vero etiam ternas. Largiatur autem Dominus Iesus dies in omnes & super omnes, qui inuocant eum, vt ternas metretas perfecti in charitate eius etiam sine aperto persequutionis prælio capiamus, vt in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem præsentium pœnarũ tolerantiam constantes possimus ex occulti certaminis triumpho illustrem coronam victricis conscientiæ promereri. Ergo postquam beatissimi Apostoli fidelium ministrorum functi officio, reple-C
Act. 3. & 7. runt hydrias credentium populorum aqua venerandi Baptismatis, & Dominus Iesus iuuisibili virtute hanc aquam conuertit in vinum, ita vt Baptizati ab illis confestim diuini saporem in se Spiritus operãtis repentina linguarũ gratia testarẽtur, ex quibus prior Stephan⁹ martyr, plen⁹ gratia & veritate faciebat signa & prodigia magna in populo in nomine
Io.2. Dominj nostri Iesu Christi. Tunc ait ipse Dominus Iesus iisdem ministris: haurite nunc & ferte Architriclino, & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus, inquit, ex aqua vinum factum, & nesciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei. Omnis ho- D mo prius vinum bonum ponit, & cum inebriati fuerint, id quod deterius est, tu seruasti bonum vinũ vsq; modo. Explanemus primũ facti ipsius historiã & ita ad ad propositam rationem spiritualis intelligentię redeamus. Nuptiæ apud Iudæos cum fierent, vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de
Sacerdos Aaronicus, semper nuptiarum celebritati præerat, ideóque Architriclinus dicebatur. Sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitimè gubernaret, pudorisque curam gereret coniugalis, simul etiam conuiuiorum apparatui ministros atque ordinem dispensaret, & pro hoc officio Architriclinus, id est, triclinij præpositus dicebatur. Huic ergo gustum vini ex aqua facti, iubentur conuiuio-
rum ministri portare, gustat Architriclinus nesciens E vnde esset, & vocato Sponso, laudat ei saporem vini vsque in illud temporis reseruati. His omnibus gestis probatur, virtus Saluatoris in hoc etiam signo non phantasma fuisse, sed veritas: quando præpositus conuiuij non modò vinum, sed & bonum vinũ testatur esse, quod ei gustandum ministri Domino iubente portauerunt. Iam nunc ad spirituales literas recurrentes, quis iste sit Architriclinus aduertamus. Architriclinum puto esse beatissimum Moy-
Moyses mysticus Architriclinus. sen, virum de tribu Leui, fidelem Dei dispensationem in tota domo eius, qui non solum in illis antiquis nuptiis illius plebis Israël, quę repudiari postea meruit, præpositus fuit; sed etiam in istis, quæ cele- *Num.12* brantur in Gentibus: Quis enim nostrum sine Architriclino Moyse discere potuit, quoniam Domi- *Deut.6.* nus Deus noster, Deus vnus est, & non Dij, & ne absolutum putes esse, quod dicitur minus deitatis ab ipso, ibi Trinitas prædicatur, siquidem dominũ dicit Deum & Dominum, non enim simplicirer dixit: Audi Israël Deus tuus vnus est. sed quid? Audi Israël Dominus Deus tuus, Dominus vnus est, hoc est dixisse, *Exod.25.* vnus est in Trinitate Deus, vna est Diuinitas, ac Dominatio Trinitatis, manente vera distinctione subsistentium personarum. Sicut etiam duæ alæ Seraphini imaginem gerentes, tam legis & Prophetarum, *Alæ Seraphin legem, & Euangeliũ significant.* quàm veteris & noui Testamenti, hymnum referũt adorandę Trinitati, iugiter clamant, Sanctus, Sãctus, B Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Dominus, nõ Dominj. Neque recipit pluralem numerum Patris & Filij & Spiritus sancti vna eadémque diuinitas. Deinde, quis nostrum, vt dixi, sine Architriclino *Isa.6.* Moyse cognoscere valuit? quod in principio fecerit *Gen.1.2.* Deus cœlum & terram, & mare & omnia quæ sunt *& 3.* in eis, & vnde homo figuratus sit vir, vnde etiam fœmina, ex quibus vniuersa generis humani propago multiplicata noscatur? Deinde quæ fuerit prima indulti beatitudo Paradysi, quod exordium culpæ hominis Deum prouocantis offensa. Denique quænã *Gen.7.* generationes fuerint iustorum, quæue iniquorum, C & cur vel quando diluuium, & cætera quæ in lege scripta sunt Moysi acciderint, & vt breuiter dicam, cuius nostrum anima diuino amori & sponso cœlesti Christo coniungi promeruit, sine huius Architriclini apparatu? Ipse enim Moyses, qui prænunciauerat aduentum Christi populo Israël dicens: Prophetam suscitabit Dominus Deus noster de fratribus ve- *Deut.18.* stris sicut me, illum audite per omnia, quæcunque locutus fuerit ad vos. Erit autem, omnis anima quęcunque non audierit Prophetam illum, disperiet de plebe. At vbi vidit illos contra Christum, quę prædicauerat, repugnare, contulit se ad Gentes, & vna cum sanctis Apostolis exprobrat populo Iudęorum, *Act.13.* Vobis oportebat prius annunciari verbum Dei: sed quoniam respuistis illud & indignos vos iudicastis æterna vita: Ecce conuertimur ad Gentes, sic enim mandauit nobis Dominus: Posui te in lucem Gen- *Isa.42.* tium, vt sis ad salutem vsque ad vltimum terræ. Ergo posteaquam de aqua vinum fecit in nobis Dominus Iesus, vt ostenderet, sicut ait Apostolus, diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ & baptizatos quo- *Rom.9.* queSancti spiritus sapore condiuit, aquam legalis literæ per corda credentium conuertens in sapiẽtiam spiritualem. Tunc ait ministris, haurite nunc, & ferte Architriclino. Hauriunt Apostoli de hydriis baptizatorum Gentilium Euangelici vigoris spiritalem saporem in fide, gratiam caloris in opere, vnum sentitur, alterum cernitur, & portant ad Moysen. Quis enim sacerdotum ministrantem Christo omnem noui Testamenti sapientiam cum lege conferat Moysi, quod ipsum Dominum & mandasse audiat & fecisse perspiciat? Nam cum leprosum virutis suæ attactu *Mat.8.* mundasset, illico eum transmisit ad legem, dicens. Vade ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua munus, quod præcepit Moyses, in testimonii illis. Gustauit Architriclinus occultum Christi à sæculis sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis eius Apostolis & Prophetis in spiritu, esse

Ephe. c. Gentes cohæredes & concorporales & partici-
pes promissionis eius in Christo Iesu, per Euan-
gelium, cuius factus sum ego (inquit Paulus)
minister. Participes igitur factæ sunt Gentes per v-
numquemque Apostolum Euangelicum ministrũ,
promissionis Dei in Christo:illius nempe promis-
sionis,quam priores consecuti sunt ipsi Apostoli,
qui postea cæteri ministrarent. Nam cum conuersa-
retur cum illis Christus post Resurrectionem suam
per dies quadraginta,sicut in principiis actuum Apo
Act. 1. stolorum Lucas Euangelista testatur, præcepit eis,
ne ab Hierosolymis discederẽt,sed expectarent pro-
missum Patris,quod à me audistis inquit. Quia Ioã-
nes quidem baptizauit aqua,vos autem Spiritu san-
cto baptizabimini non post multos hos dies. In Euã
gelij quoque sui fine ita eũdem Dominum loqui ad
ipsos Apostolos memorat.Ecce ego, inquit, mitto
Luc. 24. promissionem Patris mei in vos. Vos autem sedete
in ciuitate, quoadusque induamini virtute ab alto.
quanquam ergo nesciat Architriclinus Moyses ex
Baptismatis dono tantam gratiam fuisse collatam,
quam non ignorabant Apostoli, qui fuerunt mini-
stri sermonis:Admirati autem saporem Spiritus san-
cti hydriis inesse gentilium, laudat sponsi munificẽ-
tiam,qui tale vinum seruauerit Gentibus, Quod vi-
num anterioribus nuptiis Iudæi bibẽtes, non ad sa-
lubritatem suam biberunt,sed inebriati sunt,&per-
niciosa grauedine sauciati,imbecilliores quippe mẽ-
tibus virtutem diuini spiritus non ferentes. Qui au-
tem robustus in fide est,repletus Spiritu sancto non
Psal. 22. inebriatur. Ideo enim præclarum est poculum Dei
inebrians, quoniam sobrias efficit bibentium men-
tes diuini potus ebrietas, vnde Apostolus ait:Noli-
Ephe.5. te inebriari vino:sed replemini Spiritu sancto.Nam
& Stephanus sancto Spiritu plenus,non ebrius, Vi-
Act.7. dit cœlos apertos & Iesum ad dexteram Dei Pro-
pterea & beatissimus Petrus ebrietatem detestatus
Act. 2. est dicens: Non enim,sicut vos putatis, inquit,hi e-
brij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est quod
dictum est per Ioel Prophetam,& erit in nouissimis
diebus dicit Dominus, effundam de spiritu meo su-
Ioel. 2. per omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, &
filiæ vestræ, iuuenes vestri visiones videbunt, & se-
niores vestri somnia somniabunt. Hoc fecit initium
signorum Iesus in Cana Galileæ, id est,in possessio-
Io. 2. ne Gentium, & manifestauit gloriam suam, & cre-
diderunt in eum Discipuli eius. Nec hoc otiosum
est,quod Discipuli,ait,non Apostoli.Nam vt multi-
tudinem credentium declaret discipulorum nomen
posuit,non Apostolorum. Sunt enim omneis, qui
credunt,eius discipuli,sed,vt ait beatus Paulus, nũ-
quid omnes Apostoli? Studeamus nũc & precemur
charissimi,vt post hoc initium signorum,quod fecit
Dominus Iesus dando Spiritum sanctum in cordi-
bus nostris,cætera quoque in nobis perficiat: signa
virtutum, alij datur enim sermo sapientiæ, alij ver-
bum scientiæ secundum eundem Spiritum,alij fides
in eodem Spiritu, alij sanitatum in vno Spiritu, alij
operatio virtutis, alij discretio Spirituum, alij Pro-
phetia,alij genera linguarum, alij interpretatio ser-
monum. Hæc autem omnia operatur vnus & idem
2. Cor. 7. Spiritus diuidens vnicuique prout vult. Has igitur
habentes promissiones charissimi,mũdemus nos ab
omni inquinamento carnis, perficientes sanctifica-
tionem spiritus in timore Dei secundum spiritum.
Idcirco ex propriæ authoritatis arbitrio distribuere

Credentes omnes, Discipuli sunt, sed non Apostoli. Ephe.4. 1.Cor.12

A munera,cœlestium gratiarum prædicauit Apostolus
dicens: Hæc omnia operatur vnus atque idem Spi-
ritus,diuidens vnicuique prout vult, & non, prout
iubetur, ne quis inimica persuasione deceptus, su-
spicari audeat in illa Trinitatis adorandæ substantia,
aliquid esse subiectum, vel minus potens, vel sibi-
met ipsi contrarium,cum sit Patris & Filij & Spiri-
tus sancti vna in omnibus & voluntas pariter & po
testas per omnia sæcula, Amen.

Nihil in Trinitate subiectũ, imbecillũ, aut contrarium est.

INCIPIT ITERVM DE EXODI LECTIONE OCTAVVS, QVI est in ordine decimus.

B EXPLICITIS his quæ proposuerã dis-
serenda, tam de Exodi quam de Euan-
gelij lectione, congruens aliquid diei
Dominico reseruaui,quod Deus in po-
strema parte illius lectionis,vbi primum legem Pa
scæ adnunciat,scribitur præcepisse.Nam post inter- Exod.13.
minationem,quam dixerat:Omnis qui manducaue-
rit fermentatum à primo die vsque in septimum Deut.16
diem,disperiet anima illa ex Israël,&adiecit dicens,
Et primus dies vocabitur sanctus, & septimus dies
vocatus sanctus erit vobis.Omne opus seruile non
facietis, præterquam quod faciendum erit omni a-
nimæ. Primum diem sæculi esse dominicum diem,
C dies Sabbathi septimus probat, in quo requieuisse
perhibetur Deus dicente scriptura. Et benedixit
Deus diem septimum, & sanctificauit eum, quia in
eo requieuit ab omnibus operibus suis, quæ cœpe- Gen. 1.
rat Deus facere.Cautè loquitur Scriptura diuina,nõ
absolutè dicens requieuisse Deum ab operibus suis:
sed ab operibus,quæ cœperat Deus facere. Non om-
nipotentem & imperio sermonis cuncta facientem,
laborasse existimes, cum requieuisse & cessasse des-
cribitur, cum & alia voluntati suæ placita operari
non desinat, sicut testatur in Euangelio Dominus
Iesus dicens: pater meus vsque modo operatur, &
ego operor. Requies igitur Dei non laboris reme- Io.5.
D dium,sed cœptorum finis est operũ.Siquidem post-
quam perfecit Mundum opus suum regere non de-
sistit, Ipsius enim nutu omnium rerum natura cur-
sum suum,vel iussa peragit,vel prohibita subtrahit.
Nam in diebus sancti Noe ipsius prouidentia pol-
lutum variis iniquitatibus mundum, vel cataclys-
mo deleuit, vel post diluuium reparauit. Ipse super
quatuor vrbes Sodomorum, vbi masculi in mascu-
los turpitudines exercebant, sulphur, & ignem de
cœlo contra morem pluit,vt quos ardor illicitus ad Gen. 8.
expugnandum ipsius naturæ morem succenderat, & 9.
igneus imber extingueret. Ipse genus Patriarcharũ Gen.18.
cum delegit ex Gẽtibus populum, scilicet Hebræo- & 19.
E rum, pro cuius libertate Aegypti regnum nouem
plagis afflictum,decima interemit, ipse diuisit rubrũ Exod. 12
mare, quando in murorum firmitatem, liquen- 13. 14.
tis elementi nuda diriguit,gelauerunt enim, tanquã & 15.
murus aquæ,gelauerunt fluctus in medio maris, si-
cut testatur in Exodo fides illius cãtici triumphalis.
Ipse ergo,inquam, diuisit mare rubrum,quod à Græ
cis nuncupatur Erythreum,vt & plebi suæ transitũ,
& persequentibus foueam præpararet. Egressis nã-
que Israëlitis per fundamentum maris, sicco vesti-
gio,& Ægyptiis omnibus eodem meatu post illos
properanter ingressis, confestim proprium liquo-
rem stupentibus aquis Deus,qui abstulerat,reddidit.
& armatas

Dominicus dies, primus est dierũ sæculi. *Requies Dei qualis sit.* *Prouidentia Dei mundus regitur.*

& armata acies equitum,ipsúmque Pharaonem pa-
riter cum quadrigis curruum,totóque eius exercitu
vndis obruentibus euocauit. Aquarum muri, qui
credentem populum tuiti fuerãt, hostilem manum
Exod.16 propria ruina prosternunt.Ipse pluit Manna cibum
cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando
sacrilegio crimininosis, ipse pluit Manna placidus,
qui flammam pluerat indignatus.Sed quoniam sin-
gula per ordinem replicare propositus primi ac se-
ptimi dierum tractatus non cœpit,necessaria breui-
Exod. 17 tate præteriens pauca perstringam. Ipse disrupit pe-
Psal. 77. tram & fluxerunt aquæ, tot milibus hominum si-
tientibus in deserto:prostrauit infinitos aduersario-
rum populos, plurima inimicarum gentium regna
deleuit, Iordanem quoque siccauit fluuium, vt cre-
dentem populum in terram repromissionis induce-
Iosue 3. & 4. ret. Ipse Iordanem siccauit fluuium, qui arentem pe
tram fluminis verterat in liquorem,à facie enim Do
mini mota est terra,à facie Dei Iacob,qui conuertit
Psal. 112. solidam petram in stagnum aquæ & rupem in fon-
tes aquarum. Deinde legem quam dederat in Syna,
constituit in Syon,auxit in Hierusalem, & post of-
fensam dilecti populi eandem porrexit ad Gentes.
Io. 1. Nam postquam veniens in hominem Dei filius, per
quem hæc omnia facta sunt, & sine quo factum est
Isa. 1. nihil,ab ipsis suis quondam filiis, quos protexerat
& exaltauerat, non solum repulsus est, verum
etiam crucifixus clamat vtique per Prophetam, Fi-
lios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt. A-
gnouit bos possessorem suum & Asinus præsepe Do
mini sui, Israël vero me non cognouit, & populus
me non intellexit: tanquam si diceret,quoniam non
cognouerunt olim bruta animalia Gentilium popu-
lorum regnatorem Cœli,suúmque possessorem, ac
Dominum humanorum peccaminum pannis indu-
Luc.2. tum,& in angusto Iudeæ præsepio collocatum: Is-
raëliticus verò populus liberatorem suum non vo-
Isa.1. luit agnoscere, auferam,sicut prædictum est, ab Iu-
dæa & ab Hierusalem validum & validam. Verbum
vtique incarnatum, virtutem panis, & virtutem a-
quæ,virtutem cibi cœlestis, & virtutem aquæ rege-
nerantis,& prudentem quinquagenarium, iubilæũ
scilicet remissionis annum,& sapientem architectũ,
Spiritum videlicet sanctum per quem mihi ædificẽ
Ecclesiam nouã ex Gentibus.Abstulit enim Dñs cũ-
cta salutariũ munerũ dona,vel q̃ tribuerat vel quæ
promiserat Iudæis ingratis:& contulit ad fidem suã
prompto seruitio ex omni natione conuersis. Quã-
do ergo requieuit Dominus, qui semper est opera-
tus,quem ex paucis operibus eius,quæ trãsiens me-
moraui,semper certissimè certi sumus operatum &
quotidie operari perspicimus.Nam quod elementa,
tam cœlestia,quàm terrena humano generi,seruiũt,
ipsius opus est. Quomodo enim non contemne-
rent exiguum terrenúmque hominem, nisi Creato-
ris sui imperio obedirent? Nos ipsi etiam, quod re-
nascimur,quod hæc ipsa opera Domini ex parte no-
uimus,quod viuendo vitã quærimus, quod futuro-
rum spem gerentes piè conuersamur, & loquimur,
Dei inquam, Dei sunt opera. Cuius pietatis & hoc
ingens opus est,quòd etiam malos atque incredulos
patienter sustineat,clemẽter expectet, etsi pœnitue-
rint: sicut misericors Pater amplectatur. Requieuit
planè tunc etiam Dei filius ab omnibus operibus
suis,quæ cœperat Deus facere quãdo consummatis
mirabilibus vniuersis, & impleto sexto die omni o-

Opera Dei in elemẽtis & hominibus. *Pietatis diuinæ opus.*

pere Passionis, die septima.i.die Sabbathi requieuit
A sepultus.Sed quoniam Dei operosa quies est,ipsa re-
quies otiosa esse non potuit.Nam corpore in sepul-
chro seposito Diuinitas cum anima hominis ad In-
ferna descendens, vocauit de locis suas animas san-
ctorum,quorum corpora surrexisse Matt.Euangeli- Mat. 7.
sta testatur dicens: Et multa corpora Sanctorũ dor-
mientum surrexerunt,& exeuntes,inquit,de monu-
mentis post Resurrectionem ipsius, intrauerunt in
sanctam ciuitatem & multis apparuerunt. Descen- 1. Pet. 3.
disse autem Saluatoris animam ad Inferos visitãdos,
non solum Beati Petri Epistola: verumetiam Beati
Dauidis Prophetia testatur,cum dicit. Quoniam nõ
derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Psal.15.
B sanctum tuũ videre corruptionẽ.Filius enĩ Dei nõ id-
circo cũ suscepti hominis aĩa ad Inferos descẽdit vt
eã in inferno relinqueret,sed vt plurimas resurrecturis
sanctorũ corporibus aĩas reuocaret.Ob hoc nãque
is,qui in forma Dei semper erat, formam serui susci-
piens,suscepit & Crucem, vt die tertia resurgendo,
exceptam triumpharet mortem, quam perpeti om-
nino vitæ Dominum non liceret. Ergo quoniam
post Passionem suam Dominus Iesus illucescente
Dominica,à mortuis erat resurrecturus, & primam
sanctitatem primo Resurrectionis suæ die collatu-
rus:Ideo lex antiqua prænunciat,& primus dies, in-
quit,vocabitur sanctus,&dies septimus vocatus san-
C ctus erit vobis. Primum diem Resurrectionis vocã-
dum perhibet sanctum,septimum iam vocatum fu-
turum dicit sanctum,septimum millesimum scilicet
annũ, de quo ait Propheta ad Dominum. Quoniam
mille anni ante oculos tuos sicut dies vnus. Ita igi-
tur in primum diem Resurrectionis Christo miserat Psal. 89.
transferenda festiuitas, & septimi diei expectãda no
bis esset,&requies simul & sanctitas.Cũ dicitur pri-
mus dies vocabitur sanctus,statímq; adiicitur,&dies
septimus vocatus, sanctus erit vobis, Omne opus
seruile non facietis, præterquam quod erit facien-
dum omni animæ. Quod enim primum diem Do-
minicum diem nuncupamus sanctũ, credentes eum
D sanctificatum Resurrectione Domini Iesu,expecta-
mus etiam illum verè sanctum diem septimi mille-
simi anni diem, qui adueniet & post istos sex dies
sex milium, videlicet annorum seculi, quibus com-
pletis requies erit veræ sanctitatis, & fideliter cre-
dentibus in Resurrectione Christi. Nam nulla erit
ibi pugna contra Diabolum, qui tunc vtique deti-
nebitur suppliciis religatus. Nullum certamen con-
tra vitia corporis, quod iam concupiscentiis obno-
xium est,erit:nam spirituale resurget corpus, vt A-
postolus ait:Quod seminatur in corruptione,surget 1. Cor. 15
in incorruptione,quod seminatur in cõtumelia,sur-
get in gloria, quod seminatur in infirmitate,surget
E in virtute, quod seminatur corpus animale, surget
corpus spirituale.Et iterum post pauca, idem Beatis Ibidem.
simus Paulus: oportet, inquit, corruptibile hoc in-
induere incorruptionem, & mortale hoc induere
immortalitatem, tũc fiet,inquit, sermo qui scriptus
est: Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victo
ria tua? Vbi mors aculeus tuus? Et quis iste sit mortis
aculeus, ipsius Beati Apostoli cohærens aperit ser-
mo.Aculeus autem mortis peccatum, virtus autem
peccati lex est. Aculeus quidem mortis peccatum,
charissimi,quia per peccatum mors,virtus vero pec- Rom. 7.
cati lex,quoniam sine lege peccatum mortuum est. Rom. 5.
Peccatum enim nõ imputatur,cum lex nõ est. Nam

Descensus Christi ad inferiora. *Dies Resurrectionis sanctus.* *Opinatur Mundi cõsummationem in sexto millenario futurã quod multis aliis quoque visum est.*

neque Adam fuisset mortuus, quod de fructu illius arboris manducauit, nisi contra vetitum manducasset, legem mandati contemnens. Neque hodie aliquis reatum peccati incurrit, si eum non astringat, aut naturalis lex aut mandati lex, aut literæ lex. Naturalis lex est illa, quam Gentes legem literæ non habentes, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, quia rationabilis animæ humanæ natura, vt creatorem suum sentiat, vt proximum non lædat, vt non faciat quod pati non vult, naturali quadam lege intelligit: vnde inexcusabilis est omnis homo, quivel authorē suum negat, vel facit malum, quod per legem naturæ non ignorat esse malum. Iterum lex mandati est, ab omni fructu ligni, quod est in Paradiso, ad escam, edes, ab isto autem non edas, & quæcunque ante Moysen verbo tantum Dominus præcepisse cognoscitur. Lex literæ est: Non Occides, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, &c. quæ transacto iam dimidio numero annorum sæculi, ideò per legem literæ prohibentur, vt negligenti homini vel naturalem legem, vel mandati legem, scriptum legis commonitorium traderetur, & haberet obliuio pædagogum, dissimulatio compulsorem, dicente Apostolo: Quoniam lex pædagogus noster fuit in Christo, lex autem siue naturæ, siue mandati, siue literæ, tunc dominatur homini, quando ætas eius capax esse cœperit legis. Et hinc est illud, quod Apostolus Paulus ex Iudæis parentibus natus, Hebræus quippe ex Hebræis ait. Ego autem viuebam sine lege aliquando, vt ostenderet solem infantis ætatem sine lege viuere, quæ nódum capiat legem, sed mox vbi venit lex, inquit, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum, hoc est dixisse, peccatum quod erat ignoranti mortuum, viuere intelligenti cœpit, & ego qui viuebam prius sine lege, factus sum morti obnoxius, nisi declinauero peccatum, quod iam mihi intelligenti mortem generat, & incipit mandatū, quod mihi ad vitam datum est, hoc esse ad mortem. Ille ergo septimus mille simus annus, vt ad propositū caput redeam, ipse erit verè beatissimus dies, quando agonis huius, quem nunc patimur desinente cōflictu, optatam victores requiem capiant, ac fœlici otio perfruentur: nullum seruile opus ibi, & nullū peccati opus facientes. Quia qui facit peccatum, est seruus peccati, vt ait Saluator, sed hoc planè solum facient, quod faciendum erit omni animæ sanctæ, scilicet vt copulari agminibus Angelorum, perpetuo os hymnos, & gratiarum actiones domino nostro referant in æternum. Sanè iuxta historiæ rationem, præceptum Iudæis fuerat, vt diebus Sabbati ab omni opere peccati quiescerent, & ea solùm quæ animæ congruebant, exercerent: sed quoniam hac salutari obseruatione neglecta, omnem Sabbati legem ad otium luxuriámque contulerint, palam est, vnde odisse se Deus iam non sua, sed illorum Sabbata cōtestatur. In Euangelicis lectionibus fraternitati vestræ frequenter exposui, vbi Saluatorem sabbatum violasse Iudæi vecordes incusant, quem nos impleuisse magis legem Sabbati ipsorum operum, quæ Sabbatis celebrauit, euidenti probatione docuimus, non aliunde instructi, nisi ex ipsa lege, quam pariter legimus cum Iudæis, Scriptum est enim, Vna lex erit indigenæ & aduenæ. Indigenæ proculdubio Iudæi erant, Patriarcharum ciues & Propheratum: aduenæ autem, qui Græco sermone appellantur προσηλύθοι. Nos vtique eramus Gētes, vt ait Apostolus, peregrini atque hospites Testamētorum & promissionis eorum, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Sed postquam credidimus, dicit nobis idem Beatus Paulus: Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. Vna ergo nobis cum Iudæis est lex, sed illi eam carnali sensu excipiunt, nihil ibi spiritualis intelligentiæ requirentes: Nos verò in ea Christum reperimus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ cœlestis absconditi. Denique in hac etiam lectione Exodi, quæ ordinem celebrandæ Paschæ disponit, vnum Dei agnum cum omnibus mysteriis vitæ nostræ inuenimus, ipsum cognoscentes dominum verum & hominem, Dominum gregis & oue pastorem simul & pascua. Misericors enim & miserator dominus semetipsum dedit escam timētibus. Nam totius obseruantiæ veteris legem, per gratiam filij Dei, in veritate noui Testamenti cognouimus esse completam, probantes, quomodo Paschæ lex, quæ per Moysem fuerat data, Gratia & veritas per Iesum Christum facta, cui omnis honos, virtus & gloria, cum Patre & cum Spiritu sancto per omnia sæcula, Amen.

Ibidem.

Col. 2.

Psal. 110.

Io. 1.

INCIPIVNT EXCEPTI TRACTATVS DE DIVERSIS CAPITVLIS, quorum primus est de paralytico: & ordine vndecimus.

MEMINI me superiore tractatu sanctæ dilectioni vestræ pollicitum, quod adiuuante Domino plenius explanaturus essem, quam ob causam vnum se opus fecisse dominus testaretur. Vnde plebs ignauissima Iudæorum, scrupulum passa, & iniquissimo furore succensa, benedictionis datorem, maledictis blasphemis pulsauisset, dicens: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? & insuper, viræ Dominum necis tradere supplicio, cogitaret. Probauimus quidem istius Euangelistæ testimonio, non vnum, sed multa & innumerabilia à Christo fuisse opera celebrata. Sic enim in fine libri conscribit: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, arbitror nec ipsum mundum capere eos libros, qui scriberentur, posse. Sed fortasse dicit studiosus auditor. In primis partibus Euangelij loquitur dominus: Vnum opus feci, & omnes miramini: In subsequentibus ille virtutum cumulus celebratur: & idcirco nihil quæstionis super hoc videliicet esse relictum. Verùm, ego ab isto sermone superiora libri huius dicta recensens, inuenio plurima vsque in hunc locū Euangelij Christum Deum nostrum miranda opera cōfecisse. Iam Nathanaelem viderat priusquam sub ficulnea constitutus à Philippo vocaretur: iam liquorem simplicissimum perlucentis aquæ in colorem saporémque vini, sua potestate conuerterat: iam Reguli filium morientem cœlestis medicus, priusquam visitaret, dum rogaretur verbo sanauerat. Iam Samaritanæ illius mulieris vitia occulta prodiderat, & confessam spirituali fonte mundauerat: iam paralytici membra per triginta & octo annos emortua vnius vocis præcepto curauerat, vel potius reformauerat. Iam quinque millium hominum famem quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus satiauerat, maiore miraculo conuiuium soluens. Amplior

Io. 7.

Io. 21.

Io. 1. 2. et 3. 4. 5. & 6.

plior enim cibi appositi quantitate reliquiarum cumulus inuenitur tot populorum famelicis cohortibus satiatis. Iam mare pedibus ambulauerat, ita vt plantas gradientis tumens vnda non tangeret: sed in catalogo isto virtutum, adhuc vnum fecerat opus quod frementi contra se imperito populo Iudæorū, quasi verisimilem sæuiendi aditum dedisse videbatur, quòd scilicet paralyticum curasset in Sabbato, cum lex otium Sabbati imperasset. Itaque Christus, qui legem vetcrem non soluere venerat, sed implere, tanquam violati Sabbati reus infectationem perpetitur Iudæorum. Cogor hoc loco, fratres charissimi, omissa præsentis serie lectionis, rationem Sabbati explanare, ne iusta credatur fuisse contra iustum persequutio iniquorum. Nam Paralyticus ille, qui die Sabbati à Christo curatus esse memoratur, ideo calumniam patitur à Iudæis, quod ipsa die, qua sanatus fuerat, lectum suum portare videretur, Sabbatū est, inquiunt, & non licet tibi portare grabatum tuū. Respondit curatus, qui fecit me sanum, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum & ambula. Et in subsequentibus, Iesus est, inquit, qui fecit me sanum. Rudis adhuc ex infirmitate Iudaica, sed iam gratus de salubritate recepta, quoniam non præualet calumniantibus facti præstare rationem, præcepti atque operis demonstrat authorem. Qui fecit me sanum, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula. & adiecit, Iesus est inquit, qui fecit me sanum, vel filius Dauid est, qui fecit me sanum, vel filius Ioseph, qui fecit me sanum. Hæc enim omnia vsitata erant in populo tunc tēporis de Christo Domino Saluatore. Sed quid Iesus est, ait, qui fecit me sanum: sciebat enim, sciebat, vtpote Hebræus, nomen Iesus ex virtute descendere sanitatis. Saluator siquidem dicitur Iesus, sicut declarat Angelus, cum per somnium de Christo loquitur ad Ioseph: Vocabis, inquit, nomen eius Iesum, ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorum. Ille ergo, inquit, me fecit sanum, cuius & nomen salus est. Et quomodo poterit Salus per præscriptam legē prohiberi ne saluet? Videamus tamen, fratres charissimi, si vel ipsa lex ocio Sabbati salutis opus exclusit. Sex, inquit, diebus facies opera tua, septimo autem die Sabbatū est domini tui. Non facies in eo vllū opus, nisi, quod sit pro omni aīa. Procliuum est ex voluntate humanū genus, & maximè Iudæorū ad carnalia opera, potius quam diuina, & idcirco constitutus est vnus, in hebdomade Sabbati dies, in qua à carnalibus cessare cogerētur, & vacare solum diuinis. Nam neque cibum coquere, neque iter facere in Sabbato concedebatur, ne quis sub prętextu necessitatis humanæ, præponeret terrena Diuinis. Verum posteaquam Iudæi neglectis spiritualibus negotiis, quæ pro animæ salute Dominus agenda præceperat, omnia legitima Sabbati ad ocium luxuriámque contulerant, clamat ad eos continuò dominus per Prophetā: Neomenias vestras, & Sabbata vestra, & diem magnum non sustineo: iciunium & ferias vestras & dies festos vestros odit anima mea. Sabbata inquit, vestra, nō mea, non enim sunt mea quæ geritis: meū iciunium, & mea Sabbata quæ ego seruanda præcepi, iciunare iubent à vitiis, cessare ab operibus malis, & bonis actionibus inhærere, Az è contrario vestra Sabbata, vestráque iciunia, & litibus inquieta sunt, & illecebris & luxuriis plena. Ipse ergo legis dator in homine veniens, cū operaretur pro omni anima opera salutis, (in Sabbato enim docebat) quod prouida ratione præceperat, nec destruebat legem, sed potius adimplebat legem. Scriptum est enim: Non facies vllum opus tuum in Sabbato, tuum inquit opus id est, humanū. Et adiicitur, nisi quod fit pro omni anima, siue omni animæ & ad saluandam animā. Ideóque legimus priores iustos in lege, pro salute animarum Sabbatis operatos. Septem diebus Iesus filius Naue iubente Domino, circuiuit ciuitatem Ierichon, cum Leuitis & Sacerdotibus arcam portantibus Testamenti, & cadunt hostiles muri motu diuino, vt animæ Iudæorū de belli discrimine liberentur. In septem verò diebus etiam Sabbatum numerari, à quolibet die computare incipiens deprehendes. Itaque, cū dicitur: Iesus est, qui fecit me sanum, admonentur Iudæi ex nominis communione; opera non cōdemnare similia. Ideóque Christus dominus cum aut aridam manum, aut hydropem, aut paralysim curaret in Sabbatis, tanquàm verè Dominus sabbati, rem suam legis suæ testimoniis tuebatur, dicēs ad Iudæos. Licet sabbatis benefacere animali, animā saluam facere, aut perdere? In hunc sensum legis, vt arbitror, quem supra exposuimus, eos introducere volens, simúlque exprobrans, quod non intelligerent, quid esset opus suū, & nisi quod fit pro omni anima. Operatur ergo pro salute animæ Christus in sabbato, & operatur in sabbato, & implet legem, dū conditionem interpretatur legis: dum operum differentias illuminat: dum facit quæ lex de sabbati feriis exhibet: dum ipsum sabbati diem benedictione sua sanctificatum, beneficiis suis efficit sanctiorem. Nam diuina in eo præsidia omni animæ credenti largitus, opera debita sabbato reddidit: Vt autem ostēderet Iudæis eundem se semper operatū fuisse, cum Patre, qui tunc etiam operaretur in carne, ait illis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Et propterea iniquè magis persequebantur Iudei cū, quia non solum soluebat sabbatum, sed quia, & Patrem suum dicebat dominū, æqualem se faciēs deo. Euidenter docuit B. Euangelista, æqualem Deo patri esse eum, qui verus Filius eius sit, proprietate naturæ. Licet ergo veterum documenta præcesserint, nihil tamen huiusmodi affectionis Dominus gestiuit, opponere: ne quoniam rara sunt, & antiquā, vel incerta apud quosdam, vel fortuita crederentur, sed quotidianis, & vsitatis exemplis eos repercutere magis voluit. Vnde se iustissimè vel refutatos, vel etiam confutatos negare omnino nō possent. Vnum opus feci, inquit, & omnes miramini. Quod illud opus? Quia Paralyticum curaui in sabbato, & adiecit: Propterea Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse (inquit) Circumcisio, sed ex Patribus, id est, ex Abraham, qui primus circuncisus est, & ex cæteris Patriarchis: Et in sabbato, inquit, circumciditis hominem. Si Circumcisionem, inquit, accipit homo die sabbati, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustū iudicium iudicate. Tanquam si diceret. Præcepit lex hoc solum, quod pro anima est opus faciendum in sabbato. Et de Circuncisione eadem lege præcipitur, quod quicunque nō circumciderit octauo die natiuitatis omne masculum, eradicabitur anima illa de populo suo. Ergo pro anima est, quod sabbatis circunciditis hominem: pro anima est itidem, quod & ego hominem totum sanaui in sabbato: licet er-

Mat. 6.
Mat. 14.
Io. 5.
Mat. 5.
Io. 5.
Iesus quid significet.
Mat. 1.
Exod. 20
Sabbati ratio, & obseruatio.
Isa. 1.
Mat. 12.
Christus Sabbato cur operabatur.
Io. 5.
Io. 7.
Gen. 17.
Christi pacientia.

go pro anima opus fieri in ſabbato bonum. Quod
Io.7. ſi me in iſto opere violaſſe ſabbatum iudicatis, voſmetipſos indeſinenter violatis. Sabbati reos eſſe decernitis. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. Tam rationabili patientia vincit inimicos Dominus noſter Ieſus, qui vtique in hunc Mundum, vt patiendo vinceret, à Patre deſcenderat. Sed conſideremus breuiter poſtremi huius dicti virtutem: Nolite, ait, ſecundum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate. Generaliſ, vt opinor, iſta ſententia eſt retinēdæ æquitatis magiſtra, omnibus poſita, multis nota, paucis dilecta. Præcipitur enim ne huius ſæculi diuitum perſonis adulantes, iniquiſſimo iudicio faueamus incredulis, & impios, incredulos, rapaces, luxurioſos, inhoneſtos, nō B ſolum timido ſilentio nutriamus, verum etiam omni reprehenſione dignos iniuſtis laudibus prædicemus: vel quòd eſt omni fœditate deformius, turpia lucra captantes alienæ pecuniæ notabiliter ſeruiamus Chriſtianæ libertatis obliti: néue carnalis cuiuſquàm formæ pulchritudine illecti, à regione veritatis rectæque ſententiæ ſiniſtro iudicio moueamur, cum de contemnendis opibus ſcriptum ſit, diuitiæ ſi affluāt, nolite cor adponere. Et de negligen-
Pſal. 62. do carnis decore Deus ad Samuelem ſacerdotem lo
1. Reg. 16 quatur: electurum Regem de filiis Ieſſe, ne admiratus fueris, inquit, proceritatem ſtaturæ, vel pulchritudinem vultus eorum, quoniam homo videt in fa- C ciem: Deus autem videt in cor. Et idcirco Beatus Dauid minimus atque contemptus, oleo ſanctificato ſublimatur in regnum, & ſe ex humilitate per Dei gratiam, ad ſummum creuiſſe faſtigium dignitatis, peculiari carmine gloriatur dicens: Puſillus eā inter fratres meos, &c. Vtiliter ergo per omnia Chriſtus ait: Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iu-
Io.7. ſtum iudicium iudicate. Et quis noſtrum, chariſſimi, ad ſingula, quæ prædixi ſeruanda idoneus inuenitur. Beati, qui cuſtodiunt iudiciū, & faciūt iuſtitiam in omni tempore. Igitur cū generaliſ (vt ſuprà
Pſal. 105 dixi) ſit iſta ſententia ſpecialiter tamen dirigitur, ad Iudæos, qui Chriſtum mirabilia facientē hominem D ſolummodo ex facie iudicabant: Deum vero in virtutibus non videntes Hæreticos etiam Dei filiū blaſphemantes, non mediocriter ſententia iſta contundit, quòd humilitatem ſuſceptæ carnis intuiti, immēſæ diuinitatis conentur metiri ſubſtantiam. Nos autem, fratres, Gratia eius ſaluati per fidem, iuſtum
Ephe. 2. iudicium iudicemus, æquitatem ſeruantes, in omni actione, conuerſationis noſtræ. Eſt enim rationabilis animæ iuſtum iudicium, vt eligat Deo magis ſeruire, quàm ſæculo, vt ſtatuat mandatis Chriſti obſequi, non Diaboli conſiliis deprauari: vt ſpiritualibus inhærere decernat ſtudiis, non carnalibus vitiis implicari: & vt æternam beatitudinem futurorum bre- E uiſſimis mundi voluptatibus, iudicet præponendā. Recti itaque cordis æquo iudicio gradiamur, in omnibus præceptis & iuſtificationibus Domini, vt poſſimus vitæ æternæ conſortium promereri, ab ipſo Dei filio ſempiterno, cuius omnipotentia, cū Patre, & cum Spiritu ſancto permanet in omnia ſæcula: Amen.

DE EO, QVOD AIT DOMINVS IESVS: NVNC IVDICIVM EST huius mundi. Tractatus ord. 12.

POſt illam Dei Patris vocem, qua glorifi- A catum filium rurſus glorificandum dixerat, vbi Saluator locutus eſt ad circunſtantes turbas, quod proxime diſſeruimus huius teſtimonium vocis, non ſui cauſa honoris, ſed noſtræ fidei inſtruenda gratia fuiſſe delatum. Quid ſtatim ſubſequens idem Dominus adiecerit, textus huius, quæ modo decurſa eſt, indicat Euangelicæ lectionis. Nunc inquit iudicium eſt huius mundi. Cō- *Io. 12.* ſiderandum puto, fratres chariſſimi, cuiuſmodi dixerit, tunc imminere iudicium. Si de futuro iudicio, quo per ignem iudicabitur hic mundus ſentiri voluiſſet, non dixiſſet, nunc eſt, ſed dixiſſet, nunc erit: verum quia de præſenti loquebatur iudicio, intueri B conuenit quod fuerit illud præſens mundi iudiciū. Nunquid in primo aduentu ſuo Chriſtus mundum iudicaſſe exiſtimabitur, quem potius ſaluaſſe cognoſcitur, ſicut ipſe teſtatus eſt, dicens: Non enim miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum? Et in Euangelio B. Lucæ *Luc. 3.* legitur, cum quidam vicus Samariæ noluiſſet ſuſcipere Saluatorem, indignè ferentes Apoſtoli Iacobus, & Ioannes dixerunt ad eum: Domine vis, dicamus, vt ignis deſcendat de cœlo ſuper eos, & conſumat eos, ſicut Helias fecit? At ille indignatus prohibuit. O ira miſericors. Quid eſt ergo quod ait, nunc *Luc. 9.* iudicium eſt huius mundi? Iudicium fratres duplici ratione poteſt intelligi. Nam & decernentis ſenten- C tia iudicium dicitur, & ſupplicium patientis dicitur pœna: iudicium alterum agentis eſt, alterum patientis. Iudex facit iudicium, reus ſubit, id eſt, patitur iudicium. Mundum vero cum dicit ſcriptura, aut facere, aut pati iudicium: Non elementorum irrationabilium naturas indicat, ſed accolas mundi ſignificat: ſicuti domus Iſraël dicitur, & non parietes, vel tecta, ſed homines Iſraëlitæ monſtrantur. Ergo dominator omnium Chriſtus poſt inſuſtatum ſacræ Virginis partum, poſt adorata munifico Magorum cultu cunabula, poſt multiplicem doctrinam cœleſtis eloquij, poſt variarum curationum medelas imperio D verbi potentis effectas, poſt iſtud præſens teſtimonium Patris, cum eſſet iam proximus paſſioni, ſic ait: Nunc iudicium eſt huius mundi, tanquàm ſi di- *Io. 12.* ceret: Nunc, nunc, eſt huius mundi iudicium, vtrum credere eligat poſt paſſionem voluntariam virtute propria reſurgēti, vt ex fide ſaluetur: an cum Iudeis, negandum iudicet eum iudicem, qui negaturus erit proprios negatores, dicens ad illos: Neſcio vos, *Luc. 13.* diſcedite à me in ignem æternum, operarij iniquitatis. Siue magis, & ita ſentiendum authoritate coherentis eloquij vtilius approbamus. Nunc iudicium eſt huius mundi: id eſt, appropinquauit hora, vt mūdi Creatorem ac iudicem, mundus iudicet iudicandus. Similiter nanque in Euangelio Lucę loquitur *Luc. 23.* ad Pontifices, & Preſbyteros, & ſtrategos magiſtratus templi, qui ad eum cōprehendendum venerant, quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, & non extendiſtis manus ſuper me. Sed hæc eſt (inquit) veſtra hora, & poteſtas tenebrarum. Poteſtas tenebrarum, poteſtas quippe huius mundi eſt, vel hominum mundanorum, qui in tenebris perfidiæ cōſtituti, lumen nolunt aſpicere veritatis, & quia Deus hominibus agendi quodcunque velint liberum *Liberum Arbitriū.* permiſit arbitrium, exercent in Chriſtum ſacrilegam poteſtatem. Vnde Pilato dicenti, poteſtatem *Io. 19.* habeo

habeo crucifigendi te, & poteſtatem habeo dimittendi te, Dominus ita reſpondit. Non haberes poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper. Denique vt oſtenderet Dominus iſtud quod dixerat, mundi iudicium paſſionem ſuam eſſe, ita copulauit dicens, nūc iudicium eſt huius mundi, nunc huius mundi Princeps mittetur deorſum, ſiue expelletur foras, vt in Græcis exemplaribus legimus. Erat enim Paſſio Chriſti, expugnatio futura diaboli. Vnde ſanctus
Pſal. 50. Propheta Dauid ad eius perſonam loquitur. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, licet hic verſus, & alio ſenſu poſſit intelligi: huic tamen ſatis congruit. Nam Dominus Ieſus in paſſione ſua iudicatur & vincit, moritur & triumphat. Diabolus autem cui princeps huius mundi dicatur ad- B
Diabolus eſt princeps mundi, vſurpatione, nō natura. uertite. Diabolus huius mūdi princeps vſurpatione dicitur, non natura. Etenim ſeducens humanum genus, vt derelicto Deo ipſum Satanam per ſimulacra, colerent manufacta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum, vt aduenientem verum principem ſuum nō recognoſceret mundus, ipſius quippe Diaboli præſtigiis obcæcatus. Nam in
Io. 1. hoc mundo erat Chriſtus, vt Euangeliſta teſtatur, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eū non cognouit. In propria venit, & ſui non receperunt eū. Paſſus eſt ergo Dominus ſe huius mundi iudicio iudicari, ad hunc hoſtē generis humani præcipitandū ſiue expellendum, quia vtrunque vnum eſſe dinoſcitur, & qua ratione vnum percipite. Non in planis atque humilibus habitabat diabolus, vbi pulſus ad alium locum credatur abſque caſu ſuo tranſire potuiſſe, ſed cum de ſublimitate cœlеſti expellitur, vtique deorſum precipitatur. Significāter planè in Græco poſitū eſt, ἐκβληθήσεται ἔξω, id eſt, eiicietur ſiue expellentur foras, vt etiam de animis credentiū iam cœleſtibus, tanquam de cœlis noſceretur eſſe pellēdus, vt ſcilicet expulſo eo, Chriſtus Dominus regnaret in nobis. Quapropter adiecit: Et ego, ſi exaltatus
Io. 12. fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Et exaltādum ſe à terra indubitanter Crucis patibulo indicabat, ſic interloquentis Euangeliſtæ ſermo declarat. D Hoc autē dicebat, ſignificans, qua morte eſſe moriturus. Ego cum exaltatus fuero à terra, inquit, omnia trahā ad me ipſum, videlicet, quod eleuatus in Crucem omne ſeculum ad ſuam fidem vocaturus eſſet. Sed quod ait, omnia traham ad meipſum, & nō omnes, illud ſignificari exiſtimo, quod omnia creaturarum genera, quæ idolis vel immolabātur, vel dedicabantur, Chriſtus ad ſuam benedictionē reuocanda promiſerit, ſuóque nomini conſecranda: Neceſſe eſt enim iuxta ſententiā Pauli Apoſtoli, vt ipſi cōfi-
Philip. 2. teatur omnis lingua, & ſubditus fiat omnis mundus Deo, Deo nēpe huic, qui aſcendit ſuper cœlum cœlorum, ad orientem, vt Pſalmiſta ait. Huic Deo, qui E
Pſal. 67. aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem. Cauendum planè nobis, fratres chariſſimi, ne victoriā Chriſti, qua Diabolum triumphauit, de captiuitate eius nos redimens ſuo ſanguine pretioſo, & auferēs ei humani generis principatum, veſtro vitio irritam faciamus: Illius tyrannidi, per illecebras carnis eius crudeli iterum regno nos ſubiicientes in contumeliam redemptoris. Vnde merito conqueratur increpans, & exprobrans. Quæ vtilitas in ſanguine meo?
Pſal. 29. ſine cauſa meus pro vobis ſanguis effuſus eſt, ſi ita vos geritis. Itaque conuerſemini, ne auctor cupiditatum malarum diabolus, iterum principetur in vobis, ſpolia ſe tanti detraxiſſe victori, prędo ſuperbus A inſultans. Nam dixit inimicus: perſequens cōprehen- *Exod. 15.* dam, partibor ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea. Hac *Rom. 6.* de cauſa nos adhortatur Beatiſſimus Paulus Apoſtolus dicens: Non ergo regnet peccatum in carne veſtra mortali: neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: Et alibi iterum: Idcirco enim Chriſtus, & vixit & mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum, & mortuorū dominetur vtique, vt qui vi- *Rom. 14.* uunt iam, nō ſibi viuant, ſed illi, qui pro eis mortuus eſt, ſed & reſurrexit. Talibus ergo, fratres, inſtrumētis edocti, omnē noſtram vitam Chriſti ſeruitio mācipemus, cuius regnum cum Patre, & cum Spiritu ſancto permanet in omnia ſecula: Amen.

DE NATALI DOMINI CONTRA AVARITIAM IVDÆ, ET PRO PAVperibus, Tractatus 13.

PEr omnes diuini eloquij libros filius Dei non ſolùm Deus, ſed & homo, ac filius hominis prædicatur: In veteri quidem Teſtamento prænūciatur atque promittitur, In nouo autē demonſtratur, & creditur, quoniam vetus lex, vt ait Apoſtolus, vmbra erat futurorum bonorū, illorum quippe bonorum, quę cō- C *Heb. 10.* pleri noſcuntur in Chriſto, quibus homo humani generis hodie per beatiſſimam Virginem natus, redintegrauit imaginē, venenato ſerpentis morſu corruptam: vt cæcus opifex, à mundi principio fuerat, eſſet vſque in cōſummatione ſæculi, reparator. Quis hanc pietatem dignè mirari ſufficiat? quis tantæ bonitatis idoneus prædicator exiſtat? quis proteſtari ſufficiat immenſum, inæſtimabilem Deū ob noſtram vitam fieri voluiſſe, quod homo eſt, & vniuerſarum virtutum cœleſtium conditoré, ad huius terrenæ carnis humilia deſcendiſſe? Sic tamen homo pro nobis factus eſt, vt non deſineret eſſe, quod Deus eſt. Nam D licet Verbum caro factū ſit (vt Euangeliſta teſtatur) *Io. 1.* tamen quia permanet eſſe, quod ante hominē fuerat, addit ſtatim: Et habitauit in nobis. Quo dicto, & habitator oſtenditur, & habitaculū pariter demōſtratur. Sic ergo cœpit eſſe quod prius nō erat, vt nō deſiſteret eſſe, quod erat. Hanc omnipotentiam Filij Dei, & hominis etiā mater Virgo teſtatur, quæ de Spiritu ſancto cōcipiens, ita Deum, & hominem, quē pudico vtero geſtauerat, edidit, vt apud incorruptā tanti nominis matrē, prius diuinum partū glorioſior integritas permaneret. Diuinū rectè diximus partū quia Deus eſt iſte, qui per Virginem natus in carne eſt, dicente Gabriele Archangelo ad eandem: Quod naſcetur ex te ſanctū, vocabitur Filius Dei, ex *Luc. 1.* quo enim carnem noſtræ fragilitatis aſſumpſit, idē Filius eſt hominis, qui & Dei, quia non alius ex Maria natus eſt, quā qui per maternas illapſus aures vterū virginis oppleuit, Sancto videlicet ſpiritu ipſe for- *Prou. 9.* mans hominē ſuum. Siquidem ſapientia ædificauit *Sine vllo* ſibi domum, habitaculū quippe corporis noſtri. Iā *damno in-* ſuum, quo habitaculo indutus eſt, ſine vllo dāno in- *tegritatis,* tegritatis maternæ egreditur. Nam beatiſſima Maria *Chriſtus* incorruptibilem pariēs, & mater, & virgo eſt. Hæc *ex vtero* ad demonſtrandū incarnationis Filij Dei myſterium *Virginis* breuiter dixerim. Nūc ad partē venio illius lectionis *egreſſus* Euāgelicæ explanandā, quæ iamdudū fuerat aliis in- *eſt.*

cumbentibus prætermissa. Nam differuimus, vt meministis omnem textum lectionis eius, quæ cœnantem describit in Bethania Dominum explanantes discubitum Lazari, rationem locit& temporis, Martæ ministerium, sororis eius obsequium, vnguenti virtutem, rationémque criminũ, quibus Maria precioso myrrho vnctos Christi terfit pedes, & quẽadmodum Iudas pio debitóq; aduersarius obsequio dum patronus pauperũ vult videri, furti reus arguitur, sed illud omisimus, vel potius reseruauimº, quid inter hoc locutus fuerit Dominus Iesus. Sine inquit eã, siue sinite, vtrũque enim & in Græcis, & Latinis exemplariis inuenitur, sed magis congruere videtur sensui cum legitur sinite, &c. propter illa, quæ plura liter subsequuntur, pauperes enim semper habetis vobiscum. Quærendũ ergo dilectissimi, quamobrẽ ad Iudæ solius verba pluraliter responderit Dominus, sinite eam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscũ, me autem non semper. Admirabilis vero ac nimium prouidens Christi patientia. In commune omnibus discipulis loquitur, vt aduersantis Iudæ contumeliam temperet. Neque acriter, vt in fraudatorẽ inuehitur, sed dissimulato eius crimine, quem & Euangelista furẽ nouerat, leni monitu vniuersos pariter instruit, docens illud interim, quod Maria fecerat, necessariò erga se celebratum fuisse sepulturæ mysterio. Cæterum pauperibus largiẽdi omni tempore, si quid vellent, esse posse copiam, quia semper nobiscum sint: sibi vero in carne non diu à quoquam ministrandũ, quia post imminentem passionem resurgens, continuò susceptum corpus ducturus esse ad cœlum. Idcirco autem supradicta lenitate ac promisso monitu, Iudæ sermones Christus euacuat, ne aut ipsi Iudæ occasionem excudendi furoris tribueret, aut alicui Apostolorum quicquam scrupuli daret, piam fortasse suspicanti Iudæ suggesturo nem: vel certe, ne cuiquã postea lecturo, aliquod offendiculum reseruaret. Iudas enim, licet studio fraudis, & odio Saluatoris, sub prætextu pietatis tamen illa ipsa fallaciæ verba deprompserat. Quare hoc vnguentum venũdatum nõ est, inquit, denariis trecẽtis, & datum est pauperibus? Irreligiosus nimium, & satis importunus dispositor, auari fraudatoris affectum, crimen videlicet propriũ, sub specie religionis, dum tegere conatur, expressit. Irreligiosus planè atque importunus, quia, quod ad honorem Christi factum fuerat, non modo superfluum computauit, verum etiã sermone improbissimo reprehendit. Fraudatur etiam quia loculum tenens exportabat ea, quæ mittebantur ad vsus indigentiũ, sicut Euangelista conqueritur: Auarus quoque, quoniam nõ satiabatur stipendia pauperũ quotidie subtrahendo: sed & sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra conuertere: conuertit autem non in monentanea suæ cupiditatis lucra, sed salutis detrimenta perpetua. Siquidem non multo post vniuersa, quæ vel impius fur collegerat, ex fraudibus perpetratis, vel quæ sacrilegus Christi traditor pro mercede iniquitatis acceperat, cũ vita pariter amisit. Nam prædictorũ facinorũ cõscientia strangulatus, mortẽ debitam laqueo sibimet intulit præparato, cõfestim rapiendus ad inferni supplicia. Quod autem vnguentum illud ad obsequium profecerit dominicæ sepulturę, idem Saluator in Euangelio Matthæi, apertius declarauit. Mittens, inquit, hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepelien-

Io.13. Mat. 26. Mar. 14.

Christi patientia.

Iudæ auaritia.

Mat. 27. Act.2.

Mat. 26.

dum me fecit. Quãuis ergo Dominus Iesus, conscientiæ iudex esset, noluit tamen Iudam, de occultis eius actibus increpare, ne quoniam verisimili ratione videbatur locutus, putaretur forsitan iniustè correptus, atque hinc iracundia eius tantam cõcepisse causam, vt inimicis necandum traderet, quem sine vllo peccamine habuisset infensum: Nihil acerbum Christus voluit pro merito scelerate mentis illius loqui, ne Iudas eum tradere videretur iratus. Vult enim Dominus verè iustus Iudex, vt meriti proprij sibi causa quisquam, vult & iustum pro sola iustitia pati, vult & iniquum, si in malitia perduraverit, reum mortis proprio arbitrio iudicari: Figurauit enim Deus hominem, vt Scriptura testatur, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, & dimisit eũ in manu consilij sui, posuit ante eum aquam & dicens: Ad quod volueris, extende manum tuam. Posuit, inquit, ante hominem Deus aquã, & ignem, id est, refrigeriũ, & pœnam, remissionem & supplicium, vitam & mortem. Quis oro, non refugiat suppliciũ, pœnã & mortem, & eligat refrigerium, remissionem ac vitã? Sed ille fugit mortem, qui per itinera graditur vitalium mandatorũ: ille donum percipit vitæ, qui per laborẽ Spiritus, alium studiorũ mortales actus euitat. Idcóque dictum est, ecce aqua & ignis, ad quod volueris extende manum tuam, hoc est opus tuum. In manu quippe opera demonstrantur, quia nec tormentis subiici sine crimine possumus, nec præmiũ sine certamine promereri, dicente Apostolo: Nunquid iniustus Deus, qui infert iram? & iterũ, quoniam non coronatur quis in Agone contendens, nisi legitimè certauerit. Certamen nostrum cõtra vitia carnis est, contra cupiditatem pecuniæ, contra animi iracundiam, quæ sunt arma diaboli, quibus resistendum est vtique galea fidei, lorica continentiæ, misericordiæ clypeo, in quo possimus (vt ait Apostolus) omnia iacula nequissimi candentia extinguere: Etenim sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosina resistit peccato, id est, sicut aqua Baptismi salutaris extinguit flãmam Gehennæ per gratiam, ita eleemosinarum fluuio, omnis ille coaceruatus post acceptã fidem, peccatorũ ignis, extinguitur, si tamen post conuersionẽ, non iterũ renouatis criminibus inardescat. Is enim qui eleemosinis remedium peccatorum pœnitens quærit, debet iam non agere pœnitenda, ne quod vno latere extinguitur, alio succendatur. Fluuium diximus eleemosinarum, vt largitatem donandi sentires, sed rarus quis est, qui vel rorẽ spargat eleemosinæ suo refrigerio pro futuro? Egreditur de Ecclesia Christianus, & surdis auribus precantem pauperem præterit. Ita nos Deus exaudiet obsecrantes, ita inter pericula imminentium barbarorum auxilio protegi diuino merebimur: Scriptũ est enim, Bonũ esse ieiunium, cũ eleemosina, vtrúmque fieri oportebat ad indignationem Domini mitigandam: sed ieiunare forsitan non potes, & non potes, quia non vis: vel certè esurientibus alimenta largire. Qui tribus horis, præter solitum ieiunus esse non potes, poteris profecto intelligere quid patiatur ille, qui per inopiam ieiunat inuitus, quem ieiunare tua crudelitas facit, qui largis dapibus saginatus, nec exiguo cibo famẽ solari cogitas indigẽtis. Sterilitatẽ causaris, necessitates prætẽdis, tẽporis angustias quereris, turpius illo indigẽte mendicas, quin potius Deo ingratº existis, dum falso quereris. Sed esto, si sterilitas fuerit. Hãc tu solº sentis quæso, pauper ille nõ sentit? Qui

Quare christus non acrius increpauit Iudã.

Liberum Arbitriũ.

Eccl. 15.

Ephe. 6. Eleemosina peccatorum remedium. Ephe.3.

Thob. 3. 12. & 13

Qui quod argentum nouum quotidie lucrari moliris? Domos marmoribus extruis? Vestes sericas cõparas? Monilia auro gemmísque preciosa mercaris? Pudet dicere, pœnitet recordari, quantus numerus rusticorum de possessionibus prædicta pompa viuẽtium, vel fame sit mortuus, vel eleemosyna Ecclesiæ sustentatus. Proh dirum nefas, mortui sunt homines in quibus omnis census est possidentis, ita nec præsentis temporis vtilitatibus consulunt, dum nimia cupiditate cæcati sunt. A nostris ergo incipientes, charissimi benefaciamus egẽtis, ac miseris, victũ, potũ, vestitum indigentibus ministremus, quia operũ talium iustus retributor est dñs, qui cum venerit in maiestate sua, regnum cœlorum largietur de parte dextra pro merito constitutis nutritoribus inopum. At è cõtrario inhumanos, atque impios æternis decernet ignibus concremari, seipsum dicens in pauperibus vel pietate fotum, vel crudelitate neglectũ. Tãtus erga pauperes suos nostri Saluatoris affectus est. Studeamus ergo diligere, & in pauperibus Christũ, qui nos dilexit per omnia, qui tanquã bonus pastor animam suã posuit pro ouibus suis. Sed si explanare cœpero, quibus officiis delectationem tuã circa Dñm probes, nescio vtrum meipsum loquentem diligas, nescio vtrũ me libenter audias, nisi si forte ita religiosus es, vt sicut lætabaris paulò ante in diuinis beneficiis, sic etiam in præceptis eius parere desideres, & amplectaris discere, quæ sint exercẽda erga Deũ dilectionis officia. Ipse dñs loquitur, qualis amor esse in eum debeat vniuscuiusque credẽtis. Qui habet præcepta mea, inquit, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Perfectè eũ ille diligit Deũ, qui præcepta eius, vel habet in ore, vel custodit in opere Nã qui perfunctoria cõfessione, ore tantũ refert diuina mãdata, & ea nec mẽte retinet, nec factis seruat, nequaquã potest hic dicere. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione, sed necesse est, vt cum Synagoga populi cõtemptoris increpantem Deum audiat per Prophetam. Populus hic me labiis diligit, cor vero eorum longè est à me. Nolite errare, Deus non irridetur. An existimatis, quod Deum diligat tepidus, ac negligẽs Christianus, qui idola in possessionibº suis coli permittit, qui fanum dæmonis, & aram diaboli stare, in contumeliam Dei patitur, qui adulteria, & stupra exercere non desinit, qui aliena quotidie rapit, quotidie concupiscit necare proximum quibuscunque modis gestiens, quo vel voluptatem, vel cupiditatẽ suam licẽtius impleat, licet explere non possit. Nam stupri assiduitate, luxuriam carnis non cohibet, sed accendit, dicente propheta. Omnes fornicantes, velut ardẽs clibanus corda eorũ. Prædatoris quoque rapacitas, non comprimit auaritiam, sed irritat. Scriptum est enim, Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis. Nec ille Deum diligit qui non miseretur pauperum, in quibus Christus, se vel foueri contestatur, vel negligi. Quod enim non feciſtis inquit, vni ex minimis his, nec mihi feciſtis. Et Ioannes Apostolus in epistola sua loquitur, qui viderit fratrem suum, in necessitate constitutũ, & clauserit viscera sua ad eum, non est charitas Dei in illo. Mentitur ergo se amare Christum, qui eum in egeno non diligit, qui dilectionem, quam promittit verbis, negat operibus: Studeat igitur vnusquisque factis misericordiæ approbare, quod Deum diligat, vt dilectio Dei mundet eum ab omni peccato.

Merito bonorum operũ, Deº retributor est.

Mat. 25.

Io. 10.

Io. 14.

Psal. 110.

Osee 7.

Mat. 25.

Io. 3.

Vis autem nosse, quantum subleuent eleemosynæ onera peccatorum: Audi consilium, quod peccatori diuiti ingerit Propheta Daniel. Nunc inquit, Rex consilium meum placeat tibi. Iniquitates tuas eleemosinis redime, & peccata tua miserationibus pauperum. Sed fortè vel tibi, vel filiis tuis, seruatum æstimas, quod pauperibus negas. Nolo, sis tam periculosè solicitus. Nescis enim, quid pariat subsequẽs dies. Deus noster potens est, & illis dare, sicut & tibi: quinimo quicquid largitus pauperibus fueris, & tibi, & tuis liberis contulisti, deesse nihil poterit eis, quibus Christum participem feceris. Nouit retribuere, qui se in pauperibus testatur accipere, securus dona. Est enim repensor idoneus, qui cœlorum regna promittit. Loquitur scriptura diuina. Cõclude eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit ad Deum, hoc est dixisse, vende patrimonium, & eme patrocinium, cuius interuentu certus de impetrata venia, venturum iudicem, liber mercaris aspicere. In Euangelio autem. Si vis perfectus esse, ait: vẽ de omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo, & veni sequere me. Si omnia erogare præcipimur, aduertamus, quis reatus exspectet eos, atq; eas, quibus sericæ, & purpureæ, & auratæ vestes in vsu sunt, si nudos qualicunque induméto non texerint. Quædam fœminæ onerant auro, & margaritis, vel sua, vel filiarum mẽbra, & aridis manibus præteruent inopum precantium turbas. Brutis quoque animalibus, equis ac mulis ex argẽto, & auro subtilia ornamenta cõponunt: & homini ad imaginem Dei facto, vilissima vel vestimenta, vel alimenta non tribuunt, & existimant se aliquam requiem in die iudicij inuenire: nisi vel de cętero opera pietatis accipiãt. Obsecro vos misericordes simus in pauperes, vt & ipsi iuxta Domini eloquium, misericordiam consequamur, & diuites, & mediocres, certatim debent eleemosynas dare pro viribus. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus. Nudus exiui, ait S. Iob, de vtero matris meæ, nudus iterũ reuertar in terrã. Hoc secũ quisque portat ex facultatibus, quas accepit, quod in opus religionis impenderit, quod pro dilectione Dei fecerit, præceptis eius obtemperans, dicetur enim in die iudicij: Ecce homo & opera eius. Non dicetur, ecce homo & portẽtia eius, & hæredes eius. Operũ, qui præcepta cõmisit, misericordiæ repensor est, qui docuit pietatem, qui dilectionẽ sui in præceptorũ probari custodia præfiniuit. Nam sibi præstitum reputat, quicquid egeno præstiteris. Vnde alibi legimus, Qui miseretur pauperibº, Deo fœneratur: Recipiet enim magna pro modicis, & cœlestia pro terrenis, ab ipso Dei filio sempiterno, cuius regnum cum patre & cũ Spiritu sancto permanet in omnia secula.

Dan. 4.

Eccl. 8.

Eccl. 29.

Mat. 19.

Mat. 5.

1. Tim. 6.

Iob. 2.

Prou. 19.

DE PROMISSIONE PARACLETI Tractatus ordine 14.

INeffabilis prouidẽtia vnigeniti filij Dei, veritatem fidei salutaris, quã pariter excipere humana corda nõ capiunt, paulatim dignatur suis aperire discipulis. Nam de vnitate Diuinitatis suæ, cum patre plurima in superioribus dictis docuerat, sicut proximo tractatu exposui, ostendens intantũ nihil diuisionis esse inter patrem & Filium, vt etiã sermonem suum, quem loqueretur suum diceret non esse, nisi patris esset. Dixerat enim, & sermo meus quẽ audietis meus non est, sed eius qui misit me patris. Quo dicto satis cla-

Iob. 8. & 15.

ruit, Patris contemptores esse vniuersos doctrinam filij vnigeniti contemnentes. Quoniam quem suum sermonem dicit filius, hunc suum negat esse, nisi sit Patris. Tunc enim Filij sermo est, si Patris sermo est: Quia oia puer, quæcunque habet, mea sunt, inquit. Et alio in loco ad patrem dicit: Quoniam tua omnia mea sunt, & mea tua sunt, per vnitatem videlicet diuinæ substantiæ, quæ nescit aliquid habere suum, quod naturæ suæ non sit. Nunc autem subsequens adiungit, statim eandem quoque sancti Spiritus vnitatem credi oportere, dum plenitudinem doctrinæ suæ per ipsum Paracletum prædicit consummandum, dicens: Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem ille Spiritus sanctus, quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia & admonebit vos omnia, quæ ego dixi vobis. Prænũciare quidem beatis Apostolis eloquio isto dignatus est, & suum, & post incumbentem passionem, ad cœlos regressum, & sancti Spiritus super eos de cœlis aduentum, cum dicit: Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem ille Spiritus sanctus, quem mittet pater meus. Sed neque Spiritus sanctus in Cœlo erat solum, & in terra non erat, neque Filius ita Cœlos ascensurus erat, vt terras relinqueret: neque Pater tantum cœlestem throno possidet, vbi remeare Filius, & vnde Sanctus venire Spiritus perhibetur. Nam Propheta beatissimus huiusmodi cõfessionem refert ad Patrem: Quo ibo inquit à Spiritu tuo, & à facie tua quo vadam? Si ascendero in cœlũ, tu illic es: Si descendero in Infernum, ades, si sumpsero pennas meas in directum, & habitauero in postremo maris. Si sumpsero inquit pennas meas, &c. Bene quod pẽnas suas habet, quibus adsumptis quocunque desiderat: penetrat. Cæterum qualiter Propheta in corpore constitutus, vel in Cœlum ascensurus erat, vel in Infernum descensurus, vel trans vltima maria perrecturus? Quas tandem, quas habet pennas? Alias fidei, mens credentis assumit, vt sublimiora terrenis, vt totus in spiritu cõstitutus possit comprehẽdere, cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo, & altitudo, & profundum scientiæ dei: Istas fidei alas hæretici non habentes de Deo disputant, & per terrena voluuntur, & à sublimitate diuini intellectus, ad caduca atque carnalia deducuntur, cogitationum terrestrium põdere grauati. Nec ad notitiam possunt illius immensæ Diuinitatis accedere, vbi non habet, nisi sola mẽs fidelis accessum, quæ adorandæ Trinitatis vnitatem sentit, credit, confitetur ac prædicat & quoniam dignè exprimere non potest, in eo vel maximè gloriatur: Quo ergo ibo, inquit à Spiritu tuo, & à facie tua, quo vadam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in Infernum, ades, si sumpsero pennas meas in directum, & habitabo in postremo maris, etenim illic manus tua tenebit me, & deducet me dextra tua. Indiuulsam Trinitatis naturam, confessio ista signauit, quo ibo, inquit, à Spiritu tuo (ipso nẽpe Paracleto) cuius plenitudinem sumentes Apostoli promissionem dei fatentur impletam, Petri ore testantis. Hoc est, quod dictum est per Ioel Prophetam. In nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Et à facie tua, quo vadam? A filio scilicet, qui facies Patris est, quoniam Pater videtur in filio, iuxta ipsius Domini sententiam Saluatoris, qui obsecrãti Philippo: Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis, ita

Spiritus sancti Diuinitas.

Io.14.

Psal. 138

Ephes. 3. Fidei alas hæretici non habent.

Act. 2. Ioel. 2.

respondit: Tanto tempore sum vobiscum, & non agnouistis me? Philippe, qui vidit me, videt & patrẽ meum. Quomodo tu dicis Ostende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Ne verò diuisus putaretur, vel Spiritus sanctus à patre, cuius Spiritus est, vel Filius ab eo crederetur seiunctus, cuius & facies, & dextera, & sapientia, & virtus est. Non ait, si ascendero in cœlum, Spiritus tuus illic est, vel facies tua, & spiritus tuus illic sunt, sed tu, ĩnquit, illic es. Cũ Filio vtique & cũ Spiritu sancto. Quoniam Trinitatis adorandæ vna eadémque diuinitas semper vbique est, sed, vt Patris & Filij & Spiritussancti, vna traderetur credẽtibus fides & distincta confessio, propterea pater & Filiũ mittere, & Spiritũ scribitur sanctũ. Cũ neque, qui mittit, neque qui mittatur, Deo credi possit: si in quodã loco est, & in quodã loconõ, id est, ipsi filio credam' loquẽti, qui veritas est. Nõ sum solus (inquit) quia pater mecũ est, & iterũ de Spiritu sancto. Si ergo (inquit) in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Et Euangelista Lucas: Iesus autẽ plenus Spiritu sancto, regressus est ab Iordane: Cum igitur nusquã desit diuinitas Trinitatis, dispẽsatio salutis nostræ est, quod mittens prædicatur & missus. Aliter enim credere mens humana nõ caperet, Patrem patrem esse, & Filium Filium, & Spiritũ sanctum Spiritũ sanctum, nisi distinctionem disceret ex nuncupatione mittentis ac missi. Et rursus vnam diuinitatem non agnosceret patris, & Filij, & Spiritus sancti, nisi missum legeret à mittente nullatenus separati. Nam nec pater, vt prædictũ est, missum deseruit Filiũ, nec Spiritus sanctus, qui dirigendus erat Apostolis, vnquã patri ac filio defuisse mõstratur: ita tamen, vt Filius dei tantum fuerit incarnatus. Nam Verbum caro factũ est, vt legimus, non pater, non Spiritus. Quomodo autẽ istud incarnationis mysteriũ Filius Dei salua vnitate Trinitatis impleuerit, illa omnipotentia testis est, quia idem dei Filius, sic cũ corpore suscepti hominis ascendit ad cœlos, vt vsque ad finem seculi cum suis discipulis permaneret. Ecce enim inquit: Ego vobiscum sum, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vsque ad cõsummationem seculi (inquit) vobiscum sum. Nõ solum cum Apostolis, sed cum Discipulis vtique credentibus vniuersis. Credere itaque nos oportet, nõ aliter esse deum, quam seipse propitio sermone reuelauit esse credendũ: Facta quoque eius non debemus rebelli spiritu discutere, sed fideli studio admiri, quoniã rectus est sermo dñi, & oia operã eius in fide. Si oia opera in fide, quanto magis istud opus sacratissimę incorporationis eius. Desinam' ergo fide neglecta, cõtumeliosis quæstionibus diuinũ pulsare mysterium. Nam scrupulositas hæsitanti intelligentiam factorum Dei superflua curiositate non inuenit, sed fidem perdit, quam constat esse ducem salutis ac vitæ. Quod autem nimia scrupulositas fidem perdat, facilè potest ex vna specie diuinæ operationis intelligi: Dixit deus: Fiat lux, & facta est lux, & cum non assequar, qualiter eam Creator eius ex nihilo fecerit, nisi credidero, tamen & confessus fuero eam factam, mendacem Deo sacrilega cunctatione pronuncio. Vniuersa itaque opera eius, & præcipuum diuinum opus incarnationis filij Dei sicut Scripturæ sanctæ prædicãt, fideli affectu mens debet vniuscuiusque credentis excipere, & quod stabili corde crediderit, fido oris obsequio confiteri, corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio

Io.14.

Mat. 28.

Psal. 33.

Gen. 1.

confessio ad salutem. Quod verò plenitudinem doctrinæ suæ per sanctũ pollicetur Spiritũ tribuendã, æqualem sua omnipotentia eum, credi voluit. Non est enim in Trinitate Dominus & seruus, Deus & Angelus, creator & creatura: sed est aliud idem, aliud persona. Id enim natura ac perinde nõ dij, sed deus. Quia diuisionem non capit vnitas deitatis: Ait denique: ibi Christus de Spiritu sancto, quem mittit pater in nomine meo, id est, in Dei nomine, deum scilicet sicut filium profitendum, & ideo filius Dei de se quidem dicit: Ego veni in nomine patris mei, quod & Propheta de illo prædixerat, & pueri in Euangelio laudantes probauerant, dum clamarent: Benedictus qui venit in nomine domini. Recte in nomine Domini, non in nomine serui, quia Deus, non in suo, quia filius. Nomen enim patris in filio. De se ergo inquam, dicit filius: Ego veni in nomine patris. De sancto autem Spiritu dicit, quem mittit pater meus in nomine meo. Et cum baptismi opus in Trinitate decerneret celebrandum, non ait in nominibus, sed in nomine. Pater enim Deus est, & filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est. Sicut sanctarum Scripturarum testimoniis dilectioni vestræ sæpius approbaui, ac propterea vnum Trinitatis est nomen, cuius vna virtus atque diuinitas permanet in omnia secula, Amen.

Spiritus sancti Deitas.

Io.14.

Io.15.

Mat. 21.

Mat. 28.

TRACTATVS EIVSDEM DE MACHABEIS MARTYRIBVS ET die natali eorum.

Machabeos inter Martyres honorari. Maiores constituerunt.

SI quis vestrum fratres dilectissimi fortasse miratur, Iudæos viros supplicia pro legis præcepto perpessos, nunc à Christiana plebe inter sanctos Martyres honorari: Is profecto, si omnem sanctę religionis causam rationémque cognouerit, intelliget probabili ac summo iudicio id fuisse à nostris maioribus constitutum. Iudæi erant isti ante aduentum Domini Saluatoris sub lege tantum veteri conuersantes quique cognomentum Machabeorum trahant ex genere, sicut hodie Ariciorum progenies, vel si qua sunt huiusmodi nuncupationum vocabula quæ stirpem nobilitatis vsurpent ex diuitiarum terrestriũ cumulo descendentem, cum vera nobilitas, nõ subsistit ex diuitiis: sed cognoscatur in moribus. Quanto enim nobiliores isti septẽ pueri Rege Antiocho, quinimo quam clara in istis nobilitas Dei, & quam ignobilis in illo ac pœnalis nota perfidiæ? Isti Deum patrem colunt, iste diabolum: isti venerantur legem patriam, ille contra Deum rebellans, filium se fatetur esse Diaboli. Cogebat enim contra præceptum diuinæ legis, vt suillas carnes comederent, non dubium, quod sacrificio profano pollutas. Coinquinatis enim & infidelibus nihil mundum: sed esto (vt quidam volunt) sacrificatæ diabolo carnes illæ non fuerint, quia hoc ipsa scribentis historia manifestius non deprompsit: Attamen grauissimi erat extremíque delicti, præceptum Diuinum, vel blandientibus præmiis, vel suppliciis cruciantibus temerare. Præceperat Iudæis Deus, ne porcum, cæteráque illi similia manducarent, & erat hoc duplici de causa, fra tres charissimi, siue vt luxuriosus populus flammam carnalium vitiorum calidis carnibus non nutriret: Perhibentur enim calorem nimium præstare corporibus, siue vt porcorum more non viuerent. Nã sues semper immundi sunt, & de fonte, vel de fluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum, nec vnquam intuentur cœlum, sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Et idcirco Dominus legionem Dæmonum in gregem permisit ire porcorũ, idem, in eorum gregem, qui tantum ventris sunt animalia, qui nunquam cœlestia intuentur, sed immunditiis semper dediti & cœno sunt obliti vitiorum. Salubriter ergo Deus vel abstinentiam gulę, vel continentiam immundarum actionum imperauit. Lex enim sancta & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Salutaria videtur, mandata diuina sunt. Nam qui fecerit ea homo, viuet in illis: Sed finge nihil noxietatis inesse suillis carnibus, nec vllum fomentũ illecebris augere corporeis, quoniam sunt hodie omnia munda mundis, sanctificata per verbum Dei & orationem: præcipientis tamen Dei erat potestas & authoritas cogitanda, qui istud iusserat, tunc temporis obseruari. Nemo enim imperãtem dominum, aut sine pœna sui sacrilegij discutit, aut impunè contemnit: Nam neque in illa arbore inesse malũ potuit, quam inter cæteras arbores paradisi bonus Creator plantauerat, cuius fructu ita erat speciosus ac dulcis, vt concupiscentiam præstaret oculis, gulæ conciliaret illecebram. Scriptum est enim: & vidit mulier fructũ ligni, quia gratus est ad aspectũ, & dulcis ad escam, & accepit & manducauit & dedit viro suo. Sed si fortè dixeris. Non omne quod gratum videtur & dulce, bonum quoque esse, quia sint aliqua etiam mala, quæ grata videantur & dulcia: Cedo, acquiesco, consentio. Mel enim distillat (vt ait Scriptura) à labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impingat fauces tuas, nouissimum autem amarius felle inuenies, & acutius gladio, vtraque parte acuto. Et certè malum nihil est, vel in specie, vel in sexu mulieris, sed est vtique malum in voluntate peccantis, & per intemperantiam concupiscentiæ transgredientis, à legitimo iure coniugij. Nam & vini natura, cùm bona sit, rectè tamen damnatur ebrietas. Audi modò generalem de creatis omnibus diuinæ scripturæ sententiam. Et vidit Deus omnia, quæ fecit, & ecce bona valde: Tamen quia veritatis ratio postulabat & seruilis humana conditio legem Dei dominantis acceperat proprij arbitrij libertati permissa, vnam Deus elegit arborem de omnibus lignis paradisi, non vtique malã, sed in qua esse scięntia boni & mali videtur, in qua seruorum suorum obedientiam pertentaret, vt libertas arbitrij vel immortalis præmium possideret obediens, vel contemnẽs exciperet mortis interminatæ sententiam: Manducauit homo, quia voluit, mandatum non custodiuit, quia noluit, morte mulctatur, quia mãdatum seruare potuit & non studuit. Arbor quidem bona & fructus quidem bonus, sed præuaricatio mandati mala, & contemptus Dei malus, atque ita malum non in fœtu arboris est, sed in voluntate hominis transgressoris. Igitur si vnius arbusculæ fructus cõtra dei mandatum temerè à Protoplastis degustatus, mortem generi acquisiuit humano: potuit & Machabeis tunc sub lege positis interitum parare mandati Diuini transgressię, quibus nunc honorẽ & gloriam præcepti eius custodia comparauit, fidem Dei in ipso viriliter constãterque seruantibus. Nam fidẽ Dei seruat, qui mandati eius iura non violat, quoniam non idcirco illi manducare illicita, quòd horrorem paterẽtur in specie, sed contumeliã facere prohibẽ-

Ro. 10.

Spiritus sancti Deitas.

Io.14.

Io.15.

Mat. 21.

Mat. 28.

2. Mac. 7

Tit. 1.

Leuit. 11. Deut. 14.

Porcum edere Iudæis vetitũ fuit, duplici ex causa.

Mat. 8.

Rom. 7.

Deut. 4. Tit. 1.

Gen. 2.

Prou. 16.

Homo peccauit quia voluit.

[Luc. 16.] ti Deo iustissimè formidarunt. Qui in modico fidelis est, ait Dominus, & in magno fidelis est. In magno fuerunt isti fideles, idolothyta inter supplicia respuerunt: in paruo fuerunt fideles, si carnes solum prohibitas, non comederent, suas potius deuorandas suppliciis tradiderunt. Insignior fides est, quæ nec in modicis violatur. Formam tolerantiæ præbuerunt isti beatissimi fratres futuris post Passionem Christi martyribus, vt intelligant quanta animi magnitudine & constantia pro Redemptoris nomine dimicare debeant, pro cuius mandato tam pertinaciter certassent. Nemini absurdum videatur, quod eos paulo antè Aniciis comparaui. *[2. Mac. 7]* Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur inuicti. Exercuit enim varia suppliciorum genera in eorum corporibus crudelissimi tyranni feritas, & cum non valuisset, constantiam fidei in sex fratribus atrocitate supplicij superare callidus persecutor, in septimo, quia esset iunior, ad blandimentorũ sese tormenta conuertit, diuitiarum præmiis & honorum promissionibus puerum torquens, quem tamen detorquere nõ potuit. Erat enim fratrum suorum frater, & illius filius matris, quæ cum singulos filios pro Dei nomine puniri læta, & aspicit & hortatur, tot martyria pertulit, quot pignora consecrauit, septies in propriis passa visceribus, octaua & ipsa accessit numero ad octauum Christi Resurrectionis diem, cum charis pignoribus occursura. *[Mater Machabæorũ septies Martyr.]* Vnde non immeritò præsumitur ista mater beatissima Ecclesiæ sanctæ imaginem præmonstrasse quæ spirituales Deo filios parere consueuit, nihil de carne & sanguine cogitantes. Iam verò si quis à me superioris disputationis reliquias exigat inquirens, cur illi cibi qui fuerant caussa continentiæ in lege prohibiti, non etiam nunc eiusdem rei gratia arceantur, breuiter vt sentio, respondebo. Sic ablatas fuisse de medio legalium præceptorum multiplices obseruationes reor, vt generalia præcepta in statu pristino perdurarent: Diximus pudicitiæ seruandæ causa, Iudaico populo abstinentiam vel porcinæ carnis, vel similium quadrupedum, nec non & quorundam volatilium atque piscium fuisse interdictam, adhærentibus licet typis rationabilium figurarum, quas Doctor spiritualis, propriis quibúsque locis singillatim debet exponere, sed quoniam terrenorum mentes perplexitate multiplicium mandatorum onerari, potius quam instrui videbantur, indefessa, & in hac parte erga humanum genus Diuina prouidentia per Prophetam promittitur Esaiam: Quoniam verbum *[Isa. 10.]* abbreuiatum faciet, inquit, Dominus, super terram. *[Rom. 9.]* Et idcirco beatus Iacobus cum cæteris Apostolis *[Act. 15.]* decretum tale constituit in Ecclesiis obseruandum, vt abstineatis vos, inquit, ab immolatis, & à sanguine id est, à suffocatis. Præter miserum homicidium, adulterium, veneficia, quoniam nec nominari ea in Ecclesiis oporteret, quæ legibus etiam Gentilium punirentur. Prætermiserunt quoque illas omnes minutias obseruationum legalium, & sola hæc, quæ prædiximus custodienda sanxerunt, ne vel sacrificatis Diabolo cibis prophanemur immundis, vel ne emortui per viscera suffocatorum animalium sanguinę polluamur, vel ne immunditiis fornicationum corpora nostra, quæ templa Dei sunt, violemus. Sic ergo permiserunt omnia manducari, vt fornicationem præciperent fugiendam. Nostri iam debet esse moderaminis, tantum laxare habenas licentiæ, ne præcipites feramur in luxum, sed vt pudicitia tuta esse possit, quam beatus Paulus sine Circũcisione gulæ sciens custodiri non posse, sic ait: Omnia quidem munda sunt & nihil abiiciendum, *[Tit. 1.]* quod cum gratiarum actione percipitur, sed malum est homini, qui per offensionem manducat, id est, qui offensionem patitur, cum manducat, & subiecit statim salutare consilium: Bonum est (inquit) non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in *[Rom. 14.]* quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Quis ille coniunctior frater, quam homo noster exterior? Cui ne nostra licentia vel offendiculum, vel infirmitatem, vel scandalum pariat, vtendum est ciborum licentia, non abutendum, vt sciamus nos non edendi causa esse natos, sed esse viuendi, Quapropter imperio Animæ carnis conditio obsecundet, ne effrenata licentia, vt ait Salomon, seruus regnet, & stultus saturetur, & *[Non edendi, sed viuendi causa nati sumus.]* ancilla eiiciat dominam suam, cum Lex præcipiat: eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Eiiciamus ergo ancillam concupiscentiam, & filium eius peccatum, vt efficiamur hæredes Dei, cohæredes autem Christi, *[Prou. 30.]* qui lignũ Crucis suæ propriis portando humeris *[Gal. 4.]* imaginem Passionis, quam sub vmbra legis in sancto Isaac præmonstrauerat, in veritate hominis suscepti compleuit, precioso sanguine suo vitam nostram redimens, ab æternæ mortis exitio: Ipse est enim nostra Redemptio, cui omnis honor, virtus, & gloria, cum Patre, & cum Spiritu sancto per omnia secula, Amen.

EIVSDEM TRACTATVS, QVEM PRIMA DIE ORDINATIONIS IPSIVS, quorundam ciuium notarij exceperunt.

IMperitiæ meæ cõscius & ætatis ipsius immaturæ ad Sacerdotij dignitatem pudore deterritus, meritò silẽdi licẽtiam à summis Sacerdotibus postulabã. Metuo enim primùm, ne via verborum cœlestiũ exiguitatis meæ sermone tenuetur: Deinde erubesco, quod tantæ expectationi optatum doctrinæ fructũ præstare nõ valeo. Vnde imparẽ vestro per omnia desiderio sentiens onus istud totisviribus conatus sum declinare. Sed B. pater Ambrosius cæteríq; venerãdi antistites sacramẽto, quo temerè vos ipsos obligastis astricti tales ad me epistolas, cũ vestra legatione miserũt, vt sine dãno animæ meæ vltra iã resistere non valerẽ, cui ab Orientalibus quoq; Episcopis, nisi meũ ad vos reditũ pollicerer, salutaris cõmunio negaretur. Tali igitur conclusus articulo, & authoritate Sanctorũ præsentiũ subiugatus, suscepi hoc summi Sacerdotij munus, nec merito dignus, nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus. Intuemini ergo quid patiar, qui cũ loqui nesciã, tacere nõ possum. Cogor enim seniorũ præcepto obsequi vltra vires meas, nec potestatẽ silendi habẽs, nec fiduciã proloquendi. Sed spiritualium patrũ salutaria esse præcepta Diuinæ legis authoritate perspiciens, audeo in verba prorumpere, ac tenuem vestris auribus inferre sermonẽ. Quem idcirco forsitan patienter accipitis, Quoniã populo Christi vtile videatur obedientiã, quæ & sacrificio diuino pręponitur, & mãdatis Dei omnibus anteferatu, exẽplo discere prædicãtis: Nã cũ popul⁹ Hebręorũ, post Ægyptia illa portẽta, ad vnius Dei notitiã vo- *[1. Reg. 15.]* *[Mat. 9.]*

caretur,

caretur, primam didicit obedientiam, tanquam ducem seruandorum cœlestium mandatorum. *[Deut. 6.]* Sic enim Scriptura testatur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est. Et iterum: Audi Israel præcepta vitę. Hoc, quod dicetur Audi: non audientiam, vt opinor simplicem sonat, sed obseruandæ legis obedientiã prędicat, *[Isa. 1.]* testantur rursum Domino ac dicente: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis. *[Rom. 2.]* Quod si secundum beati Apostoli Pauli sententiam, non auditores, sed factores legis iustificabuntur apud Deum, non iam videbitur perfunctoria ista auditio, quę bonorum terræ præmiis honoratur, & non cuiuslibet terræ, sed illius olim promissę, illius fluentis lac & mel. Promissionis enim terra Christi caro est, ex massa humani generis de terra formati suscepta, ac dulcibus diuinæ gratiæ succis exuberans, cuius purissimo doctrinę lacte alimur & nutrimur, cuius cœlestium charismatum suauitate reficimur, cuius vbertate credentium corda, pinguescunt, cuius bonis obedientium mentes animæque fidelium, & in hoc & in futuro sęculo saginantur. Quoniam ergo hæc spectat tractatio? Nempe vt vestra dilectio euidenter intelligat. Quanta vis, meam compulerit paruitatem arduis obsecundare præceptis, atque aperire os meum sub tãtorum pręsentia Sacerdotum, & maximè post illam venerandę memorię patris mei Philastrij eruditissimam vocẽ, qua per gratiam Spiritus sancti largè effluens, hunc Ecclesiam in fide Trinitatis adorandæ fundauit, in vera spe & charitate perfecta cõstituit, ad virtutes erexit, in pace reliquit. *[Philastrius Brixiensis Episc.]* Hæc ad excusationem illius quę in me reprehendi potuisset audacię breuiter dixisse sufficiat. *[Io. 4.]* Nunc verò sanctarum lectionum puteus altus est, & ego hauritorium verbi non habens, aquam viuam sitientibus vobis interim ministrare non possum. Obsecro communem patrem Ambrosium, vt post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra diuinarum mysteriis literarum. Loquetur enim Spiritu sancto, quo plenus est, & flumina de ventre eius fluent aquę viuę, & tanquam Petri successor Apostoli, ipse erit os *[Matt. 16]* vniuersorum circumstantium Sacerdotum. Nam cum Dominus Iesus interrogaret Apostolos. Vos autẽ, quẽ me esse dicitis, solus Petrus omniũ credentium ore respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Quid statim muneris accepit ista confessio, beatitudinem scilicet, regnique cœlestis gloriosissimam potestatem. Solus ergo cum loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur. *[Petrus princeps Apostolorum.]* Sed congruus ordo seruatus dum principi Apostolorum primus loquenti locus iure defertur, ne tumultus quidam magis, quam responsio videretur, si tunc vniuersi certatim ac pariter respondissent. Dicat fortè aliquis sicut illos tres in camino fideles pueros, ita in hoc examine omnes Apostolos consona voce, debuisse eadem profiteri. *[Dan. 3.]* Sed considerandum, quia Iudas ille Ischariotes, quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat, & neque beatitudinem merebatur incredulus, neque ante diri facinoris perpetrationem iusti iudicis poterat sententiis prædamnari, post eademque pro commisso scelere iam Iuda damnato, omnes Apostoli Christo *[Io. 21.]* *[Matt. 28.]* insurgente, Petro claues accipiunt, quinimò cum Porrò cœlestis regni ab ipso Domino claues accipiunt. Quando ait illis: accipite Spiritum sanctum, quorum peccata dimiseritis, dimissa erunt, & iterum: Euntes, inquit, docete omnes gentes, & baptizate eas in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Ianua quippe regni cœlorum non nisi hac sacramentorum spiritualium claue reseratur. Præcẽtur modo hi omnes Apostoli sacerdotes misericordiam Dei Patris, *[Psal. 112.]* qui suscitauit de terra inopem & de stercore erexit pauperem, vt faceret eum sedere cum principibus populi sui, vt etiam Sancti spiritus virtutem ad Ecclesiæ suæ gubernaculum tenendum, mihi minimo omnium largiri dignetur, per vnigenitum Filiũ suum redemptorem nostrum, cum quo viuit & regnat semper Deus in vnitate Spiritus sanctus ante omnia, & nunc semper, & in cuncta sęcula sęculorum, Amen.

TRACTATVS EIVSDEM EXCEPTVS DIE DEDICATIONIS Basilicæ Concilij sanctorum.

DIuinis muneribus & cœlestibus beneficiis condignas referre gratias, pusillitas nostra non præualet fratres charissimi. Nam vt venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit. Deinde, vt hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est & hodie, vt adepti summorum Sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit, conuenerunt enim sancti antistites & Apostolici viri, ad persoluendum beatissimis patribus & præceptoribus suis debitę deuotionis obsequium, vt vbertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur, licet importunitas Barbarorum maximam partem celebritatis diei hodierno subtraxerit, ne cęteri sancti antistites, quos interfuturos credidimus, aduenirent. Iam qui sunt isti, quorum beatis reliquiis illustramur, hinc incipiam numerare. Primo in loco Ioannes Baptista est, vltimus quidem, sed maximus Prophetarum: nouissim' tempore, quia omnis lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: *[Io. 1.]* *[Matth. 11]* sed merito prior & dignitate præstantior, quia ita de illo Christus loquitur ad Iudæos. Quid existis in deserto videre? Prophetam? dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum, qui pręparabit viã tuã. *[Reliquiæ BB. Io. Baptistæ, Andreæ, Thomæ, & Lucæ.]* Vno testimonio Saluatoris, beatissimus Ioãnes Baptista, & Angelus, & Apostolus, & Propheta, pręcipuus declaratur. *[Io. 1.]* Verus enim Dei est Angelus, qui pręcursor & nuncius Christi est: verè Apostolus est, qui missus à Deo est, destinatus enim nuncupatur Apostolus. Fuit, inquit, homo missus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes. Idcirco autem sanctus ipse, Propheta dicitur, & plusquam Propheta, qui Christum & sua & omnium Prophetarum voce prædictum digito meruit demonstrare dicens, Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Post hunc habemus Andream Beatissimum, primum Ioannis ipsius discipulum, deinde Saluatoris, quem priorem Christus Apostolum scribitur elegisse. Erat inquit Andreas frater Symonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant ab Ioanne: Ecce agnus Dei, & secuti erant eum. *[Io. 21.]* Inuenit hic primum fratrem suum Symonem, & dixit ei, Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum. *[Thomas manibus contrectat membra Christi.]* Tertius beatus Thomas, qui post resurrectionem Christi solus desiderauit, solusque obtinuit, vt membra Christi curiosis quidem sed vtique dignis manibus contrectaret: Ardentis

ſiquidem deſiderij fuit illud,nō incredulitatis, quod condiſcipulis ſuis qui ipſo abſente Dominum viderant,ait, Niſi videro & contrectauero, non credam,erat enim valde anxius,ne non & oculis frueretur,quod corde credebat, ne priuaretur aſpectu illius lucis, qua ſe cęteri Apoſtoli illuminatos gloriabantur.Satiauit ergo eum Dominus, cuius manet illa promiſſio:Beati qui eſuriunt& ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Apparuit ſecundo Apoſtolis vt Thomæ deſiderium adimpleret,profuit cupiditas eius & cęteris,nec ipſe minus aliquid habet, quia poſterior Chriſtum vidēt. Nam detrimenta prioris aſpectus viſu pariter & attactu compenſat, Qui vtique,ſi iuxta opinionem quorundam infidelis fuiſſe,Chriſtus illi poſt reſurrectionem ſuam nō fuerat apparere dignatus. Scriptum eſt enim: Quoniam inuenitur ab hisqui non tentant eum.Appaerr vero his qui fidem habent in ipſum. Quod autem dixit illi ſaluator:Noli eſſe incredulus,ſed credēs, & quia vidiſti & credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt: informare in eo voluit omnes poſtea credituros,vt populus noſter Thomæ ſimilis,qui abſens erat,quando apparuit Chriſtus Apoſtolis, relationi eorum,indubitatam fidem commodet, nec exigat in carne conſpicere,quem teſtimonio Apoſtolorum poſt paſſionem crucis reſurrexiſſe, & viſum fuiſſe didicerit.Neque enim poſtquam regreſſus ad cœlos ſolis in hoc mundo virtutibus pręſens,debet quotidie pro cuiuſcunque voluntate ſingulis vniuerſiſque credentibus corporibus apparere ſufficiat nobis,quoniam ſancti Thomæ curioſitas & ambiguitas futuræ ſcrupuloſitatis finem fecit. Quod enim abſens fuit,quod auidius & videre,& attrectare Dominum perquiſiuit, totum noſtræ procurabatur ſaluti,vt euidentius noſceremus reſurrectionis Dominicæ veritatem, quam beatus Thomas ob neceſſariā curioſitatem prouidenter reprehenſus affirmat, dicens ei: Dominus meus & Deus meus. Quartus Lucas eſt Euangeliſta, qui beatos Apoſtolos pari merito ſubſecutus,& Euangelij librum,& actus Apoſtolorum imitanda examinatione conſcripſit.Horum quatuor beatas habemus in præſenti reliquias, qui regnum Dei & iuſticiam prædicantes ab incredulis, & iniquis occiſi Deo ſemper viuere operationum ſuarum virtutibus demonſtrantur,Ioannes in Sebaſtena vrbe prouinciæ Paleſtinæ, Thomas apud Indos,Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatē conſummati referuntur.Poſt iſtos habemus Geruaſium,Prothaſium atque Nazarium beatiſſimos Martyres,qui ſe ante paucos annos apud vrbem Mediolanenſem ſancto Sacerdoti Ambroſio reuelare dignati ſunt,quorum ſanguinem tenemus gypſo collectum, nihil amplius requirentes. Tenemus etiam ſanguinem,qui teſtis eſt paſſionis. Recepimus etiam ſanctos cineres Siſinnij Martyris & Alexandri, quos nuper in ara Agatini vni venerandæ religionis cultui attentius inhærentes, Gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremauit,vt holocauſtum Deo ipſi fierent,qui Chriſtianos ſuos victimas Dæmonis miniſtrare increpatione iuſtiſſima vetuiſſent.

Sanctorū reliquię. quas ſe B. Ambroſio reuelauerant.

Peregrinatio Gaudentij.

Iam quid poſt iſtos decem de quadraginta Martyribus dignum loquar,qui ſe itineri meo cum per vrbes Cappadociæ Hieruſalem pergerem, fideles comites præbere dignati ſunt. In ipſa enim maxima Cappadociæ ciuitate quę appellatur Cæſarea: vbi habent iidem beatiſſimi inſigne Martyrium, reperi- A mus quaſdam Dei famulas monaſterij ſanctarum virginum digniſſimas matres,prorſus Marię& Marthæ conſimiles,quas meritò diligat Ieſus,Natura,fide,& ſtudio & caſtitatis integritate germanas.Quibus ab auunculo ſuo Sacerdote,ac confeſſore Baſilio,olim traditę fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ,quas deſiderio noſtro incunctanter ac fideliter tribuerunt, idoneos veneratores tanti nos eſſe muneris approbantes,ſimulque ſub teſtificatione Domini confitentes,ſe ſemper oraſſe Deum noſtrum,vt hæc tam pretioſa poſſeſſio in tales transfunderetur hæredes,qui eam conſimili fide diligentiaque imitarentur, qui ſtudij ac venerationis ipſo- B rum & ſucceſſores, & augmentatores exiſterent, & tranſmigrationem de hoc mundo ſuam quotidie expectarent.Exaudita eſt:Ecce fidelis oratio,venerabiles ipſas Martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas,licet eis ex illo iam tempore celebritas debita nunquam defuiſſe noſtri cognoſcatur officij præclaris eorum beneficiis ſalutariter mancipata. Sed iam quo ordine ad Martyrij gloriam peruenerint ipſi beatiſſimi, breuiter enarrabo. Quamuis ad proſequendas eorum laudes imparem me eſſe,confiteor. Planè habent idoneum ſuis meritis digniſſimumque præconem beatę recordationis virum, confeſſorem Baſi- C lium Eccleſiæ Cęſarienſis antiſtitem,cuius eloquentia ſingularis & ſermo Apoſtolico ſale conditus, paupertatem mei retundit ingenij. Quid enim à me inferri nouum poteſt, quod non ille in eorum laudibus vbertate eloquij ſui opulenter effuderit, copioſe ornauerit,ſignanter expreſſerit?Ingentis quippe difficultatis eſt, eaſdem virtutes diuerſis ſermonibus pręedicare: Aggrediar tamen inſtituēdę dilectionis veſtrę cauſa vel hiſtoriam replicare geſtorum.

Moniales.

Reliquię Martyrū populo propoſitæ.

Baſilij ſermo de 40 Martyribus.

Milites erant iſti in partibus minoris Armeniæ conſtituti,florentes ætatibus, corporum proceritate ſublimes,experientia belligerēdi laudabiles,ſtipendiis militaribus virtutum ſuarum merito honorati, & D quod hæc omnia ſupergreditur Chriſtiani, atque ad omnem probitatem morum bono venerandæ religionis ornati,& ſpiritualibus armis doctrinæ cœleſtis inſtructi.Statim denique vbi tuba perſecutionis increpuit, fortiſſimos Chriſti milites amor fide pręcinxit ad bellum.Nam cum per alia edicta ſacrilegi regis proponi, à iudicante cœpiſſent,quibus pręcipiebatur,ne quiſquam vel priuat⁹, vel miles Chriſtianum proferre nomen auderet, ſed vt omnis populus ſacrificare Dæmoniis cogeretur, ſponte prorumpunt in medium, Chriſtianos ſe eſſe clariſſima voce teſtantur,ſeque ab hoc ſalutari cultu nullis terroribus diuelli poſſe pronunciant.Intuitus conſtan- E tiam iuuenum terribilis perſecutor,ſepoſita authoritate,blandis eos hortatur alloquiis,ne vellent hac pertinacia vti,ne erga Imperatorem ſuum contumelioſi exiſterent,ne eius præcepta contemnerent, ne alias deuotiſſimi in hoc facto offenſam regis maximam prouocarent. A quo magis beneficia & honores pro hac ſpecialiter obedientia ſperare debebent.Indecorum certè bellatoribusviris eſſe,vt inter ignauos & noxios morte turpiſſima deperirent.Cogitandum illis eſſe iuuentutis ſuę florem, & iucunditatem lucis huius ac vitę, quam ſine reſpectu vllius rationis imprudentes amittere ſuaderentur:Talibus auditis Chriſtiani viri meritoque mirabiles, venenatas pernicioſi hortatoris blanditias,non ſolum conſtantibus animis reſpuerunt, verum etiam reſponſione acerrima confutarunt. Quid tu,aiūt,omnium nequiſſime, contra Deum rebellare auſus famulos eius verbis fallacibus ſupplantare conaris?

Martyrū conſtantiſſimæ voces.

Quid nos à cultu Dei veri& viui ad mortua Dæmonū ſimulachra inclinatori contēdis? Quid honorum terreſtrium, caducis promiſſionibus & inanium & rerum præſtigiis animos noſtros è vigore fidei cœleſtis deprauare pertentas,Execramur munera,quæ detrimentum ſalutis important.Repudiamus honores, quæ auferunt illam gloriam ſempiternam. Reprobamus amicitias regis, quæ nos à charitate Dei ſeparare deſiderant.Reſpuimus & hanc temporalē noſtri corporis vitam,quæ cum periculo fidei ſeruata,animæ adquirit interitum. Poſtremo nec ſuppliciis præſentibus deterremur.Tradimus carnem pœnis quaſcunque irrogare volueris,ne abnegantes Chriſtum Deum ad tormenta perpetua demergamur,quæ Diabolo &vobis miniſtris eius ſunt ab initio præparata. Tunc ille Iudex iniquitatis huiuſmodi dictis accenſus,furorem ſuum, quem paulo antè ſubtilius explere voluerat, excogitata ſupplicij nouitate geminabat. Perſpiciens enim regionis naturam nimiis rigentem frigoribus,tempus etiam quo maxima hyemis aſperitas Aquilone flante violentius incumbebat,montes niuibus,pruinis arua tegebantur,liquores agnoſcere ſuam naturam ſolis ignibus cogebantur, ſtupebant ingenti glacie torrentiū fluminum curſus.Stagnum quoque vrbi in qua iſta gerebantur ſubiacens longè latéque diffuſum validiſſimo gelu durante iter ſolidum plauſtris gementibus commodabat. Hac ergo vi loci vel temporis immanitate perſpecta, ſacrilegij gentilis exactor iſtud ſupplicij genus ſanctis adhibere imperat,vt nūdatis corporibus religati in aperti aeris pruinoſa duritie pernoctarent,balneis longè ſub conſpectu eorum fumantibus, vbi velox remedium victis, callidus perſecutor animas eorum magis interficere geſtiens promittebat. Sed beatiſſimi Martyres ſpiritu ſancto feruentes,veſtibus ſuis procul abiectis feſtini ad ſtadium properant,coronā tanto certamini propoſitam cœlitus intuentes,deinde hortantibus mutuis patientiæ vires accendunt, gloriam regni cœleſtis pœnis præſentibus præferunt.& hoc inter cætera replicantes, quod qui pro ſalute regis terreni hoſtiles gladios formidare cōtempſimus, cur non pro fide Dei,ac Domini noſtri Ieſu Chriſti Regis ęterni, omnes irrogatos noſtro corpori cruciatus, æquo animo patiamur,ocyus ad ęternę lucis beatitudinem vitamque perpetuam glorioſæ mortis compendio tranſituri?Inter pruinas ardebat fides, & cœleſtes animi deſiderio Chriſti feruebant,vrebat acritudo nimij frigoris lucentes rigentium corporum cutes.

Feruor Martyrū

At occupatæ erga Dei amorem religioſæ mentes amœnitatem Paradiſi cogitabant.Terebrabantur penetralia viſcerum gelu,ita vt medullas oſſium grauiſſimis cruciatibus internusquidam glacialis tortor vrgeret, & animorum virtus immobilis curſus ſui metas aſpiciens, de proxima conſummatione gaudebat fideli tolerantia promiſſum Dei munus expectans.Sed vnus ex eorum numero breuiſſimi adhuc & etiam ſupremi doloris impatiens, rogare miſer cœpit,vt ad balnea duceretur.Miles intera cui ſolicitudo iniuncta fuerat,vt illud mortis lauacrum victis quibuſque reſeraret,dum curioſis oculis de loco ſublimi agonem virorum ſpectat inſignium, rei exi- A tum captans, videt ducem cœleſtis malitiæ deſcendentem cum multitudine Angelorum & fortiſſimis bellatoribus claras veſtes atque opima ſingillatim præmia erogantem, quæ ſolus ille miſerabilis, cuius fidem Diabolus fregerat,non accepit. Ducitur infelix ad balneum,ibique confeſtim caloris afflatu, quo ſe animandum crediderat,exanimatus & vitam perdidit & coronam; luctuoſum facinus gratulatio inopinata ſubſequitur. Repente eius locum ſupradictæ viſionis admirator inuadit, nudat membra optato ſupplicio,ſe eſſe Chriſtianum clamore ingenti congeminat, quem ſpectaculi illius admirabilis virtus ſubito ex Gentili verum fecerat Chriſtianum, B Tenetur continuo profeſſionis ſuæ reus, ligatur volens,& ſecātibus vinculis crudeliter innodatur,perſeuerat adſtrictus,gloriatur in pœna, ſpe diuinæ remunerationis effertur. Creſcit inter ſupplicia fides Chriſti,augetur inter tormenta dilectio. Nam ſenſu Apoſtolico teſtabatur: Me nulla ſuppliciorum vis, nulla immanitas tormentorum poterit ſeparare à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.In mediis cruciatibus nouus Martyr inſtruente Spiritu ſancto eruditur & proficit, moritur & triumphat,Trinitas adoranda teſtem ſuum inter pœnas fideliter permanentem Martyrio ipſo ad vicem Baptiſmi glorioſius & abluit & emendat, & ad cœlorū C regna perducit,Commoritur denique quadrageſimus ſanctus, cum ſanctis, vt ſacer numerus,quem Saluator ieiuniis honorauerat, compleretur:ſicut ipſi beati Martyres oraſſe memorantur. Poſt hæc iuſſit carnifices defunctorum corpora longius tranſportata ignibus concremare.Relinquebant vnum,qui adhuc viuere putabatur,ſi forte mutaret in peius ipſa ſolitudine voluntatem. Ibi eius venerabilis mater, quæ talem filium bono ſapientiæ cœleſtis lacte nutriuerat,cucurrit ad cadauer ſpirantis filij,&propriis eum manibus vehiculo, quo corpora aliorum congeſta ad pyram trahebantur,impoſuit.Vade, inquit, nate iſtam bonam viam, ſaluuscum coętaneis tuis,& D glorioſus ad Dominum.O admirabilis &verè digna mater Martyris,qui immo& ipſa iā Martyr propriis viſceribus non pepercit, dum ſua membra pro Chriſti nomine puniri lætatur in filio.Iam verò nec illud in poſtrema parte reticemus: Quod cū cineres exuſtorum corporum mandato perſecutoris in fluuium iacerentur,non defuerunt religioſæ manus quæ partem cineris vel furto eriperent,vel prætio compararent.Hinc & Eccleſia Cæſarienſis exultat, & noſtra fraternitas non immeritò gloriatur, reſeruatum ſibi prouidentia Dei ſalutare munus intelligens.Portionem reliquiarum ſumpſimus,&nihil nos minus poſſidere confidimus,dum totos quadraginta in ſuis fa- E uillis honorantes amplectimur: ſicut illa in Euangelio fidelis mulier, quę per fimbriam Chriſti ſaluata eſt.Oram tenuit veſtimenti, & virtutem diuinitatis exegit:attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit,& ſalutem quam præſumpſerat, acquiſiuit. Itaque pars ipſa quam meruimus, plenitudo eſt, diuidi enim quadraginta iſti martyres ab inuicē nullo modo poſſunt,quorum ſunt inſeparabiles & indiſcretæ reliquiæ. Nam ſicut animas eorum igneus ille Spiritus Dei ſalutaris fidei vnitate coniunxit,(Erat enim omnium credentium,cor vnum,& anima vna)ita etiam membra eorum concremans ignis in vnum fauillæ corpus redegit.Habemus ergo & hos quadra-

Viſio.

Rom. 8.

Baptiſmꝰ ſanguinis

Matris eximia pietas.

Cineres Martyrū colliguntur.

Matth. 9. Luc. 8.

ginta,& prædictos decem sanctos, ex diuersis terrarum partibus congregatos,vnde hanc ipsam Basilicam eorum meritis dedicatam: consilium sanctorũ nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim vt ad tantorum Martyrum venerãdas reliquias processuri,ad consilium sanctorum nos procedere fateamur.

Sanctorũ inuocatio.

Tot igitur iustorum patrocinio adiuuandi tota fide,omnique desiderio supplices secundum eorum vestigia curramus vt ipsis intercedentibus vniuersa, quæ poscimus, adipisci mereamur. Magnificantes Christum Dominum tanti muneris largitorem, cui omnis honor,virtus & gloria cum Patre & cum spiritu sancto, ante omnia & nunc & semper & in sęcula sæculorum,Amen.

RESPONSIO EIVSDEM AD GERMINIVM DE VILLICO iniquitatis.

Seruo Christi Germinio Gaudentius Episcopus.

SApientem virum semper conuenit dicta sapientiæ cogitare, hisque intelligendis omne acumen ingenij,omnem vigorem mentis intendere,Et idcirco tu qui & mundanæ sapientiæ literis eruditus es, & veram Dei sapientiam per sacras literas didicisti: operam nauare non desinis ad perquirendos interiores sensus verborum
1.Cor. 1. Christi,quem Dei esse virtutem, Deique sapientiam docente Apostolo, non ignoras. Nam inter cętera
Luc. 16. Diuinę legis eloquia,quorum dispersionem frequẽter exigis,hoc etiam specialiter postulasti,vt parabolam de villico iniquitatis valde difficilem, cuius nemo nostrum tibi idoneus videtur interpres, ego scriptis propriis explanarem, Explanationem verò ipsam literis tradi,ideo forsitan vis, vt Chyrographũ teneas responsionis meę, de capitulo, vt ipse fateris obscurissimo: sed non formidabo vel eloqui interrogatus,vel etiam scribere pro pusillitate sensus mei, salua fidei ratione,quid sentiam. Ac primùm charissimi,ipsius lectionis verba ponenda sunt.Ita demum ratio est aperienda dictorum.Refert in Euangelij sui
Luc.19. libro beatus Lucas,Dicebat,inquit, Dominus Iesus ad discipulos suos parabolam: Homo quidam erat diues,qui habebat villicũ,& hic delatus est,quasi disiparet facultates eius. Et vocato eo,ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare: Ait autem villicus intra se: Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem,fodere non valeo,mendicare erubesco,scio quid faciam,vt cum amotus fuero de villicatione recipiant me in domos suas.Et conuocans vnumquemque debitorem Domini sui,dicebat primo,quantum debes Domino meo? At ille dixit centum batos olei. Et ait illi: Accipe literas tuas,& sedens citò scribe quinquaginta.Deinde alij dixit:Tu verò quantum debes? At ille ait.Centum coros tritici,Et ait illi: Accipe literas tuas,& scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis,quia prudenter fecit: quoniam filij huius sęculi prudentiores quam filij lucis in regeneratione sua sunt.Et ego vobis dico, facite vobis amicos de Mammona iniquitatis,vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est,& qui in minimo iniquus,est,& in multo iniquus est.Si ergo in iniquo Mammona fideles nõ fuistis,quod vestrum est,quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis,quod vestrum est,quis dabit vobis? Nemo potest seruus duobus Dominis seruire,aut enim vnum oderit,& alterum patietur, aut alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mãmonæ.Perfecti doctoris est ad erudiendos discipulos similitudines earum rerum proponere, quæ in conuersatione humani generis frequentantur, vt auditor idoneus ad operandi studium comparationis magisterio informetur,nec dubitet hoc opus aggredi,quod possibile ac necessarium esse parabolæ imago monstrauerit. Et idcirco Dominus Iesus salutarium mandatorum verus magister discipulos suos,vel tunc Apostolos,vel nunc vniuersos credentes inuitare volens ad eleemosynas fideliter exercendas,similitudinem proposuit villici: vt exemplo huius personæ nihil nostrum in sæculo isto signaret,sed dispensationem nobis creditam facultatem Domini nostri,vel ad vtendum ex eis sufficienter, cum gratiarum actione,vel ad distribuendũ conseruis,prout cuique opus est,nec licere nobis passim facultatibus abuti commissis, aut expensas vsurpare superfluas, cum sit erogationis ratio Domino venienti reddenda.Denique post finem parabolæ, sic adiecit.Et ego dico vobis:Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis,vt cum defeceritis,recipiãt vos in æterna tabernacula, id est,amicos vobis pauperes facite de terrenis facultatibus, quas iniquitas humanæ auaritiæ, sibi vendicat,ne hominibus Dei & eius rebus quicquam impertiat,Mammona enim sermone Syro, pecuniæ siue diuitiæ nuncupantur. Facite ergo vobis, inquit, amicos pauperes de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, eadem substantia in pauperum necessitates erogata atque consumpta,recipiant vos in æterna tabernacula,Iidem videlicet pauperes amici,conciliandæ salutis,in quibus Christus remunerator æternus se huius humanitatis fatebitur officia percepisse.Recipient ergo vos,non ipsi omnino pauperes per semetipsos, sed per eum qui in illis obedientiæ ac fidei nostræ fructu reficitur, susceptorus ministros pietatis huius in æterna tabernacula regni cœlestis. Dicit enim: Venite benedicti patris
Matt.25. mei,possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.esuriui enim & dedistis mihi manducare,sitiui & dedistis mihi bibere, peregrinus eram, & collegistis me,nudus & cooperuistis me,infirmus & visitastis me,in carcere eram, & venistis ad me. Quib. verecũdè ac reuerẽter excusantibus,Domine quando te vidimus in his necessitatibus & ministra, uimus tibi,respondebit dicens: Amen dico vobis, cũ fecistis vni ex minimis istis,mihi fecistis. Nulli itaque absurdum videatur,quod illi nos dicantur susci pere quorum causa suscipimur, cum & ipse susceptor noster Dominus Iesus, qui necessitatibus humanis non subiacet,se in illis esurisse:& sitisse, & peregrinum, & nudum, & infirmum, & incarceratum fuisse perhibeat. Facite ergo vobis ait, amicos de Mammona iniquitatis,vt,cum defeceritis, recipiant vos in ęterna tabernacula.Et post pauca, si in iniquo Mammona fideles nõ fuistis, quod vestrum est quis credet vobis? Enimuerò, dilectissime, quis ei qui terrenas facultates iniquitatis plerunque materiam suggerentes, dispensare fideliter nesciat,committendas puteret esse veras cœlestium rerum diuitias, quibus fidelis distributor ac iustus ritè meritóque per-*Psal.111.* fruitur? Nam gloria & diuitiæ in domo eius,& iustitia eius

Christus ad eleemosynas exercendas suos inuitat.

eius manet in sæculum sæculi. Statim denique sermo ille Dominicus ita coniungitur. Et si in alieno
Luc.16. fideles non fuistis,quod vestrum est, quis dabit vobis? Profectò enim quicquid in hoc sæculo est,alienum nobis est,qui retributionem futuram sperãtes, velut hospites & peregrini in hoc mundo conuersari iubemur,vt vnusquisque nostrum securus Domi-
Psal.38. no audeat confiteri: Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.Propria verò credentibus & ęterna possessio est illa cœlestis vbi esse cor & the-
Matth.6. saurum nostrum nouimus: Vbi iam toto affectu mẽ-
Philip.3. tis per fidem nobis habitare præsumimus. Quoniã iuxta Beati Pauli doctrinam conuersatio nostra incœlis est. Nostrum est igitur cœlorum regnum, si
Matth.5. pollicenti Domino in humilitate cordis & spiritus mansuetudine,seruiamus. Beati enim pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quod vtique regnum non potest adipisci omnis, qui in alieno huius sæculi patrimonio temporariè sibi credito, idoneus ac fidelis dispensator non fuerit. vnde alio in loco dicebat Dominus. Quam difficilè, qui pecunias habent,intrabunt in regnum Dei. Et
Matth.19 in fine lectionis huius ait: Non potestis Deo & Mãmonæ seruire: Dei enim Christi seruos atque discipulos imperare oportet pecuniæ, non seruire: nedum cupiditati eius obedimus,à charitate seruitutis eius,dominante pecunia separemur. Dispergendæ sunt,ergo pecuniæ indigentibus secundum præceptum Creatoris omnium Dei: quoniam neque nostrę sunt, neque illas sine iniquitate ac sui pernicie auarus quisquam detinet.Nam iuxta sententiam Saluatoris aditum regnicœlorum suis retẽtatoribus,inter-
Matt.19. cludunt, & facilius est camelum per foramen acus transire,quam diuitem intrare in regnum Dei: illum nempe diuitem,qui sit ob horrorem turpis auaritiæ camelo infirmior.Grauis pecuniarũ sarcina est, quæ tenacium sui mentes auaritiæ pondere ad terram deprimit, nec emergere ad superna, cœlumque suspicere,vbi vita nostra est,omnino permittit,cũ doceat Beatus Apostolus:Si consurrexistis cum Christo,quę sursum sunt,quærite,vbi Christus est in dex-
Coll.3. tera Dei sedẽs,quę sursum sunt sapite,non quę super terram.Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.Quoniam verò arcta & angusta via est, quæ du-
Matth.7. cit ad vitam,oneratos diuitiarum terrestrium, fascibus ingredi per illam non capit.Expeditos quærit ac tenues omnique cõtinentia castigatos(& vt ita dixerim)filo gracili similes, qui etiam per foramen illius mysticæ acus,facile transeant,spiritales effecti: Hæc est & ratio & vtilitas parabolæ huius, cui primùm,
1.Cor. 4. iuxta quod iubetur,parendum est. Et ita intellectus
Rom.2. secretior,si reperiri valeat, inquirendus est.Quia nõ in sermone est regnum Dei,sed in virtute:Et non auditores tantum, sed factores legis iustificabuntur apud Deum:nec aliquis liquido comprehendere interiorem scientiam diuini eloquij Apostolo protestante:O altitudo diuitiarum & sapientiæ & scientiæDei, quam imperscrutabilia sunt iudicia eius,inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini,aut quis consiliarius eius fuit? Et alio in loco,cum de Adam & Eua sacramentum Diuini sermonis nimirum grande sentiret,&loqui illud digne
Rom.11. non posset,ait: Mysterium hoc grande est:Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vis autem nos-

se quod ad æternam vitam non per notitiam secretorum,sed per operum bonorum efficientiam, peruenitur:Dominus in Euangelio interroganti cuidã diuiti,sic respondit.Si vis ad vitam venire,serua mãdata. Quæ cum se ille omnia custodisse iactaret, extorqueri tamen ab eo ad præsens vnum mandatum non potuit,vt misericors esset in pauperes, & thesaurum suum transferret ad cœlum.Nam statim audito hoc sermone,abscessit tristis.Nec immerito tristis,quia gaudium cœlestis thesauri malo auaritiæ
1.Tim. 6. possessus,possidere non poterat. Profectò radix omnium malorum est amor pecuniæ,vt ingemiscit Apostolus, quam quidam appetentes errauerunt à fide,& inseruerunt se doloribus multis. Nam preciosæ fidei errorem patitur & inserit se doloribus multis,qui amore terrestrium,sicut adolescens iste discedit à Christo: dum mandatum eius subterfugit,dum à conspectu Domini tristis ac lugens ad pœnas auaris & contemptoribus preparatas,spontanea cæcitate deducitur.In sinistra enim parte infructuositatis
Matt. 25 merito constitutis dicetur: Discedite à me in ignem æternum,quem parauit pater meus Diabolo & Angelis eius.Quia cum non fecistis misericordiam in-
Luc. 16 digentibus, nec mihi fecistis. Venio nunc ad illud, quod tantopere à me exegisti, & quid super eo sentiam, qua potero breuitate narrabo: nulli præiudicaturus,qualiter interpretari voluerit, modo vt ex-
lus. planatio eius traditionem fidei Apostolicæ non infringat. Iniquitatis villicum Diabolum puto esse, qui idcirco ob correptionem generis humani sęculo
Rom. 10. isto dimissus est,vt immanitatem crudelissimi huius
Facultates Domini genus humanũ. villici fugientes, ad pieratem Dei suppliciter concurramus:cuius misericordia atque virtute contra omnes infestinationes eius defensi esse possimus.
Psal.2. Quandoquidem & ipse villicus sub potestate consti-
Psal. 131. tutus est Domini Dei illius verè diuitis,qui sicut docet Apostolus, dines est in omnes, & super omnes, qui inuocant eum. Omnis enim,qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Dissipat autem Diabolus facultatem Domini sui,quando in perniciem generis humani grassatur,id est,in nostram necem, qui possessio Dei sumus,sicut ipse Dei filius, Patris sui dicta per Prophetam referendo testatur. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.Et iterum. Quoniam elegit sibi Dominus,Iacob & Israel in possessionem sibi:Videns ergo Deus in tãtum Dæmonis audaciam prorupisse,vt quos correctionis causa tentare solum permissus fuerat, vsurpauerit & necare comminatur: illi expulsionem,vt immanitas eius metu vltionis interminata frangatur. At ille nequissimus,hominum mortem quæstum suum computans, æstuat anxius,quod Dominus ei & potestatem dominandi ablaturus esset & quoniam nec operari bonum vult & petere misericordiam pœnitens erubescit, argumentatur, quomodo prævaleat debitores Domini sui,id est peccatorum debitis inuolutos, nõ tantum aperto prælio persequi,sed etiam sub prætextu falla cis beneuolentiæ blanda fraude decipere, quo magis eum in domos suas falsa benignitate seducti recipiant,cum ipso in perpetuum iudicandi: Magnum siquidem suppliciis suis Diabolus putat hoc esse remedium,si pœnarum socios multos acquirat. Nam callidus hostis aduenientę & comminante Christo turbatus,excogitauit venenato consilio,qualiter hi etiam,qui illum persequentem fugiebant, cedentẽ

sequatur: Festinat enim nouis artibus, variisque tentationum generis supplantare homines, à quorum dominatu in fine ſęculi submouendum se penitus esse cognoscit. Nam post aduentum Christi duplicato contra hominum genus furore succenditur, sciés quia modicum tempus habet, sicut scriptum de illo est. Debita conseruorum suorum, quæ in potestate
Apoc.12 Domini sunt, relaxare se falso promittit, dum vanam vel in fide, vel in opere peccantibus indulgentiam pollicetur, dum persuadet non imputari ad peccatum ea scelera, quæ ipsi etiam, qui committunt, grauia esse crimina non ignorant. Nam confitentur sui debiti quantitatem, cum ex integro obnoxios se esse Deo, & pro fide contempta, & pro opere neglecto, negare nō possunt. Qui autem reddunt, quæ B Dei sunt, Deo iam debitores non sunt. Nec mireris, si debitorum remissionem taliter mentiatur hominibus, quos hac parte subtilius conatur occidere, qui Christo rerum omnium conditori ausus est regna mundi promittere, sua illa esse impudenter asserendo, Hæc omnia mea sunt, inquit, & cui volo, do illa: tu itaque si procidens adoraueris me, erunt tua oīa. O inenarrabilis Christi patiētia, quæ idcirco tantatorem loqui permittit, vt suscepto homini artem præliandi atque vincendi, in semetipso demon straret. O effrena Diaboli mendacis audacia, Deum sentit & tentat, Dominum nouit vniuersæ creaturæ cui sua esse mundi regna mentitur, & ei se largitu- C rum possessionem creabilium pollicetur, per quem creata esse omnia non ignorat. Ab initio enim, sicut
Io.8. scriptum est, homicida fuit Diabolus, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Sed iam ad ipsas, de quibus quæritur, species veniamus. Triticum,
Io.6. sicut, suprà tetigimus, fides Christi est vitæ humanæ principium. Hic enim est panis viuus, qui de cœlo
Io.11. descendit, & vitam dat huic mundo. Et iterum dicit ipse: Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet. Oleum verò bona sunt opera, quę non habentes illi virgines fatuæ extinctis animarum suarum lampadibus, in tenebris remanserunt, à thalamo regni cœlestis exclusæ. Animas enim nostras non solum virgi- D nes esse in fide oportet, atque integras: verum etiam totius boni operis oleum portare secum semper in vasis suis, ne ipsæ in nobis fidei lampades defectu operum extinguantur. Nam sicut caro sine anima:
Iacob.2. ita fides sine operibus mortua est, secundum Iacobi sancti sententiam. Lumen quippe fidei tunc erit iuge atque perpetuum, si affatim bonorum operum
Matth.5. pinguedine illuminetur. Circumuenit ergo Diabol' hominum genus pollicitationibus falsis, vt debitum
Luc.12. fidei & operum non cognoscant, donec sententia Domini iudicis in inferni carcerem retrudantur, vsque ad nouissimum quadrantem per supplicia exigendi. Quod autem centum vasa olei, id est, operis E persuadet in quinquaginta transcribi, & centum chorostritici, id est, fidei, cogit in octoginta transferri, occultior ista fraus est multumque subtilis circumuentio inimici; dū retractos ab idololatria homines variis pernicioſorum dogmatum inuoluit erroribus summam salutaris fidei minuendo, & ab iniquis artibus remotos, bonisque operibus insistere cupientes, pestifero iactantiæ amore supplantat. Nam conatur fidem nostram, & opera nostra, à centenario numero perfectò scilicet, & in dextera constituto, ad sinistræ partis dolosa compendia deprauare, Apostolicam fidem sinistro hæreticæ persuasionis sensu per uertens, & merita bonorum operum, dextrorum que factorum, ad sinistros mores plerunque deducens. Quantos enim diabolus à dexteræ partis vigore, sinistris monitis in vitia voluptatum carnalium relaxauit? Quantos debita spiritualia religiosis operibus persoluere gestientes, à mercede cœlesti illectos gloria humanæ cupiditatis priuauit? Vt dexteræ partis præmia promissa non capiant, dum in ipsis bonis operibus non Deo, sed hominibus placere fe- *Matth.5.*
stinant. Vnde filius Dei Christus Dominus Discipu- *Matth.6.*
los suos monens, vt iustitiam & eleemosynas, & ieiunia, & precationes suas non studerent coram hominibus celebrare, ne per vitium iactantiæ, quod sinistræ parti deputatur, mercedem dexteræ partis amittereť ait. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Clarè patet ergo quàm venenata prudentia ille iniquitatis villicus debita religionis officia de dextera parte in sinistram commutet. Nec illud otiosum est quod maior numerus deperit Domino, cui debitores sumus ex operibus oleo figuratis, quam ex tritico ad vitalis fidei specimen compararo. Minus enim turpis est, qui à fide recta, quam qui aboperibus congruis Diaboli fraude subtrahitur Saluatore testante. Quid mihi dicitis: Domine Domine & non faci- *Luc.4.*
tis, quæ dico vobis? Laudat verò Dominus, non bonitatem, non pietatem, non æquitatem, sed astutiam & callidam prudentiam villici iniquitatis, quod dolum suum subtili nequitia concinnasset. Laudat autem minaciter simul & prudēter. Minaciter quidem, dum ipso iniquitatis vocabulo pessimā Diaboli prudentiam damnat: prudenter autem dum contra argumentorum eius consilia discipulos audientes informat, vt omni cautela atque prudentia, tam callido, tam nequiter prudenti inimico repugnent. Ipse enim serpens erat in Paradiso prudentior omnibus bestiis, qui protoplastos homines venenato morsu se ductionis occidit. Cuius serpentis tortuosa ingenia beatus Apostolus deprehendens ait: Non enim astutias eius ignoramus. Vnde & Saluator, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbę, *Gen.2.*
quod aliis verbis Apostolus Paulus edisserit, cum dicit: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. *2.Cor.11.*
Prudentes nos esse Christus præcepit, non venena- *Matt.10.*
tos: sapientes nō noxios: sed qui veterem peccati tunicam, vt coluber deponentes, in nouem hominem reformemur, caput nostrum, qui est Christus, omni *1.Cor.14.*
diligentia conseruantes, & pro eo membra omnia *Serpentū*
persequutoribus laceranda tradentes, vt fides Dei, *prudentia*
quæ caput salutis, ac vitæ nostræ est, sana & inuulnerata permaneat. Quapropter, dilectissimi, imitemur prudentiam Villici huius nō perfidiam: æmulemur astutiam eius, non sectemur nequitiam: quantum ille in opere iniquitatis suæ nocendi peritus est, tantū nos studiis salutaribus eruditi & omni prudentia instructi atque armati esse debemus: induentes nos ipsos loricam fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, & scutum inexpugnabile æquitatis, in quo possimus, (vt hortatur Apostolus) omnia iacula nequissimi ardentia extinguere: ne nos incautos suggestionum suarum spiculis, vbicunque configat, ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes, ne & vigilantes & armatos, si vsum belligerandi nesciamus, interimat. Prudentes enim reperiuntur interdum *Ephe.6.*
Spiritus immundi, quos filios ſęculi, id est, tenebrarum filios Dominus nuncupar, quàm filij lucis, quos Deus, qui lux est, in adoptionem filiorum vocari dignatur

gnatur, per lauacri cœlestis sacramenta renatos. Vale in Christo, charissime fili.

RESPONSIO EIVSDEM AD PAVLVM DIACONVM, DE EO, QVOD Dominus Iesus dixit Apostolis: Quia Pater maior me est.

Io.14. ANte istū sacri Euangelij locū, cuius à me intelligētiā fideli studio per literas exigis, Paule frater, carnis ac spiritus germanitate charissimi: plurima Christus filius Dei viui de diuinitatis suę vna & perfecta cum Patre substantia, locutus esse cognoscitur, cū diceret Iudęis: Ego & Pater vnū sum⁹, cū S. Philip. respōderet: Qui me videt, videt & patrē, B cū beatis Apostolis cōmuniter loqueretur: Credite mihi, quia ego in patre & pater in me est. Posthęc ergo & istiusmodi multa quib. *ὁμοούσιον*, se esse cū patre eiusdē probauit essentiæ, nunc aliquid illaturus, quod robustis in fide mētibus plenitudinē scientiæ, cumularet, scrupulū dubiis, perfidis formentū blasphemię ministraret, quoniā sermo Dei positus est in
Luc.2. ruinam, & in resurrectionē multorum, prænouit vndecim beatos Apostolos simulque fidei eorum vestigia secuturos, ne ad auditionem proferendi sermonis scandalum mens alicuius pateretur: Ne turbetur inquit, cor vestrū, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos, si diligeretis me, gau- C deretis vtique, quia vado ad patrē, quia pater maior me est. Hāc habēt hæretici Arriani formosissimā quę
Arrianos exagitat. stionem, qua filium Dei ore sacrilego minorem Patre suo esse contendant ipsius testimoniū proferentes, quoniam ait: Quia pater maior me est. Excæcauit eos nequitia cordis eorum, ne ex ante latis sermonibus rationem dicti huius agnoscerent: vel potius,
Sap.2. *Io.1.* ne veritatem cognitam sequerentur. Duplex est in
Duplex substantia in Christo Christo substantia, vna propria, alia nostra, iā sua, id est vna Dei, alia hominis. Filius enim Dei, ex quo eū illibata Virgo peperit de Spiritu sancto conceptum atque hoc genere nascendi Verbū caro factum est, & habitauit in nobis: idem cœpit esse etiam filius homi- D nis, qui in principio erat apud patrē filius Dei, vtique Deus, Verbum. Exinde per incrementa ætatis
Luc.2. Creator temporum proficit in virum perfectum, testante Euangelista: Puer autem crescebat & con-
Ephe.4. fortabatur, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat in illo. Quem profectum nostro profectui profecisse intelligens Apostolus Paulus aiebat, Donec perueniamus inquit, omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: quanquam perfecta diuinitas quę, quod erat semper, & erit sine fine, nullo egueric incremento. Omnia ergo quęcunque in hac duplici substantia constitutus, vel locutus est, vel fecit, vel pertulit Christus nunc omni- E potentem Dei naturam, nunc infirmam suscepti hominis demonstrabat. Natiuitas carnis hominem monstrat, Deum probat inusitatus Virginis partus, angustum præsepis cunabulum, & obuolutio consueta pannorum humanam signat infantiam. Sed Angelorum voces Deum pastoribus annunciat esse qui natus est. Nam cum diceret Angelus: Nolite timere: Ecce enim. Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni plebi: Quia natus est vobis
Luc.2. hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis obuolutum, & positum in præsepi. Et subito facta est cum Angelo multitudo exercitus cœlestis, A laudantium Deum & dicētiū Gloria in excelsis Deo *Matt.2.*
& in terra pax hominibus bonę voluntatis. Deinde Herodes persequitur paruulum, sed stellę obsequentis fulgor magnū declarat Deum, quem legati, vniuersorum gentium Magi suppliciter adorantes cœlesti regi honorificentiam debitam oblatione mystę corum munerum deferebant. Annorum duodecim puer Iesus in templo à parentibus anxius reperitur, *Luc.2.*
sed in verbis eum sapientiam Dei doctorum circum *Isa.53.*
sedentium, turbę mirantur. Et qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, ad Baptismum Ioannis quasi homo peccator accedit, nostra in sua corpore crimina, abluturus. Sed & ibi statim naturæ diuinæ proprietatem vox patris eius è cœlo intonat dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo bene cōplacui, hunc audite. Vt ad hominem diabolus tentator accedit, sed triumphato Diabolo, statim succe- *Io.8.*
dūt Christo tanquam Deo seruientiū ministeria Angelorū. Seditiones furentium Iudęorū declinat frequenter vt homo, sed legiones dæmonū, quasi seruus Deus verbi fui fugat imperio, supra puteum se- *Io.4.*
det fatigatus ex itinere quasi homo: Sed Samaritanę mulieris occulta refert, quasi Deus humanarū mentium perscrutator: & non solum refert, sed etiam la- *Psal.18.*
uacro aquæ in æternam vitam salientis emundat. Emundat autem fideliter supplicantem. Ab occultis C meis, munda me Domine. Nā dicit ad eū mulier: Domine da mihi hanc, aquam, vt non sitiam amplius ardore videlicet extincta peccaminum. Esurire, sitire, fatigari, dormire, hominis est. Sed quinque panibus *Io.5.*
quinque milia hominum satiare Dei est: Et largiri aquam viuam, cuius vnus haustus bibenti prębet, ne vltra iam sitiat, sed fit in eo fons aquæ salientis in vitam ęternam, non nisi Dei est. Et qui labore terreni itineris conficitur, velut homo, rursus idem super aquas ambulat quasi Deus. Nam cum Dominus dis- *Matt.14.*
cipulos suos iussisset nauigare transfretum, donec ip se dimitteret turbas abscedentibus turbis ascendit & orauit in monte. Vespere autem, cum iam nauicu- *Io.5.*
la in medio mari fluctibus iactaretur contrario ven- *Matth.6.*
to commotis, ipse Maiestatis suæ virtute subuectus ambulabat super terga ęquoris, nec plantas gradientis tumens vnda tangebat. Periclitantes Apostoli quarta vigilia noctis, venientem Christum procul aspiciunt. Petrus rogat: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse, ne quid fideli negaret *Matt.14.*
desiderio, ait: Veni, & descendens, inquit, Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt perueniret ad Iesum. Videns verò ventum validū, timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluū me fac, & continuò Iesus extendit manum, & apprehendit eum, dicens illi: Modicę fidei, quare dubitasti? Dum E per terram gradiens, fatigationem sentit, homo est, sed idē dū secura potestate per fluctus ambulans Petrū mergenté subleuat, Deus est. Simulque hoc in loco & illud Arriani considerent, quod dubiis in fide Christi exitialis quędā sit parata submersio: nisi per confessionem veram supplices ad eius omnipotentiam conuertantur. Alibi quoque dormisse nauigās Christus Dns à sancto Euangelista describitur: Cum discipuli in extremo tēpestatis discrimine constituti *Matth.4.*
suscitauerūt eū dicētes: Domine libera nos, perimus. Quando surgēs imperauit vento & mari, & facta est trāquillitas magna. Dormit, vt homo, & exurgēs elementis imperat quasi deus. Nam tumentes fluctus,

verbo conpescuit,statimque siluit increpata tempe-
stas, & ad Creatoris sui vocem plana confestim ia-
cuit inflati gurgitis moles. Sed ne huiusmodi singu
la recensendo longius à proposito sermone videar
euagari, pauca adhuc ex verbis Domini nostri Iesu
Christi adiiciam,ex quibus in ipso & humanæ natu-
rę cõditionẽ& diuinã perspicias potestatẽ.Iudæis di
Io.7. cit? Quid me vultis occidere hominẽ?Et alibi cõfitẽ
tẽ Petrũ: Tu es Christus filius Dei viui,Beatũ pronũ-
Matt.16. ciat,quòd dignus fuerit,cui hanc fidem Deus Pater
Io.10. infunderet.Verùm quippe filiũ Dei se esse hac elo-
quutione confirmans.Et qui dixerit potestatem ha-
beo ponẽdi animã meã, & potestatẽ habeo iterũ su-
mendi eam.Rursus ait, Tristis est anima mea vsque
ad mortẽ: Et idẽ qui ait,Soluite hoc tẽplũ, & ego in
triduũ suscitabo illud:iterũ dicit:Pater si possibile est
trãsfer calicẽ hũc à me.Ea igitur ratione ipse, qui ex
persona Dei dixerat:Ego & Pater vnũ sumus,ex per
sona suscepti hoĩs dicit:Quia pater maior me est: Iã
verò intelligenti,quæ dicta sunt, sequẽs explanatio
apertius declarabit,qua ex causa dicatur istud quod
scribitur,quidnã sit, quod ait:Quia pater maior me
est,quãuis euidẽter liqueat testimoniis supra dictis
filiũ Dei sine vllo initio à patre genitũ, postq̃ nasci
ex Maria beata dignatus est,& Deũ esse& hominem,
& nũc humilia quęque secũdũ carnẽ delegisse,vel lo
cutũ fuisse,vel passũ.Nunc ĩmẽsã sublimitatẽ natu-
Arriani rę Dei,tã verbis docuisse,quã factis mirabilib.appro
Iudaici basse.Tamen distinctionis huius regulã non sequun
caupones. tur nequissimi Arriani,sed cauponum dolo Iudaico
Isa.1. rũ miscẽt aquę vinũ,id est,humana diuinis,&ita illã
merã,atque Apostolicã fidem adultera permixtione
confundũt, Deo ascribentes ignorantiam, infirmita
tem,metũ,impossibilitatẽ,dubitationẽ,dolorem esu
riẽ,sitĩ,lassitudinẽ,cęterasque hoĩs passiones,quas fi
lius Dei absque detrimẽto Diuinitatis suę ita cũ ho-
mine suscepit atque portauit,vt proprias quidẽ cõ-
tumelias, quas patiebatur in carne : Diuinitas tamẽ
eius vĩ naturę suę retinẽs,impassibilis permaneret.
Vnde S.Apostolus saluo statu incorruptibilitatis di
1.Cor.2. uinę Dominũ Maiestatis memorat crucifixũ.Enimue
rò ipsius passio non in diuinitatẽ, quę est impassibi-
Isa.53. lis,sed in eius hominem celebrata,pereunti mundo
subuenit.Huius nãque vulnere nos salui facti sumꝰ.
Nõ quod diuinitas eius vulnerari potuerit, sed quia
ipse infirmitates nostras susceperit & peccata nostra
portauerit,ac pro nobis doluerit,secundum Prophe
tæ doctrinam. Neque enim ipse infirmatus est,vel
peccauit, vel ipse dolores crudelium vulnerum sen-
sit. Nam quomodo fieri poterat, vt qui multipli-
ces ægritudinum morbos præcepti sui potestate cu-
rauerat,& mortuis iteratam vitam imperio suo tri-
buerat,ipse secundum naturam diuinam fuerit pas-
sionibus in carne subiectus? Sustinebat ergo vt ho-
mo contumelias passionis, & operabatur vt Deus
propria authoritate virtutes. Vnde Apostolus ait:
Crucifixꝰ est ex infirmitate,sed viuit ex virtute Dei.
Et hinc est illud,quod cum ad passionem deducitur,
tactu dexteræ suæ nouam format aurem Malcho,
contra patientiæ suæ propositum Petri vlciscentis
2.Cor.13 gladio amputatam:& quod pendens in Cruce La-
troni confitenti Paradisum donat,& quod in Sepul
chro positus corpora sanctorum resuscitat:& quod
Io.18. resurgens in ea videtur, qua passus fuerat composi-
tione membrorum ad Apostolos,intra vnum domi-
Luc.13. cilium congregatos ianuis clausis ingreditur: &

quod cœlos ascendens discipulos fideles non dese-
A rit, cum ipsis se permansurum vsque ad consumma-
tionem sęculi pollicendo. Hanc distinctionem si se
querentur hæretici Arriani, nunquam Mysterium
vitæ nostræ in contumeliam filij Dei conuerterent,
minorem illum Deo patre blasphemis vocibus asse-
rentes,quem vas electionis æqualem patri esse testa
tur,aperiens illam omnem rationem, pro qua Dei
filius,qui &homo,dixerit:Quia pater maior me est,
Hoc inquit,sentite in vobis, quod in Christo Iesu,
qui in forma Dei constitutus, rapinam non arbitra-
tus est,quod esset æqualis Deo: Æqualem testatur
Apostolus, minorem conatur asserere Arrius. Arbi-
trio committitur audientium, cuinam credendum
B censeat:vtrum Paulo Apostolo,qui electus à Chri-
sto magister gentium,velut sapiens architectus fun-
damentum fidei posuit,quique vsque ad tertium cœ *1.Cor.3.*
lum raptus audiuit arcana cœlestia.An execrabili Ar
rio,qui principis Constantini temporibus, cum ve-
nenato corde confessionem Catholicæ fidei simula
ret,ambiens in amicitiam regi: & in gradum Pres-
byterij,vnde meritò pulsus fuerat,reuocari,ad simi-
litudinem Iudę traditoris crepuit medius, & effusa
sunt omnia viscera eius.Ne sub indumento ouis,lu- *Arij vi-*
pus ad deuorandum gregem Domini introiret:Hu- *ta, &*
ius improbi assertionem sequentes Arriani, exem- *mors.*
plum pariter sequentur & mortis: Nos autem,qui *Act.1.*
C Apostolicã disciplinã cõsequimur, ad explanationẽ
supradictã beatissimi Pauli aures nostrarũ mentiũ fi-
deli cõmodemus affectu.Sequitur enim,sed sese exi-
naniuit voluntaria scilicet bonitate humiliando se-
metipsum.Et adiicitur, formam serui suscipiens, nõ
vtique seruus effectus,in similitudine, inquit homi-
nis factus. Quod enim factum est,in illo vita est.Nẽ
pe illud quod in eo secundum carnem factum est,
vita nostra est,ipso testante. Ego veni,vt vitam ha-
beant & abundantius habeant. Deinde adiecit. Et
specie inuentus,vt homo.Nam Dei speciem, quan-
ta sit,id est,ipsum propriè Deum,nemo vidit vnquã.
Deinde humiliauit seipsum:factus,inquit, obediens
D vsque ad mortem,mortem autem crucis, spontanea
quippe humiliate cũ Patris volũtate volẽs crucẽ per
tulit,vt mors eiꝰ fieret vita credẽtiũ? Propter q̃ in-
quit,exaltauit illũ Deꝰ.Quẽ illũ? Eũ scilicet q̃ supliciũ
crucis ac mortis excepit.Nõ singulariter Deũ,qui sẽ
per excelsus est per naturã. Et donauit illi nomẽ, qđ
est super omne nomẽ.Nomẽ super omne nomẽ Deꝰ
est,& non vtiq,donatꝰ,vt Deꝰ sit.Nã in principio a- *Io.1.*
pud Patrẽ filiꝰ Deus erat Verbũ,sed homo à filio as-
sumptus, promouetur in Deũ , vt filiꝰ Dei,qui sẽper
fuerat,Deus esset pariter & cũ ea substãtia quã sum-
psit ex Virgine,totus iterũ Deus , vt in nomine Iesu
Dei,quippe & hoĩs omne genu flectatꝰ,cœlestiũ,ter *Philip.2.*
E restriũ & infernorũ,& omnis lingua cõfiteatur, quo
niã Dñs Iesꝰ est in gloria Dei patris,id est,vt post pas
sionis mysteriũ & ascẽsionis triũphũ iã totꝰ Dei filiꝰ
cũ id,quod pro nobis dignatus est,in gloria Dei pa-
tris in diuinitate scilicet naturę suę manẽs,ab vniuer
sis cœlestiũ,terrestriũ&infernorũ virtutib.adoretur:
Priꝰ ergo,quã pateretꝰ,priusquã triũphata morte cœ
los victor ascẽderet,priusq̃ diuinitatis paternę cũ to
ta q̃ ex virgine natꝰ fuerat substãtia,remearet,priusq̃
ab oĩ creatura rationabili cœlestiũ terrestriũ&infer
norũ agnosceretꝰ atq; adoraretꝰ,Dominꝰ Iesus in glo-
ria Dei patris,merito discipulis dicebat. Si diligeretis
me,gauderetis vtiq;,quod vado ad patrẽ,quia pater *Io.14.*
maior

maior me est. Erat enim minor adhuc in carne na-
Io.17. tus filius Dei,donec in antiquam gloriam suam sus-
cepti hominis naturam.Et ideo alibi ex persona eiꝰ
dicit ad patrem:Pater glorifica me ea gloria, quam
habui apud te,priusquam hic mundus esset. Vtique
vt gloriam Diuinitatis,quam Deus apud Deum Pa
trem Filius ante mundi constitutionem semper ha-
buerat, cum tota natiuitatis corporea substantia
possideret.Propter hoc ita &post resurrectionẽ suã
loquitur quibusdã de hac dispensatione hæsitantib.
Luc.24. O insensati,inquit,& tardi corde ad credẽdũ in om
nibus,quæ locuti sunt Prophetę,Nonne hęc opor-
tuit Christũ pati,& ita introire in gloriam suã?Non
immeritò minorem se esse testatus est,sed in eo loco
vbi rationem passionis & resurrectionis &ascensio-
nis suę propriis insinuabat Apostolis. Ne tum,Arria
ne sententias eius,quas de perfecta Diuinitatis sub-
stantia ante passionem locutus est euacuari posse exi
stimes,incredulitatis vernaculæ argumento, quo a-
nimæ tuæ salutem perniciosa calliditate interimis,
sermo Christi vel cum de diuinitate sua docet,vel cũ
de incarnatione loquitur, tota claritate distinctus
est.Nã & per Prophetas aliter sublimitatẽ Deitatis
suę adnunciat,cũ dicit,Audi popule meus &loquar,
Israel & testificabor tibi, quod Dominus Deus tuus
ego sum.Aliter futuræ incorporationis suæ humili-
tatẽ designat,cum dicit:Ego autẽ sum vermis& non
homo,opprobrium hominum & abiectio plebis. Et
post multa vt ipsius esse omnem textũ Propheticæ
non dubites,diuiserunt,inquit,sibi vestimenta mea,
Matt.27. & super vestẽ meã dimiserunt sortẽ.Quod à crucifi-
Io.19. gentibus factũ de vestimentis Christi Euangelistæ te
stantur.Nemo itaque fideliũ conturbetur,quod mi-
norẽ se in hoc mundo secundũ carnẽ positus, Patre
suo dixerit filius, qui etiã vermi seipsũ iam tum per
Prophetiam comparare dignatus est : & hoc quidẽ
non sine ingentis ratione mysterij.Constat enim si-
ne coitu generantis futuræ apis vermen nasci. Cu-
ius labores reges & mediocres ad sanitatem afferũt
sicut scriptum est : Labores enim passionis Christi,
quem velut apem virginẽ permansurũ , Virgo dedit
mater,tam reges à regendo,summi videlicet Sacer-
dotes, quam mediocres quique se sequentium vel
ordinis Leuitici,vel fidelium plebis in figura corpo-
ris eius ac sanguinis, pro salubritate vitę communis
afferimus, & agnitam dulcedinem mysteriorum cõ-
scio ore testamur:Gustate&videte,quoniã suauis est
Dñs. Sed vę hęreticis, qui id, quod dulce est amarũ
conantur asserere.Ibi æqualitatẽ subtrahere de filio
gestiẽtes,vbi totꝰ in gloria Dei patris manere cognos
citur,consũmato mysterio passionis.Nã sic ait ad bea
Io.14. tos Apostolos,ascẽsionis eius gloriã Maiestatis desi-
derio mentis audientes.Si diligeretis me,gauderetis
vtique,quia vado ad patrẽ,quia pater maior me est.
Declarans quippe ideo se in vtraque substantia Dei,
& hominis,post passionem ,resurrectionẽque suam
cœlos ascensurũ,vt is,qui ob incarnationis humilita
tẽ minor se, & idcirco Patre suo minor videretur in
Io.2. terris,calcato mortis aculeo,cœlos victor ascendẽs,
æqualis patri,sicut sẽper fuerat,permaneret, & idẽ
qui semper Deus,nunc & homo , iã Deus in æterna
Patris gloria constitutus sine fine regnaret. Nã qui
prius in imagine de aqua vinum fecit,cũ diceret bea
tissimæ Marię:Quid mihi & tibi est mulier? Nondũ
venit hora mea. Ipse post horam passionis suæ veri-
tatem præmissi ænigmatis eatenus consummauit,vt

sanè incarnationis aqua vinum fieret Deitatis, quod
A hæretici adulterantes verbũ Dei , adhuc velut aquã
vino permiscẽt.Cũ totꝰ Dñs Iesus,&quod ex Deo pa *Io.1.*
tre est,& quod ex Virgine Matre est,Deus sit vnige-
nitus in gloria Dei patris. Quoniã quidem Deus di-
minutus non est in homine ,sed homo proficit in *Io.14.*
Deũ.Vt sicut verbum caro factum est,&habitauit in
nobis:Ita caro Deus fieret,& habitaret in cœlis.Vn-
de consequẽter addidit.Et nũc inquit,dixi vobis an-
tequã fiat,vt cũ factũ fuerit,credatis,id est,ideo dixi.
Si diligeretis me,lætari vos oporteret,quod ad patrẽ
pergerem,quia Pater maior me est , vt cũ factũ fue-
rit,credatis æqualem.Cũ factũ fuerit.Quid?Illud v-
tique cum post passionẽ meã,cœlos ascendero in il-
B la gloria,quã cũ Patre,& apud Patrem semper ha-
bui permansurus.Ideò postquam resurrexit à mor-
tuis quidã dubitantes increpantur ab ipso, & audiũt
oportuisse hęc omnia pati Christũ, & ita introire in
gloriã suã,quã se ante cõstitutionẽ mundi sẽper pos
sedisse testatus est.Quapropter Apost.& si cognoui
mus,inquit,secũdũ carnẽ Christũ,sed iã nunc nõ no *Luc.24.*
uimꝰ.Est enĩ Deus & homo,vtrũque iã Deus in Dei
Patris dextera constitutus,quoniã calix in manu Do
mini vini meri plenus est mixti. Et inclinauit ex hoc *Io.17.*
in illud:Verũtamẽ fex eius nõ est exinanita, Et quan- *Psal.74.*
quã sciã,charissimè,Psalmi huius textũ alio sensu,&
quidem rationabili,fuisse à prioribus explanatũ.Ego
C tamen pro libertate fidei,opportunitatẽ dictorũ se-
cutus traxi ad incarnationis Dominicæ Sacramentũ.
Nam sic vel inclinatus vel humiliatus est Deus in ho
mine,vt permanens Deus,esset quod fuerat,homi-
nẽque propter quẽ se humiliauerat, exaltaret.Quia
ita Verbum caro factũ est,vt habitaret in nobis: &
ita rursus homo in Deum conuersus est,vt in Deum *Io.1.*
quidẽ promotã, naturæ tamen suæ substãtiã retine-
ret,atque ideo Propheta ait. Quoniã calix in manu
Dñi vini meri plenus est mixti, & inclinauit ex hoc
in illud.Verũtamẽ fex eius non est exinanita,vini,in-
quit,meri plenus est mixti. Et mixtũ perhibet vinũ,
& illud ipsũ merũ testatur esse, vt eundẽ credamus
D Deũ,quẽ pro nobis & hominẽ confitemur: Nã quẽ
inclinatum nunciat, pariter dicit & plenũ , vt is qui
sese exinaniuit,formã serui accipiẽs, plenus Deus es-
se non desinat.Habitauit enim in Christo omnis ple
nitudo diuinitatis corporaliter, & de plenitudine
eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.Hunc *Coll.2.*
verò calicem bibent,inquit,& peccatores terrę.Re- *Io.3.*
ctè iuxta hunc intellectum bibent,ait, & peccato-
res terrę.Quia peccatores cœli ex Angelis dæmones
facti salutis poculum bibere non merentur. Terræ
autem peccatores contra venena dæmonum , mor-
bosque vitiorum calicem salutis accipient,&nomẽ
Domini inuocabunt.Omnis enĩ , quicũque inuoca- *Psal.115.*
E uerit nomen Domini,saluus erit.Ideò verò calix iste *Matth.9.*
peccatoribus bibendus tribuitur, quia non est opus
sanis medico,sed malè habẽtibus.Non veni,inquit,
vocare iustos,sed peccatores ad pœnitentiam.Tales
enim sapientia Dei ad istũ cratera salutiferæ mixtio-
nis inuitat. Cũ sublimi voce hortatur ac dicit: quis- *Prou.9.*
quis est insipiẽs diuertat ad me,&egẽtibus sensu ait.
Venite edite de meis panib. & bibite vinum , quod
miscui vobis. Ob hoc autem inuitatur insipiens à
sapientia Dei,vt fiat sapiens,& peccator vt conuer-
tatur ac viuat.Ad istud poculum diuinę misericor-
dię vniuersi generaliter conuocamur. Omnes enim
peccauerunt , vt ait Apostolus,& egent gloria Dei: *Rom.5.*

Quod si omnes peccauerunt & egent gloria Dei,
Maiestatis quippe eius medela, quos tandem dici-
Sācti omnes medicina Christi eguerunt. mus sanos,quibus medici officium necessarium non
sit:Nisi fortè illi,qui ab ipso iam curati medicina vl-
tra non indigent: Cęterum nemo sanctorum me-
dicina Christi non indiguit cum,sanctos eos, non
nisi fides eius effecerit,sicut Scriptura testatur in E-
1.Tim. 1. pistola Pauli beatissimi ad Hebræos.Et idcirco gra-
Chrismatis donum tias referens idem prædicabat Apostolus, fidelis,in-
quit,sermo& omni acceptatione dignus quod Chri
stus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos
facere, quorum ego sum primus. Nec sibi aliquis
de salute propria sine Dei Christi munere blandia-
tur: quando vas electionis priorem se fatetur esse
omnium peccatorum. Quotquot igitur ex pecca-
toribus congregati bibere fidem Christi meruimus
participes altaris effecti & donum charismatis con-
secuti,cum voce exultationis& confessionis Dei mu
nera prædicemus,dicētes:Parasti in conspectu meo
mensam, aduersus eos,qui tribulant me. Impingua-
sti oleo caput meum, & poculum tuum inebrians,
quàm præclarum est,vt possimus materia Domi sub
sequente habitationē, domus eius perpetuā prome-
reri, ab ipso Dei filio sempiterno,cuius regni non e-
rit finis, quia vicit mortem & perpetuo regnat in sę
cula seculorum. Amen.

B. CAESARII VITA EX SCRIPTIS ILLIVS, ET TRITHEMIO COLLECTA.

CIrca annum Domini 670.in Lirinensi cœnobio Monachum, & postea Abbatem sub regula.B.Benedicti egit, vt patet ex eius Ho.20.& Sermone.3.de pugna Monachi contra vitia.Inde assumptus est in Episcopum Arelatensem ob præclaras suas virtutes,& singularem Doctrinam. In sacris siquidem literis egregiè eruditus erat,ingenio placidus,eloquio Dulcis& ornatus,miraque sententiarum breuitate decorus:Versatus est quoque in lectione priscorum patrum,nam Augustini, Gregorij, & Isidori dicta allegat,Ho. 40.Scripta etiā eius multoties citauit Venerabilis Beda in suis Scintillis,seu locis communibus.Tomo. 7.

HOMILIA PRIMA BEATI CAESARII ARELATENSIS EPISCOPI AD POPVLVM IN QVADRAGESIMA.

Leuit.16. AIt quodā loco Sermo diui-
Ieiunia corpora macerant corda purificant. nus: In diebus solennitatū ve
strarū affligite animas vestras.
Quare hoc dixit? Quia ieiu-
nia ac vigiliæ & sanctæ affli-
ctiones humiliata corpora
macerāt:sed immaculata cor
da purificāt. Mēbris subtra-
hūt fortitudinē,sed consciē-
tiis addunt nitorē.Nihilominus de contritione ani-
mi redimātur crimina voluptatū. Perdurę crucis
exercitia,deceptę dudū carnis gaudia puniuntur: ac
sic mortificatione pręsenti, futura mortis sententia
præuenitur:& dum culpæ auctor humiliatur, culpa
consumitur: dumque exterior afflictio voluntariæ
districtionis infertur,tremendi iudicij offensa seda-
tur,& ingentia debita labor soluit exiguus, quæ vix
consumpturus erat ardor æternus. Tractantes ergo
causam salutis nostræ,faciamus inter nos quod circa
nos medici facere solent.Si læsura aliqua vel quere-
la in prima corporis cute sētitur,curatio medicamē
ti blādioris apponitur.Si verò in ossibus vulnus abs-
conditum,aut in viscerū profunda dimersū est,auste
riorē ac violētiorē poscit vis occulta medicinā,vt vl
ceris magnitudo aut sectione aut exustione super cu
retur,& dolor dolore pellatur.Similis ratio in ægri-
tudine interioris hominis adhibēda est.Si leuia sunt
fortasse delicta: verbi gratia.Si homo vel in sermo-
ne,vel in aliqua reprehensibili voluntate: si oculo
peccauit,aut corde,verborum & cogitationum ma-
culæ,cottidiana oratione curandæ, & priuata com-
punctione terendæ sunt .Si verò quisque conscien-
tiam suam interrogans, facinus aliquod capitale cō-
misit,aut si fidem suam falso testimonio expugnauit
ac prodidit,aut sacrum veritatis nomen periurij te-
meritate violauit.Si veram baptismi tunicam,& spe
ciosam virginitatis olosericam cœno commaculati
pudoris infecit. Si in semetipso nouum hominem
nece hominis occidit. Si per augures & diuinos at-
que incantatores captiuū se Diabolo tradidit, hæc
& huiusmodi commissa expiari penitus cōmuni &
mediocri,licet secreta satisfactione non possunt: sed
graues causę, grauiores & acriores & publicas curas
requirunt:vt qui cum plurimorū afflictione se perdi
dit,simili modo cum plurimorū ædificatione se redi
mat Homo enim ipse se decipit,si cū in medullis fer
uere sibi sentiat morbū,per superficiē corporis mol
le deducat vnguentū.Hęc itaque principalia mala in
gēti rugitu& gemitu & fonte indigēt lachrymarū:at
que per lachrymas clamādū est cū ꝓpheta: Rugiebā
à gemitu cordis mei.Et, lauabo per singulas noctes *Psal. 37.*
lectum meū.Et iterū:Ego autem cinerem sicut panē *Psal.6.*
māducabā,& potū meū cū fletu miscebā.Nemo des *Psal.101.*
piciat hāc humilitatē.SummusRex erat qui ista facie
bat & dicebat. Oportet itaque sicut super mortuum
conclamarū,ita magnos super extinctam animā da-
re planctus. Et quomodo solet mater orbata super
amissione vnici filij sui fracto pectore lamentari: ita
conuenit super vnicā suā, sed cum spe reparationis *Psal. 21.*
affligi.De qua vnica?Sermo Propheticꝰ dicit: Erue à
framea animam meam & de manu canis vnicam
meam. Quare vnicam dixit?siue quia tanquam v-
nica diligenda est,siue quia ipsa sola & singulis ante
tribunal cœleste rationem remotis omnibus solatiis
redditura est.Ita inquam necesse super hanc vnicam
criminum mucrone confossam, totum pondus do-
loris effundi.Si fortè possit lachrymarum viuificata
fontibus calore fidei suscitari.
Accendenda est compunctio,corrobrandæ sunt pre
ces futuri recordatione iudicij, atque misericordia-
rum operibus adiuuanda. Audienda est prophetæ
sētentia, sed audienda obedientiæ aure dicentis: Ac- *Dan.4.*
cipe,inquit ô rex cōsiliū meū,&peccata tua eleemo-
synis redime.Exemplum etiam illius Euangelici vi-
ri ita est audiendū, quasi verè pro nostra redēptione *Luc.19.*
conscriptum: Ecce dimidium bonorum meorum,
Domi

Domine do pauperibus:de quibus audiuimus in E-
uangelio Dominum ineffabili dignatione & charita A
Matt.25. te dicentem:Qui fecit vni ex minimis istis, mihi fe-
cit. Quę verba eleemosynarum nobis effectus cœ-
lesti auctoritate commendant.Sed fortè quando de
eleemosynis loquimur, expauescit exangusta pau-
Pauperes ad quid voluit esse. pertas.Non ita est charissimi.Meminerit potius æra
minuta,diuitum thesauris fuisse prælata:quia Domi
nus non solum copia largitatis, sed beneuolentia
pascitur largientis.Ego autem puto charissimi, quia
ita Deus noster pauperes in hoc mundo esse permi-
serit,vt in pauperibus diuitum fidem probaret: vel
in pauperum misericordia,diuitibus misereretur, vt
abundantibus boni operis ac redemptionis suæ oc-
casio non deesset,vt beniuolum locupletem etiam B
inopia aliena ditaret, & opulentior quisque ingen-
tia de egente lucra reciperet,& mirifico summóque
commercio,dum inopi misericordia temporali lar-
gitate confertur,inde æternus thesaurus compense-
tur. Dirigamus ergo actus nostros, & quicquid pos-
sumus,& quicquid habemus,in exercitia bonæ vo-
luntatis,in studia iustitiæ ac misericordiæ confera-
Iacob.12. mus. Curramus dum lucem habemus priusquam
nos tenebræ comprehendant:quia iam in illo sæcu-
lo emendationi ac redemptioni prospicere non li-
Psal.6. cebit,sicut dicit sermo diuinus: Quoniam non est
in morte qui memor sit tui. Sicut ergo ibi nulla ti-
mebitur meritorum amissio, ita nulla tribuetur re- C
missio peccatorum.Nulla ibi iam exercendi boni o-
peris licentia concedetur.Nunquid illic pascere ali
quis esurientem poterit, vbi edendi necessitas non
erit:vbi cibo & potu nec impius inter flammas, nec
pius inter Paradisi delitias indigebit? Nunquid ibi
algentem vestire continget,vbi omnino tegendi cor
poris cura cessabit, vbi sub illo frigore de quo Pro-
pheta dicit:ante faciem frigoris eius quis subsistit?
In perpetuum nudus erit qui hic indumentum nup
tiale perdiderit, vbi malus maculosę conscientiæ te-
nebris, bonus verò pallio immortalitatis & beatitu-
dinis vestietur,vbi indumenta merita erunt.Sic Do-
minus dicit:Iusti fulgebunt sicut sol.Et Propheta: D
Sacerdotes tui induantur iustitiā:vel illud: Astitit re
Sap.3. gina à dextris tuis in vestitu deaurato. Ibi ergo pro
Psal.131 sāctorū corporū tunica lux fulgebit æterna. Ibi vesti
Psal.44. tus nullis vnquam sęculis exuendus conuertetur in
corpus.Ibi indumentum transibit in præmium. Ibi
Angelica illa stola non iam erit amictus,non iam e-
rit habitus, sed natura.Nunquid ibi iam auarus,aut
tenax de abuntia sua bene facere alteri poterit, vbi
nec sibi vnam in medio stagni æstuās voluntas inue-
niet? Nihil enim secum de his quæ Propheta habe-
re se credit,portaturus est,sicut dixit Propheta:Non
Psal.48. enim cum morietur, accipiet omnia, neque simul
descendet cum eo gloria domus eius,auditurus in- E
ter indefessa supplicia: Esuriui, & non dedistis mi
hi manducare. Sitiui non dedistis mihi bibere. Intel
ligamus quid damnationis erit spoliasse pauperem,
quem summum crimen est non pauisse.
Hinc ergo qui tenuem atque egenum sine vlla fu
turi iudicij consideratione nunc opprimit:huc, in-
quam,sicut quidam dixit,adueniet tempꝰ magnum
cum optauerit impletum, intactum pauperem &
cum spolia diémque illa oderit. Intolerabilis do-
lor erit,si idem quisque causas mortis incurrat, vn-
de vitæ gaudia comparare potuisset. Noli ergo de-
spicere inopem,qui cum sibi pauper sit,facere te di-

uitem potest. Rapiamus ergo de præsenti sęculo
feruenti deuotione quod possumus. Cito transeunt
dies nostri,vtinam benè transeant. Rapiamus er-
go quod possumus de hoc sęculo, gratias agētes illi
qui ita dispensauit vtrāque vitā, vt laborū & agonū
tempora cito finirentur:honorum verò & præmio-
rum gaudia sine fine durarent.

EIVSDEM HOMILIA PRIMA DE PASCHA.

EXulta cœlum & lætare terra.Deus iste
amplius ex sepulchro radiauit,quàm de
Sole refulsit.Dolet infernꝰ, quia resolu
tus est,gaudeat quia visitatus est.Resul-
tet quia ignotam lucem post sęcula lon
ga vidit & in profūdæ noctis caligine respirauit.O pul
chra lux quæ de candido cœli fastigio promicasti,
& inter fluenta sulplurea,sedentes in tenebris & vm *Christi ad*
bra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur *inferna*
æterna nox inferorum Christo descendente resplen *descensus*
duit.Siluit stridor lugentium ille,soluta sunt onera
cathenarum,dirupta ceciderunt vincula damnato-
rum.Attonitæ mentis obstupuere tortores. Omnis
simul impia officina contremuit, cùm Christum re
pente in suis sedibus vidit.Mox igitur ferruginei ia-
nitores descendente Christo, talia inter vmbrosa si-
lentia cæci,metu incubante, submurmurant: Quis-
nam,inquiunt,est iste terribilis, & niueo splendore
chorus?Nunquid noster talem excepit tartarus,nun
quid in nostram cauernam talem euomuit mun-
dus?Inuasor est iste, non debitor,exfractor est,non
peccator:iudicem videmus, non supplicem: venit
iubere,non succumbere:erūpere: non manere.Vbi-
nam putatis ianitores nostri dormierunt, cum iste
bellator claustra nostra vexabat?Hic si reus esset,su-
perbus vel audax non esset.Si cum aliqua delicta fus
carent,nunquam fulgore suo nostras tenebras dissi-
paret. Sed si Deus est,quid in Sepulchro facit?Si ho-
mo,quid præsumpsit?Si Deus vt quid venit. Si ho-
mo,quare captiuos soluit? Nunquidnam iste cum
auctore nostro composuit: aut forte ipsum aggres-
sus vicit,& sic ad nostra regna transiuit? Certè mor-
tuus erat,certè victus erat.Illusus est præliator no-
ster in mundo, nesciuit quam hic stragem procu-
raret inferno, Crux illa fallens gaudia nostra, partu-
riens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per
lignum euertimur.Perit potestas illa semper popu-
lis formidata Nullus huc viuus intrauit, nemo car-
nifices terruit. Nunquam hoc in loco fuligine &
nigra semper caligine cęcato, in iucundū lumē appa
ruit. An fortè Sol de mundo migrauit? Sed nec cœ
lum nobis astráque parent,& tamen infernus lucet.
Quid agimus?Quomodo vertimur?Deffendere cō-
tra istum non valemus cruentas domus, & obtine-
re nostri auerni custodiam non valemus.Malè intra
ti sumus.Lumen obtenebrare nequiuimus, insuper
& de nostro interitu formidamus.

HOMILIA SECVNDA DE PASCHA.

MAgnū & admirabile pascha & baptismi Sa-
cramentum iamdudū etiam in veteri testa-
mento,vel lege nouimus consecratum. Ce
lebre à seculis est,cū beatus Moyses popu-
lū Domini de Aegypto & de iugo indignę seruitu-
tis educeret: celebre est ad plebi transitū maris ru-
bri profundum natura rerum obstupescente po- *Exod.15*
tuisse. Hic primo loco diligentius inspiciamus,
quid talis seruitus, vel quid talis transitus ædifica-

tienis possit afferre: quia & beatus Apostolus dicens: hæc omnia in figura facta sunt illis, cælesti autoritate confirmat illius temporis signa atque miracula, ad futuræ redemptionis pertinuisse mysteria. Sic enim ait: Patres nostri, Omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari. Nostris ego iam tunc sub illius populi ducatu, nostris commodis militabat diuina virtus, prædiues in beneficiis, sed semper in promissis. Dux quidem erat eis beatus Moyses, sed eos in columna lucis & nubis filius & spiritus sanctus præcedebat. Hoc loco agnoscamus in primis, quod plebs qua præpositos suos studet audire, Deum sequetur, & per Deum hominem peruenit ad salutem. Ergo filij Israel ad libertatis & quietis & regni sedem per difficiles itineris vias Ducis Moysi & Sacerdotis sui non reluctantur imperio, Dei meruere comitatum. Nec immeritò eos hostis non arrigit: Lux processit, fluctus expauit. Sic Propheta testatur. Et increpauit, inquit, mari rubro, & recessit. Et iterum: Mare vidit & fugit. Quid vidit? Hoc itaque quod in Baptismo credi debet. Sine dubio illud terribile profundum atque secretum, assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit auctoris. Et ideo filij Israel securi vel inter vndas transeunt, vel sub vndis, cum super eos præruptę vastorum gurgitum moles, pendentibus dextra læuáque fluctibus imminerent, cum creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens, transmeantibus circunflua pręberet viam, & in persequentes parare refusa vindictam. Secundum hęc, si & nos vitia & crimina quasi Ægyptum reliquimus, & carrat vnusquisque nostrum intẽto corde post Christum, auctorem peccati Diabolum Christian⁹ idem Hebræus Ægyptum non timebit. Talis est enim natura & infirmitas inimici. Te recedente cedit, & per dorsum tuum si legem Domini tanquam Moysen sequaris ingreditur. Ecce hostem, quem fugisse, viciſse est. Iam primùm durissima illa Aegyptitirannica seruitus, quid aliud præferebat, quàm Diabolum super humanum genus peccatorum exercere dominatum. Quid, inquam, aliud erant illa vilia & horrenda in luto & paleis Pharaonis imperia, nisi fœda atque terrena Diabolicæ voluptatis officia, & victorum detestanda contagia? Siquidem infructuosa & inania vitæ huius opera, palea sunt. Paleæ inquam, nimium flammis amica Materia.

Sola plebs Deum sequitur quæ præpositos suos studet audire.

Psal. 105

Psal. 113

Iacobi. 4.

Quid Aegypti Durissima

Inania vitę opera paleæ.

Sed & hoc ipsum quòd Pharao paruulos Hebræorum pueros iubet interfici, & fœminas reseruari, Diaboli vtique speciem præ se ferens, inimicus spiritui, & amicus carni, inuidens virtuti, consentiens voluptati: fortitudinem præfocabat, concupiscentias nutriebat. Hæc itaque seruitus, quod peius est, non illius tantum temporis fuit: sed etiam nunc animas negligẽtium & infidelium multo periculosius nexibus blanda captiuitatis inuoluit. A quo enim quis vincitur, sicut & Apostolus testatur, eius & seruus est. Iste obtemperat iniustitiæ, ille iræ. Iste superbiæ, ille seuitiæ. Iste malitiæ, ille iracundiæ. Iste auaritiæ, ille Luxuriæ. Nescio quomodo se inter hęc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes suas distrahunt. Quid prodest quod liber est in natura, qui seruus est in conscientia? Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes, intrinsecus mentis infirmitate degeneres. Innocentum Dominos, & criminum seruos. Iam melior est vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinasse conditio. Habetis boni famuli vestram consolationem, pro libertate complectimini honestam seruitutem. Intolerabile iugum & fœda dominatio, & erubescenda subiectio. Aut quid spei relinquitur seruienti, vbi æterna mors, iuncta est seruituti. Sine causa est à foris vel genere vel honore conspicuus, qui non est intus ingenuus. Graui damnatione iterantur crimina, postquã Christi sanguine sunt redempta. Inexcusabile malum est post mortem redemptoris nostri Domini seruum maculari peccatis. Si fortè charissimi hominis cuiuscunque seruus duris Domini sui vrgeatur imperiis, quocunque fugiendo aut latitando euadere & declinare iniquum Dominum potest. Seruus peccati quo fugiet? Quo se trahet? Quocunque fugiat, non fugit seipsum. Non est quò cat mala conscientia. Sequitur se, immò non recedit à se. Vix aliquod deforis potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. Quid prodest quod homo sonantem fugit arcum, qui iaculum secum portat infixum? Serpens ille & si reuocauit morsum, reliquit venenum. Fecit quisque peccatum, vt aliquam caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat. Consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit. De hac ergo seruitute & de his hostibus vsque ad baptismi littora Dei populum persequentibus innumera captiuorum milia per sacri fontis irriguum liberat Christo, & confringit super aquas caput draconis magni. Ac sic ille sæuissimus draco proprium venenum in necem sui refusum sensit exitij: ac dum nocere se credit, dum cõtra Dominum suum cęcus impetum facit, dum que pondus tormenti sui illidit in solida, ictu suo repercussus, fortem fuisse se doluit, & omnem nocendi potentiam se amisisse cognouit: quia noxios virulentorum dentium morsus sacro in corpore dereliquit. Et ideo nunc infelices quosque, quos sibi assensum facilem accommodare pręuiderit, ad fauces suas solicitationum carminibus trahit, & voluntariam prędam inermis expectat. Ac proinde pro stratus Domino humanum genus nó quasi fortior impugnat, sed iniqua consilia quasi debilitatus insibilat. Cuius vos carmina vt possitis euadere, de elo quiis Dei vocem sacrę incantationis libenter audite. Hunc Christus non in sua diuinitate, sed in nostra carne superauit, vt etiam à nobis cum superari posse monstraret. Hunc inquam, per sanctos suos Christus interfecit. Et fortè hic est ille serpens, quem beati Moysi virga in serpentem versa, consumpsit. Quo genere iam tunc euidenter ostendit, per virgam idẽ per Christi Domini regiam potestatem, conterendum esse mortis auctorem. Moyse itaque contra malificos de certante, modo cõuertebatur virga in serpentẽ, modo serpens reuertebatur in virgam. Quid est hoc? In serpente personã hominis maledicti qui crucifigendus maledicebatur, agnosce. In virga sceptrum regię dignitatis intellige. Quid virga in serpẽtem? Idem Deus in hominem mutatus.

Quę verè Nobilitas

Christianis peccãtibus quãmaior poena infligetur.

Exod. 4

Voluptas fugitiua.

Voluntaria damonis præda

peccatoris hominis libera vocatio.

Num. 21

Quid serpens in virga? Is homo in Deum receptus. Ac sic in homine est exinanita diuinitas, vt in Deo glorificaretur humanitas. Habemus adhuc ineptatico. Sub simplici & pari signo sacrę redemptionis insignia. Cum in deserto filij Israel absque vlla misericordia venenatis serpẽtũ morsib⁹ sternerẽtur, legitur beat⁹ Moyses diuino cõmonit⁹ instinctu, ser-

serpentẽ æreum præfixum ligno inter medias morientium erexisse turbas, & mandasse pereuntibus, vt post exceptos virulentos ictus ad præsentiam Serpentis pro recipienda sanitate concurrerent. Quo confugientibus, tam prompta aderat salubritas medicandi, quam velox inerat fœlicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in Serpente mysterium. Si dixerimus hoc in loco quia Domini typũ species refugienda prætulerit, non ad ipsum contremiscat auditum? Sed quis vel cogitare istud auderet, nisi ipse mysterij exposuisset figuram, qui figuræ ipsius suscepit iniuriam? Qui proprio per Euangelium testatur oraculo. Sicut, inquit, Moyses exaltauit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet hominis filium. Videamus autem quid sibi velit contra Serpentium virus Serpentis aspectus. Serpens ab initio maledictus erat. Et qui suspendendus fuisset in ligno sicut & Saluator, maledictionibus replebatur. Iterum enim dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Videmus quid Serpens contra Serpentem. Idem dãnatus contra damnatum, maledictus cõtra maledictum, sapientia conta calliditatem, bonitas contra malitiam, acetum & fel contra venenum, mors contra mortem consumens deuorantem, & interficiens occidentem. Sic & ipse dominus loquitur per prophetã: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Sed etiã modo, medela, si volumus, nobis contra morsum Serpentis, viso Serpente confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis cõfessione aboletur. Ac si homo quando dixit cũ Propheta, quoniã iniquitates meas ego agnosco, & delictum meum contra me est semper, quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum Serpẽtis per Serpentis aspectum. Serpens itaque contra Serpentem, hoc est Christus persequens peccatum sub habitu peccatoris. & ideo dixit Apostolus: Et de peccato damnauit peccatum in carne. Idem peccatum originale deleuit per carnem similem peccatricem, & de peccato peccatum, id est mortem de morte contriuit. Rectè peccati nomine mortem appellauit: quia eandem de peccato constat esse generatam. Secundum hæc, nihil est aliud procedens de Serpente sanitas, quàm latens quasi sub peccati carne diuinitas. Quæ cum ita sint charissimi, introspicientes nosmetipsos, si aliquid vulneris senserimus, statim refugientes peccatum, confugiamus ad Christum. Ad illum spei nostræ eleuemus obtuitum: ad illum mentis oculos cõferamus. Cuiusmodi autem sit iste morsus, debemus agnoscere. Qui alienum malum respicit, qui in alienam rem anxia cupiditate suspirat, qui alienam mulierem importunis oculis & mortem ad se trahentibus conspicit, qui in alieno corpore sacrificat diabolo, animam suam toxicato spiculo in corde percussus est: hic quam debili morsu, tam exitiabili sauciatus est. Qui malitiam vel inuidiam tanquam vulnus inclusum in visceribus retinet, amarissimo atque mortifero dente laniatus est. Qui fide vacuus, & odio plenus, totus Draconis illius deuoratus morsibus. Sed & si ita sit, nullum cõuenit desperare. Legimus in Iona Propheta, quomodo bestia etiam deuoratum cogatur euomere. Ergo inter diuersos morsus, respiciamus ad Christũ, vt ille ad nos respiciat. Hic respiciamus ad sanatorẽ nostrum, iam illic à peccatoribus nisi fortè in iudicio non videndum. Aut quomodo quis videre poterit auctorem gloriæ, dicturus vale vltimum rerũ naturæ? Et ideo qui illum hic agnoscere voluerit adquisitus, iam eum illic nó poterit videre damnatus. Nunc ergo eum fide & operibus ante conspectum nostrum constituamus, & ad cœlum oculos spe ducente iaculemur. Demonstrauit in veteri Testamento Moyses remedium, postquam Serpens momordisset. Christus etiam istud ostendit, quomodo si resistas, mordere non possit. Videte nomen Dei vestri quãtũ prodesse possit in gratia, quod tantũ profuit in figura. Referũtur ad Serpentẽ cum remedio aspexisse redimendi. Quantum salubrius erit, si ad Christum respiciant iam redempti?

Ioh. 3.

Deut. 21

Osee 13.

Psal. 50.

Rom. 8. peccatum originale. Peccatum pro effectu.

Psal. 105.

Originale peccatum baptismo deletur

HOMILIA TERTIA
DE PASCHA.

HODIERNI dici sacrosancta solennitas; Hebtaicè phasc, græcè pascha, latinè transitus interpretatur. Hoc celebrauerunt Iudæi post longum captiuitatis iugum ex Aegypto recedentes. Ecce etiam nunc populum Dei liberatum: ecce iterum phasc agitur, iterum transitus celebratur? Quomodo iterum transitus celebratur? Idem de seruitute ad libertatem, de iniquitate ad iustitiam, de culpa ad gratiam, de morte ad vitam, per salutifera fluenta transitur. Potes iterum excelsi brachij antiqua rubri maris exercere miracula. Ingreditur anima vitales vndas, velut rubras Christi sanguine consecratas. Ingreditur mortiferis plena debitis, paulo post felicibus peccatorum ditanda naufragiis. In vno eodémque vndæ salutaris elemento, tanquam Aegyptius peccator perit, tanquam Hebræus iustitia tota permansit. Reus diluitur, reatus aboletur. Mira Domini clemẽtia, quæ irreuocabile scelus, & infectas criminum maculas, ad infectum reuocat, & peccatorem peccato morienti viuificat. Ecce homo fonte demergitur, & sola secreto munere hominis culpa damnatur. Criminosus tingitur, & solum crimen extinguitur. Quo genere Propheticũ illud impletur oraculum: Et operuit, inquit, aqua tribulantes eos, & vnus ex eis non remansit. Vnus ex illis id vnicum ac primum illud originale debitum sacri fontis vnda vacuauit. Illud singulare delictum primi parentis interemit. Ostendit hoc in loco magnificentia tanti muneris beata prędestiã Trinitatis. Ecce mala innumera antiquis ac recẽtis impressa vulneribus, perpetuis gehennæ vix expianda suppliciis, terna submersione purgantur. Vno momento operante velociter Deo, inter aquarum sinus, flammarum pabula consumuntur. Et ideo beatus Apostolus dicit: Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem. Demerguntur animæ sacro gurgite, veniunt confinia mortis & vitæ. Et quæ perditioni obnoxiæ fuerant, illo primæ natiuitatis exortu, salutifero renascuntur occasu. Exuuntur fœditate inuisibilis senectutis, & peccatorum deformitate contractæ induuntur pulchritudine cœlestis infantiæ. Stupemus interdum ad magnitudinem nouitatis. Si quando audimus aut legimus dominum Iesum Christum ex sola fœmina cessante virilis consortij societate progenitum. Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per omnem terram multitudines, de solo sinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat

Chriſti Eccleſia,quæ ad ſimilitudinem beatæ Mariæ
ſancto Spiritu operante ditatur, & mater diuinæ
prolis efficitur. Ceſſet ergo infidelium cæcus error
aſſerere , quod fœmina quæ ſine viro filium potuit
parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos
& quantorum fratres ſub vna nocte nobis edidit fœ
cunda de ſinu integritatis Eccleſia mater & ſponſa.
Mirabaris paulo antè de incorruptione naſcentem
hominem:mirare nunc quod nō minus nouum eſt,
quod non minus nouum,etiam renaſcentem. Con-
feramus ſi placet has duas matres , & vtriuſque ge-
neratio fidem noſtram in alterutra corroborabit.
Mariam ſecreto impleuit à lapſu ſancti Spiritus obū
bratio, & Eccleſiam in fonte benedictos ſancti Spi-
ritus maritauit infuſio.Maria filium ſine peccato ge-
nuit,&Eccleſia in his quos generauit peccata cōſum
pſit.PerMariā natum eſt quod in principio erat,per
Eccleſiam renatum quod in principio perierat. Illa
plurimis generauit, hæc populos. Illa vt nouimus
virgo permanens ſemel peperit filium, hæc ſemper
parit per virginem ſponſum. Quod ergo putabas à
ſeculis ſingulare miraculum,iam munus annuum re
cognoſce, Si reſurrecturum eſſe te dubitas, mirare
in te prolem , quem paulo ante noueras mortis hæ-
redem. Vbi ſunt qui dicunt eſſe geneſim vel fatum,
per quod in peccatum tranſire pars hominum vio-
lenta neceſſitate cogatur?Vbi ſunt qui dicunt eſſe a-
nimas,quæ cum damnatione natæ ad mortem cogē
te malæ naturæ præfinitione rapiantur ? Iam primū
ſi ita eſt,quare malos & humana lex & diuina con-
demnat,niſi quia vitium voluntatis in culpa eſt? Iu-
ſtitia enim nō punit, quod natura cōpellit.Sed eſto.
Nullum fatum nulla neceſſitas.
Aliquis deputatus fuerit perditioni,præiudicata ſor
te naſcendi.Ecce deſcenditur in fontem tanquam in
ſepulchrum.Etiam ſi maculata fuiſſet natura,vtique
euanuiſſet in nihilum. Accepiſſet deterior origo ter
minum, quia ſumebat melior vita principium. Hic
iam videmus quomodo nos Deus noſter de manu
redimit inimici. Totus homo diluitur, abſoluitur,
innouatur. Cùm venerit Diabolus iam non agno-
ſcit ſuum , quem exinanita & expoſita natura in a-
doptionem Chriſti emancipauit,& in gremium Pa-
tris de mali perſuaſoris iure transfudit. Abſtulit ſine
dubio renaſcentis gratia libertatis. Nec iam obno-
xij eſſe poſſunt primæ origini , ſecunda natiuita-
te nati. Quid mihi nunc quicunque es ille ingeris
naturale.Adæ vinculum, cùm me in Chriſto agno-
ſcas renatum? Quid mihi inquam peccatum oppo-
nis alienum , vbi mihi remitti profiteris & propriū?
Quid opponis mihi veteris chirographi debitū, cū
illud videas noua cautione vacuatum ? Cautionem
enim & pactum cum Chriſto in baptiſmo fecimus,
vt homo illi ſeruaret innocentiam , & ille homini
redderet gloriam:famulus ſeruitium offerret, & Do
minus regnum pararet. Quid agat inter hæc fami-
liæ perſuaſor alienæ?Videt ſeruos quōdam ſuos ini-
quē à ſe occupatos per agnitionē Chriſti ingenuita-
ti traditos,& ſe cauſæ preiudicio cecidiſſe ,& ſe plus
petendi incurriſſe diſcrimen. Quomodo plus petē-
di.Si quidem cum ei homo per peccati obedientiā
deberetur,ille Deum ſpecie hominis deceptus appe-
tiit,& in ipſum cœli dominatorem parricidales ma-
nus inferre præſumpſit.Et ſubito per tantum nefas
etiam crimen maieſtatis incurrit : ac ſic hominem
quem violentus tenebat , proſcriptus amiſit. Pro-
ſcriptus inquam. Nam ſtatim in ipſo homine quem
redēptio in eius originē reuocauit,titulos ſuos Chri *Exod.12.*
ſtus affixit. Hæc eſt illa Crux quā in poſtibus regiis
ſignatam in frōte geſtamus,quam iuſtiſſimè in poſ-
ſeſſione receptam dominus Cardinalis & Impera-
tor legitimus impreſſit, vt nos verè dici domus Di-
uina poſſimus Ad hominē enim per Apoſtolum ſuū
Deus loquitur. Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus
Dei habitat in vobis : his de cauſis præpotens & ſu-
perbus proſcribi meruit:quia iā ſeculo reus vt dictū *1. Cor. 3*
eſt maieſtatis apparuit. Nam in excelſis factori ſuo
carus, tunc diuinitatis conſortiū factoris immemor
concupiuit,nunc iam in auctorem rerum cruentas
manus conſuetudine impietatis extēdit. Ac ſic præ-
donis iuſta damnatio , gratuita captiui facta eſt ma
numiſſio.Et ideo nunc genuit,inuidet , circuit, ſi for
tè vel furto à nobis poſſit auferre inſtrumentum ip-
ſius manumiſſionis, & adquiſitæ tabulæ libertatis.
Totis itaque viribus ſtudet,ſi quomodo valeat ho-
minem indulto nudare priuilegio, & operante pec-
cato velut ingrato præiudicare liberto. Tabulæ au-
tem noſtræ,chariſſimi,fides noſtra eſt,in paginis cor
dis inſcripta. Libertas noſtra,Dei gratia & cōuerſa-
tio noſtra eſt. Libertas inquam,noſtra eſt, cultus re-
ligionis,iuſtitia operis,puritas caſtitatis.Hanc omni
mentis vigilantia cōtra Diabolum vindicemus: quia
tanto infeſtior eſt ad expugnandum animæ theſau-
rum , quanto magis eum nouit eſſe precioſum. Et
ideo quia meminit exul cœli quid agatur in cœlo,
quanta homini trementi ſermones Dei præparetur
remuneratio, zeli indicat magnitudo.Prodit gloriā,
dum exercet inuidiam. Et inimicus eſt beneficiis il-
lius , qui de terra aſſumptum hominem ſecū regna-
turum eſſe promittit in cœlo,vt fidelium beatitudo
mortalium in confuſionem rebellium tranſeat An-
gelorum.

HOMILIA QVARTA DE PASCHA.

OPPORTVNE & congruè ſub die inſi-
gnis ſolennitatis hodiernæ invocem exul-
tationis aſſurgimus, & cum Apoſtolo di- *2. Cor. 6.*
cimus:Ecce nunc tempus acceptabile,ec-
ce nunc dies ſalutis. Hodie interfectis Aegyptiis,de
luto ac paleis Dei populus:id eſt de viliſſimis & ina-
niſſimis operibus liberatur. Hodie agnus ille qui *Exod.12.*
tollit peccata mundi in redemptionem humanæ ſa-
lutis offertur, quando poſtes domorum ſanguine il-
lius iubentur inſcribi : id eſt Crucis titulo frons no-
ſtra depingi, ne locum Angelus exterminator inue-
niat. Sub hoc tempore excutitur Pharao cum exer-
citu eius in mari rubro .Pereuntibus ſacro in fonte
peccatis,tanquam in rubras Aegyptij demerguntur
vndas. Rubras id eſt Chriſti ſanguine conſecratas.
Sub hoc tempore pro reditu filij iunioris qui perie- *Luc. 15.*
rat, & inuentus eſt pro ſalute gentilium , ſaginatus
ille vitulus, immolatus eſt. Iunior autem filius nos
ſumus, qui ſeniore fratre,id eſt Iudæis tardantibus,
& intrare nolentibus,ad creatorem noſtrum reuer-
timur ſub pœnitudine peccatorum.Euerteramus e-
nim & prodideramus à Deo Patre ſubſtantiam. Vi-
deamus quam ſubſtantiam : id eſt vniuerſæ naturæ
bona.Dei enim eſt ſubſtantia, omne quod viuimus,
ſapimus,cogitamus,intellectus &ratio ad diſcretio-
nē boni & mali.Dei ſubſtantia eſt,etiā libertas arbi-
trij quam acceperamus , vel ad declinanda blandi-
menta

menta peccati,vel ad incitandum liberæ voluntatis
affectum in auctoris obſequium,vel ad cuſtodiendā
imaginem & ſimilitudinem Dei.Has ergo datas no-
bis & intus inſertas à creatore diuitias , in priuatos
tranſtulimus vſus , & conſumpſeramus in exercitia
vitiorum derelicto fonte virtutum,peregrè & nimis
longè à patre profecti , non locis ab eo & regioni-
bus,ſed cordibus & operibus diſcedētes. Qui enim
ſequitur proprias voluptates , & per paſſiones ſuas
rapitur exul à Deo efficitur. Ad quem ſuſcepta pec-
catorum agnitione redeūtibus nobis,&quidem re-
deuntibus non greſſu corporis , ſed mentis affectu,
cum immenſa miſericordia,cum ineffabili lætitia &
conſolatione obuiam venit inter feſta conuiuij, or-
dinat choros atque ſymphonias : id eſt exultationes
cœleſtium gaudiorum , quibus Angeli lætantur in
cœlis vno peccatore pœnitentiam agēte.Redeunti-
bus itaque nobis ad emendationem , hoc conuiuiū
quotidie celebratur. Quotidie pater filium recipit.
Leuit.9. Sēper Chriſtus credentibus immolatur. Hic eſt er-
Num. 29 go ille vitulus ſaginatus, quem in veteri Teſtamen-
to docemur offerre. Vitulus ex bubus , id eſt ex Pa-
triarcharum, ex Prophetarum , ex Abrahæ genera-
tione deſcendens , maſculus immaculatus . Maſcu-
lus , id eſt contra omne peccatum robuſtus ac va-
lidus.Maſculini enim & virilis eſt animi illecebram
repudiaſſe peccati.Sicut fœmineæ fragilitatis igna-
uia eſt initij ſuſcepiſſe laſciuiam. Vnde & ille typum
Exod. 1. gerens Diaboli Pharao, premens populum Dei, ini-
micus ſpiritui,amicus carni,fortitudines prefocabat,
concupiſcentias inuertebat.Mortuus eſt ergo Chri-
ſtus propter iniquitates noſtras , & ſic ouis ad occi-
ſionem ductus eſt,& ſicut agnus coram tondente ſe
ſine voce,ſic non aperuit os ſuum.Hic eſt ille agnus
Exod.12. quem in vna domo comedere ex lege præcipimur,
ſuccinctis lumbis noſtris. Comedere autem caput
cum pedibus?Quid eſt in vna domo? id eſt in vnita-
te Eccleſiæ iubemur carnes eius aſſumere. Arriani
ergo & diuerſæ hæreticorum peruerſitates , non in
vna illum comedunt domo .Quod ideo ſicut in di-
luuio non ſaluatus eſt,niſi qui inter arcam Noe fuit
inuentus : ita diuerſæ fidei homines extra eccleſiæ
domum non habētes agnum qui Chriſtus,ſalui eſſe
non poſſunt. Quod vero huius agni caput cum pe-
Agnus non niſi in Eccleſia comeditur
dibus comedere nos debere ſcriptura cōmemorat,
hoc eſt vt Deum & hominem pari confeſſione ve-
Ioan. 1. neremur. Caput accipiamus de eo quod dicit bea-
tus Ioannes, In principio erat verbum. Pedes verò
Philip. 2. de eo quod Apoſtolus ſcribit: Semetipſum exinani-
Gal. 4. uit formam ſerui accipiens,in ſimilitudinem homi-
nis factus,& habitu inuentus vt homo. Et factus ex
muliere , factus ſub lege,oportet ergo vt huius no-
ſtri agni carnibus ſuccinctis lumbis,id eſt mortifica-
tis carnalibus paſſionibus,cum ſumma cordis & cor
poris puritate veſcamur. Caput cum pedibus, id eſt
& ex Deo genitum credamus , & ex homine pro-
creatum. Quod autem dixi & ex Deo genitum,for-
tè ſint aliqui de minus eruditis qui dicant in corde
ſuo:Quomodo Deus filium genuit?Nihil hîc corpo-
reum cogitemus.Quid eſt enim Deus Deum genuit,
niſi de igne ignis apparuit,lux de luce proceſſit? Er-
go propter aliquos qui tardi ſunt ad intelligendum,
aliquam iam ſpeciem vel comparationem de terre-
nis ac viſibilibus aſſumamus.Verbi gratia,Si lampas
accendatur ex lampade , ſi vna illuminatur ex alia,
non tibi videtur flamma quodammodo flammam
parturiens,ſplendorem de ſplendore genuiſſe? Non
tibi videtur ineſtimabili ratione natum fuiſſe lumē
ex lumine? Quod cum de lampade ad lampadem
transferatur , licet duæ lampades adeant , tamen il-
le ignis ipſe eſt vtique in ſecunda , qui ſplendebat in
prima. Nunquid de nihilo , aut de aliquo nouo ini-
tio factus eſt ille ignis? Sed magis de natura ſui ſplē-
doris effuſus eſt.Ergo illa illuminatio quæ de primā
lampade videtur accenſa, non quaſi ex nihilo in ſe-
cunda eſſe cœpit, ſed de cognato ſplendore proceſ-
ſit,qui in primi luminis origine iam manebat: & li-
cet in vtraque lampade genuina & duplex micare
videatur flamma, vtraque tamen vna ſubſtantia eſt.
Ita & vnigenito Dei filio,Si ſpecies perſonæ propria
eſt,generis tamen natura communis eſt, non de Pa-
tre incipiens,ſed ex Patre cum Patre ſubſiſtens. Om-
nia de nihilo creata ſunt, ille ſolus de Deo Deus. hic
ergo cum in forma Dei eſſet , formā ſerui pro ſalute
ſeruorum ſuſcepit & in ligno Crucis cum vitę eſſet
lignū appenſus eſt, quaſi ſeipſum pēſaret in pretium
perditorum . Alapis cæſus eſt,ſpinis coronatus eſt.
Quod verò coccinea indutus eſt chlamyde , indu-
menta Chriſti merita ſanctorum ſunt, Iam tunc ita-
que martyrum ſanguine in illo cocci colore perfun-
ditur. Quod autem Iudei purpurea chlamyde indu-
tum flexo adorant genu, vellent, nollent , Regem il-
lum & dominum confitentur . Quod autem in cru-
Indumēta Chriſti merita ſanctorū ſunt.
ce dixit ſitiō , fidem in ſuis requirebat . Sed quia in *Ioan. 19.*
propria venit, & ſui eum recipere noluerunt,pro ſua *Ioan. 1.*
uitate fidei ei perfidiæ propinauerunt . Porrigitur
acetum malitia quia vinum ſapientiæ quod à Chri-
ſto acceperant,peccandi perdiderāt. Potatur acerbi-
tate malorum noſtrorum, daturus Dulcedinem bo-
norum ſuorum. Sed & nunc quotidie quando pec-
catis contriſtatur, exacerbatur , aceti quodammo-
do illi potus , & cibus fellis ingeritur . Velum templi
ſcinditur. Velum ornamentum tabernaculi eſt. Co-
Acetum Chriſto porrigere, eſt peccatis exacerbare.
ruſcante igitur gratia, eccleſia ædificatur , Synagoga *Mat. 27.*
deſtruitur . Veli templum honore nudatur, remoto *Mar. 15.*
per aduentum Chriſti velamine litteræ, vt cum Pau- *1. Cor. 3.*
lo reuelata facie legis interiora pandantur. Reſurgūt
laxata ſede tartarea cum Chriſto ſancti, & quem ſu-
peri nō recipiunt, inferi Deum eſſe cognoſcūt . Vn-
de nos agnoſcētes erga nos diuinorū beneficiorū al-
ta myſteria, reſpōdeam' in quo poſſumus miſericor-
diæ redemptoris . Demus illi compunctionem Dei
peccatorū emēdatione pro ſpinis ſuis. Offeramus illi
cor ſuo timore confixum pro clauis ſuis. Reddam' il-
li palmam perſeuerantiæ pro alapis ſuis.

HOMILIA QVINTA DE PASCHA.

MAGNITVDO cœleſtium beneficio-
rum anguſtias humanæ mentis ex-
cedit. Et propterea ita ordinauit di-
uina prouidentia, vt quod capere in
nobis ratio rerum mole victa non
poterat, fides deuota conciperet, &
intellectum credulitas robuſta nutriret. Cum ergo
per primam tranſgreſſionem Adæ origini & morti
obnoxij teneremur , perſpiciēs ex alto Deus in quo
eſſemus genere debitores vitæ, qualitates captiuita-
tis reparauit munus redemptionis : id eſt vt pro de-
bita morte offerret indebitam. Et quia nec nos
habebamus vnde viueremus , nec ille vnde mo-

reretur,materiam de noſtra mortalitate ſuſcepit vt
ſua immortalitate collocata, mori poſſet vita pro
mortuis.Et ideo qui corpus aſſumptum ablaturus
Quare Chriſtus corporis & ſanguinis ſacramentũ eccleſiis reliquit.
erat ex oculis noſtris,& ſyderibus illaturus,neceſſa-
rium erat vt nobis in hac die ſacramentum corporis
& ſanguinis cõſecraret,vt coleretur iugiter per my-
ſterium quod ſemel offerebatur in pretium, vt
quia quotidiana & indeſeſſa currebat pro ho-
minum ſalute redemptio: perpetua etiam eſſet re-
demptionis oblatio, & perennis victima viueret in
memoria,& ſemper præſens eſſet in gratia,verè vni-
ca & perfecta hoſtia,fide æſtimanda non ſpecie,nec
exteriori cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu. Vnde
merito cœleſtis confirmat auctoritas,quia caro mea
verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus. Rece-
dat ergo omne infidelitatis ambiguum: quãdoqui-
dem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt ve-
Panis & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti cõuerſio.
ritatis. Nam inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas
in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui,verbi ſui ſe-
creta poteſtate conuertit,ita dicens: Accipite & edi-
te: hoc eſt corpus meum.& ſanctificatione repetita:
Accipite & bibite.Hic eſt ſanguis meus.Ergo ad nu-
tum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſti-
terunt excelſa cœlorum,profunda fluctuũ,vaſta ter
Non nouũ Euchariſtiæ ſacramentum, nec Deo impoſſibile.
rarum.Pari potẽtia in ſpiritualibus ſacramentis ver-
bi præcipit virtus,& rei ſeruit effectus. Quanta ita-
que celebranda beneficia vis diuina benedictionis
operetur, quomodo tibi nouum & impoſſibile eſſe
non debeat,quod in Chriſti ſubſtantiam terrena &
mortalia commutantur, teipſum qui iam in Chri-
ſto es regeneratus,interroga. Dudum alienus à vita,
peregrinus à miſericordia, à ſalutis via intrinſecus
exulabas. Subito initiatus Chriſti legibus & ſaluta-
ribus myſteriis innouatus, In corpus eccleſiæ nõ vi-
dendo,ſed credendo tranſiſti, & de filio perditionis
adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruiſti.In mẽ-
ſura viſibili permanens, maior factus es teipſo,inui-
ſibiliter ſine quantitatis augmento.Cum ipſe atque
idem eſſes,multo aliter fidei proceſſibus extitiſti. In
exteriore nihil additum eſt, & totum in interiore
mutatum eſt. Ac ſic homo Chriſti filius effectus, &
Chriſtus in hominis mente formatus eſt. Sicut er-
go ſine corporali ſenſu, prætenta vilitate depoſita,
ſubito nouam indutus es dignitatem, & ſicut hoc
quod in te Deus læſa curauit,infecta diluit, macula-
ta deterſit, non oculis ſed ſenſibus tuis ſunt credita,
& ita cũ reuerendũ altare cibis ſatiandus aſcendis,
In altari chriſtum ſumimus.
ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice,ho-
nore mirare,mente continge, cordis manu ſuſcipe,
& maximè hauſtu interiori aſſume.Quod ſi illud le-
Deut.8. gis manna, de quo legitur,pluit illis manna, vt ede-
Pſal. 77. rent,hoc vnicuique ſapiebat quod deſiderium con-
cupiſſet: aliud erat quod ſumebatur, quod videba-
tur,inuiſibiliter ſapor ille in ſingulorũ ſenſibus for-
mabatur. At vero illud legis mãna cœlitus illapſum,
per multimodas ſuauitates, naturæ meritum & ge-
neris ſui excedebat intuitũ. Et cum creaturam ſuam
diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condi-
ret,præbebat guſtus,quod ignorabat aſpectus. Iux-
ta percipientis deſiderium, eſcæ illius nouitas & di-
gnitas naſcebatur. Vnumquemque variis & alienis
ſaporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius donũ,
& multiplex ſicci imbris obſequium. Quæ cum ita
ſint quod illic auiditas faciebat, hîc fides faciat.
Quod ſi in corpore cibus ſapiat, in pectore Deus
credulitate proficiat, ſicut legimus, Accedat homo

ad cor altum,& exaltabitur Deus.Ideo quod ibi de- *Pſal. 63.*
A lectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio ope-
retur in ſenſibus. Ad cognoſcendum & percipien-
Euchariſtia ſacrificium veri corporis chriſti.
dum ſacrificium veri corporis,ipſe te roboret,& po-
tentia conſecrantis inuitet. Qui tunc latuit præfigu-
ratus in manna, ſit tibi nunc manifeſtatus in gratia.
Ipſum autem fuiſſe in mãnæ illius ſpecie præſigna-
tum, etiam Propheta euidenter oſtendit,dicens:Pa- *Pſal. 67.*
nem cœli dedit eis,panem Angelorum manducauit
homo. Et quis panis Angelorum eſt niſi Chriſtus,
qui eos cibo ſuæ charitatis & lumine ſuæ claritatis *Exod. 16.*
exſatiat? hic panis dicente Propheta,Sexta die duplũ
colliges,Sabbato autem non colliges: dum à primo
id eſt à Dominico in lege tribuitur: & in ſolo Sab-
B bato denegatur, iam tunc Chriſtus ab Eccleſia, cui
dominicum corpus reſurrectio conſecrauit,recipiẽ-
dus oſtenditur, & Synagogæ, ad quam cultus Sab-
bati pertinebat negandus eſſe prædicatur, dum dies
iſte,id eſt,dies ſeptimus cœleſtis pane fraude muti-
latur. De quo pane vetus narrat hiſtoria, nec qui
plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus pa-
rauerat, reperit minus: eo quòd Euchariſtiæ ſacra
perceptio non in quantitate,ſed in virtute conſiſtat.
Quod corpus Sacerdote diſpenſante tantum eſt in
exiguo,quantum eſſe conſtat in toto. Quod cũ Ec-
cleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis: ita
integrum eſſe probatur in ſingulis. De quo ſenſu A-
C poſtolica ſentẽtia docet,dicens,Qui multa habet,nõ
abundabit:& qui modicum,non minorabit.Si fortè
eſum panis eſurientibus apponeremus, non ex toto
perueniret ad ſingulos, quia particulatim & minu-
tatim portionem ſuam vnuſquiſque præſumeret.
De hoc vero pane cum aſſumitur,nihil minus habẽt
ſinguli quàm vniuerſi. Totum vnus, totum duo,to- *1.Cor. 8.*
tum plures ſine diminutione percipiunt: quia bene-
dictio huius ſacramẽti ſcit diſtribui: neſcit diſtribu-
tione conſumi. Sacramẽti itaq; huius formã,etiam
in Iudæorum paginis inuenimus expreſſam. Nam *Gen.14.*
de Melchiſedech in Geneſi legimus, & Melchiſe-
dech Rex Salem protulit panem & vinum, & bene-
D dixit Abrahæ. Melchiſedech autem fuit Sacerdos
Dei ſummi.Dum à præputio,id eſt,à Gentili,Circũ-
ciſio futura benedicitur,Eccleſiæ gloria prædicatur,
& Synagogæ infideli plebs ex gentibus adquiſita
præponitur.Hic ergo in Melchiſedech,cuius genea-
logia vel origo notitiam illius temporis latuit,obla-
tione panis & vini hoc Chriſti ſacrificiũ præſigna-
uit.De quo Propheta pronunciat,Tu es Sacerdos in
æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nam
& beatus Moyſes de eo myſterio loquens, vinum *Pſal. 109*
& ſanguinem ſub vna appellatione ſignificat in be-
nedictionem Patriarchæ, Dominicam paſſionem
multo antè demonſtrans,ita inquiens,lauabit in vi- *Gen. 49.*
E no ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.
Aduerte quàm euidenter conſtat vini creaturam
Chriſti ſanguine nuncupatam. Quid adhuc de hac
duplici ſpecie inquirere debeas, ipſo Domino atte-
ſtante cognoſce. Niſi inquit, manducaueritis carnẽ *Ioh.6.*
filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,non habe-
bitis vitã in vobis.Quod teſtimoniũ contra Pelagij
blaſphemias euidentiſſimum atque validiſſimũ eſt,
qui aſſerere arrepta impietate præſumit, non pro-
pter vitam,ſed propter regnum cœlorum baptiſmũ
paruulis conferendum.Sub his enim Domini verbis,
quibus Euangeliſta pronuntiat,non habebitis vitam
in vobis, apertè intelligenda eſt omnis anima mu-
nere

Baptiſmi neceſſitas.
nere baptiſmi vacua,non ſolum gloria carere, ſed vi
ta.Hoc itaque Dominici ſanguinis vinum,aqua eſſe
miſcendum non ſolum traditione Dominus,ſed etiã
ipſo genere paſſionis oſtendit, ex cuius ſacro latere
ſanguis & aqua lanceæ illiſione profluxit: ſicut &
Propheta multo ante præcinit,dicens: Percuſſit pe-
Pſal. 77. tram, & fluxerunt aquæ.Et Apoſtolus, bibebant de
ſpiritali conſequenti eos petra: petra autem erat
1.Cor.10. Chriſtus.Bibebant autem,inquit, de conſequẽti eos
petra. Vides quòd qui de Chriſti gratia biberit, ſe-
Prou. 9. quitur eum Chriſti miſericordia. Sed in Salomone
de ipſo Domino prædictũ legimus: Sapiẽtia inquit,
ædificauit ſibi domum: id eſt corpus hominis aſſum
pſit: in quo habitauit plenitudo diuinitatis. Et ſub-
didit columnas ſeptem. Quia illum benedictio Spi-
ritusſancti gratiæ ſeptiformis impleuit. Mactauit
hoſtias ſuas, miſcuit in cratera vinum ſuum,& para-
uit menſam ſuam. Et in ſequenti, Venite & edite de
meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis.
Admixtum ergo aqua vinum legimus, nunc cauſam
quare vtrumque Dominus miſceri voluerit, inqui-
ramus. Quando in Iudæorum conuiuio nuptiale vi-
Ioh.2. num, id eſt fides in eis deficiebat: vinum inquit,defi-
ciebat, quia vinea fructum negabat. De qua dicitur:
Eſaiæ 5. Expectaui vt faceret vuas, fecit autem ſpinas. Vnde
& ſertum ſpineum capiti redemptoris impoſuit,
quando Dominus nuptiali tempore,id eſt, quando
ſponſus Eccleſiæ ſuæ Paſchali exultatione iungẽdus
aquas in vina conuertit: manifeſtè præfigurabat
multitudines gentium de ſanguinis ſui gratia eſſe
venturas. Per aquas enim populos ſignificari ſacris
Apoc. 17 aperitur eloquiis, ſicut legimus, Aquas iſtas quas vi-
diſti, populi ſunt, & gens & linguæ. Aduertimus in
aquas figuram gentium demonſtrari, in vino autem
ſanguinem dominicæ paſſionis oſtendi: ac ſic dum
in ſacramentis vino aqua miſcetur, Chriſto fidelis
populus incorporatur & iungitur,& quadam ei co-
pula perfectæ charitatis vnitur, vt poſſit dicere cum
Apoſtolo, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tri
Rom.8. bulatio, an anguſtia, an fames, an perſecutio? & reli-
qua. Deus autem homini ſuſcepta ſanctificatione D
miſcetur, quando fides in ipſo pectore affectu iuſti-
tiæ, miſericordiæ, pietatis infunditur. Etiam in hoc
ipſo quod innumeroſis tritici generis* confici no-
** fortaſsè granis.* uimus, vnitatem conſtat aſſignari populorum. Sic
enim frumentum ſolita purgantis ſolicitudine præ-
paratum in cãdidam ſpeciem molarum labore per-
ficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis ſub-
ſtantiam congregatur. Sic variæ gentes, diuerſæque
nationes in vnam fidem conuenientes, vnum de ſe
Chriſti corpus efficiũt, & Chriſtianus populus, qua-
ſi tritici innumerabilila grana à ſacrilegis nationibus
fide purgante atque cribrante diſcernitur, & in vnũ
quaſi infidelium lolio pertranſeunte colligitur, & E
duorum teſtamentorum inſtructionem velut veſti-
mentum gemino molarum opere curatum niteſcit,
& illam primæ originis dignitatem natiuo candore
mutatur, ac per aquam baptiſmi, vel per ignẽ Spiri-
tus ſancti æterni illius panis corpus efficitur. Sicut
** grana.* ergo genera* ſeparari ab illius confecti panis adu-
natione non poſſunt, & ſicut aqua ad propriam re-
dire ſubſtantiam in vino permixta non poteſt: ſic &
fideles quique atque ſapientes, qui redemptos ſe
Chriſti ſanguine & Paſſione cognoſcunt, ita debẽt
quaſi inſeparabili membra capiti ſuo conſeruatione
& ardentiſſima religione, ſociari, vt ab eo non vo-

luntate, non neceſſitate ſeiungi, non vlla terrenæ
A rei ambitione, non denique ipſa poſſit morte diui-
di.Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu
Tranſmutare naturã Deus poteſt.
potentiæ,præſentia maieſtatis, in Dominici corpo-
ris tranſire poſſe naturam,cum ipſum hominem vi-
deat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus
effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens
ante verba Baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris de-
biti: his vero commemoratis mox exuitur omni fe-
ce peccati, ita quando benedicendæ verbis cœleſti-
bus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequã
inuocatione ſancti nominis conſecrentur, ſubſtan-
tia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti
corpus & ſanguis Chriſti. Quid autem mirum eſt, ſi
B ea quæ verbo potuit creare, poſſit verbo creata cõ-
uertere? Immo iam minoris videtur eſſe miraculi, ſi
id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, iam condi-
tum in melius mutare valeat. Require quid ei poſſit
eſſe difficile, cui facile fuit viſibilia & inuiſibilia vo-
luntatis imperio ſuſcitare, cui facile fuit hominem
de limi materia figuratum, imagine ſuæ diuinitatis
induere: cui promptum eſt, eum rurſum reuocare de
inferis, reſtituere de perditione, reparare de puluie-
re, de terra in cœlum leuare, de homine Angelum
facere, corpus humanum conforme corpori clarita-
tis ſuæ reddere, & figmentum ſuum in regni ſui cõ-
ſortio ſublimare, vt qui corpus noſtræ fragilitatis
C aſſumpſerit; nos in corpus ſuæ immortalitatis aſſu-
mat. Ad quam glorioſam Reſurrectionem piis nos
operibus parare dignetur, Qui regnat in ſecula ſecu
lorum, Amen.

EIVSDEM HOMILIA, EX HIS APOSTOLI VERBIS: CVIVS OPVS manſerit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur.

1. Cor. 3.

IN lectione Apoſtolica, quæ nobis
paulò antè recitata eſt, Fratres cha-
D riſſimi, audiuimus Apoſtolum dicẽ-
tem: Quia fundamentum aliud ne-
mo ponere poteſt, præter hoc quod
poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.
Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentũ hoc,
aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum,
ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies
enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur,
& vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si
cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, merce-
dem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum pa
tietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per
ignem. Multi ſunt qui lectionẽ iſtam malè intelligẽ-
E tes, falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt quòd
ſupra fundamentum Chriſti crimina capitalia æ-
dificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſ-
ſint purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuam per-
uenire. Intellectus iſte, fratres chariſſimi, corrigen- *Purgato-*
dus eſt, quia ipſi ſe ſeducunt, qui ſibi blandiuntur. *rium.*
Illo enim tranſitorio igne de quo dixit Apoſtolus: *Venialia*
ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem: *peccata.*
non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Et
quamuis, quod peius eſt, nõ ſolùm maiora, ſed etiam
& minuta, ſi nimium plura ſint, mergunt. De ipſis
tamen maioribus ſiue minoribus peccatis, & ſi non
omnia, vel aliqua cõmemoranda ſunt, ne ſe aliquis

excusare conetur & dicat: nescire se quæ sint minuta peccata, quæ aũt criminalia capitalia. Et quamuis Apostolus capitalia plura cõmemorauerit: nos tamẽ ne disparationem facere videamur, breuiter dicemus quæ illa sint: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia, & si longo tempore teneatur iracũdia: ebrietas, si assidua sit: & detractio, in corum numero computatur. Quicunque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi dignè (si habuerit spacium) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illa flamma sine vllo remedio cruciabitur. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longũ est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex eisvel aliqua nominemus. Quotiẽs aliquis aut in cibo aut in potu plus accepit quã necesse est, ad minuta peccata nouerit, pertinere. quotiẽs plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quotiens pauperem importunè petentem exasperatur. Quotiens cùm sit corpore sanus, aliis ieiunantibus prandere voluerit, & somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Quotiens excepto desiderio filiorum, vxorem suam agnouerit. Quotiens in carcere positos tardius requisierit infirmos tardius visitauerit. Si discordes ad concordiam reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exasperauerit quàm oportet: vel si amplius fuerit blanditus quàm expedit. Si cuiquam maiori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus nimiũ delicioſa, vel sumptuosa sibi conuiuia præparauerit. Si se aut in Ecclesia aut extra Ecclesiam tabulis ociosis (de quibus in die iudicij ratio reddenda est) occupauerit. Si, dum incautè iuramus, & cum hoc per a-
1. Cor. 6. liquam necessitatem implere nõ poterimus, vtique periuramus, & cum omni facilitate vel temeritate malè dicimus: cùm scriptum sit: Neque maledici regnum Dei possidebunt. Et cùm temerè aliquid suspicamur, quod tamen plerunque non ita (vt credimus) comprobatur, sine vlla dubitatione delinquimus. Hæc cũ & his similia ad minuta peccata pertinere nõ dubium est, quæ (sicut iam dixi) enumerari vix possint, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis, licet occidi animam non credamus: tamen ita eam velut quibusdam pustulis & quasi horrenda scabie replentem, deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius cœlestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione
Ephe. 5. venire permittant. De quo scriptum est: Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Et ideo continuis orationibus, & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemosynis, & per indulgentiã eorum qui in nobis peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta, cumulum faciant & demergãt. Quicquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo Apostolus dixit: Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arserit, detrimentum patietur. Aut enim dum in hoc sæculo viuimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamur, aut certè volente, aut permittente Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur: & si Deo gratias agimus, liberamur. Quod ita fit, si quotiens maritus aut vxor aut filius moritur, vel substantia nobis quam plusquàm oportet, amamus, aufertur: licet plus Christum quàm ipsam substantiam diligamus, & si necessitas fuerit, malumus ipsam substantiam perdere, quàm Christum negare: tamen quia (sicut iam dixi) si plus eam quàm debemus, diligimus, amittere eam, aut dum viuimus, aut dum morimur, sine grandi dolore nõ possumus, & tamen si Deo, qui illa auferre, velut pius pater permittit, tanquam boni filij gratias agimus, & minus nos pati quàm meremur, cum vera humilitate perferimus: ita peccata ipsa in hoc sæculo purgantur, vt in futuro ignis ille purgatorius, aut non inueniat, aut parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus ipsa peccata redemimus: tamdiu in illo purgatorio moras habebimus, quandiu supradicta minuta peccata, tanquam ligna & fœnum & stipula consumantur. Sed dicit aliquis, nõ ad me pertinet quandiu moras habeam, tantum vt ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, *vij pœna qualis.* quàm quid potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cùm de die iudicij scriptum sit, quòd erit dies vnus: vnde scit vnusquisque vtrum diebus an mensibus, aut fortè etiam & annis per illum ignem sit transiturus? Et qui modò vnum digitum suum in ignem mittere timet, quare non timeat, ne necesse sit tunc non paruo tempore cum anima & corpore cruciari? Et ideo totis viribus vnusquisque laboret, vt & capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt aut parum ex ipsis, aut nihil videatur remanere, quod ignis ille possit assumere. Illi enim qui capitalia peccata committunt, si ea (dum viuunt) emẽdare pœnitentiæ lamento & medicamento noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, sicut iam dictum est, venire non potuerunt, sed magnam illam, duram & irreuocabilem sententiam audituri
Mat. 25. sunt: Discedite me maledicti in ignem æternum. Et ideo qui & ab ista perpetua pœna, & ab illa purgatoria desiderant liberari, capitalia crimina non admittant: aut si iam commiserunt, fructuosam pœnitentiam agant, & illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis insinuare desidero. Quotiens infirmos visitamus, in carcerem positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto in Ecclesia ieiunio ieiunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius conuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus: inimicis nostris quotiens petierint indulgemus: istis enim operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore prostrata ieiunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus erogandæ, vltro nos ipsos à communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes: quia iustum est, vt qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat. Ad extremum non est impossibile vel graue quod suggero, vel sic

Nullus à peccatis venialib⁹ immunis.

Purgatorij pœna qualis.

lugeamus

lugeamus extinctam animam nostram, quomodo alienam carnem mortuam plangimus, si aut vxor aut filius aut maritus mortui fuerint, in terra se collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora, in luctu, in abstinentia, in lachrymis non paruo tempore perseuerant. Rogo vos fratres, exhibeamus animæ, quod illi exhibent alienæ carni. Et hoc videte fratres, quàm malum, vt quæramus quæ possumus, carnem quam non possumus suscitare, plangimus, quam possumus ad statum pristinum reuocare. Sed quod nobis peius est, corpus mortuũ plangimus quod amamus: animam verò mortuã quam non amamus, nec dolemus nec plangimus. Et ideo mutua vice incipiamus plus Dñm amare quàm seruum, id est, plus factorem corporis quàm corpus: plus dominam quàm ancillam, id est, plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam: vt cùm die vltimo caro nostra putrescere cœperit in sepulchro, anima nostra in Abrahæ gremio, Angelorum manibus eleuetur: & in die iudicij, recepto corpore, per Resurrectionem audi-
Mat. 25. re mereamur: Euge serue bone, intra in gaudium domini tui. Et vt hæc quæ suprà diximus, cordibus vestris tenacius valeant inhærere, & ipsa Apostolica lectio plenius possit intelligi, breuiter charitati vestræ volo repetere. Omnes sancti qui Deo fideliter seruiunt, lectioni & orationi vacare, & in bonis operibus perseuerare contendunt, ne capitalia crimina nec minuta peccata admittant, id est, ligna, fœnũ & stipulam supra fundamentum Christi: sed bona opera, hoc est aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per ignem illum, de quo Apostolus dixit, quia in igne reuelabitur, absq; vlla violẽtia transibunt. Illi verò qui quamuis capitalia crimina non admittant, & ad perpetranda minuta peccata sunt faciles, ad vitã æternã pro eo quod in Christũ crediderunt, & capitalia crimina non admiserunt, vẽturi sunt: sed prius aut in sæculo per Dei iustitiam vel misericordiã (sicut iam dictũ est) amarissimis tribulationibus excoquendis: aut illi ipsi per multas eleemosynas, & dum inimicis clementer indulgent, per Dei misericordiã liberandi: aut certè illo igne, de quo dixit Apostolus, longo tempore cruciandi sunt, vt ad vitam æternam sine macula & ruga perueniãt. Illi verò qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his similia commiserunt, sicut iam dictum est: si eis digna pœnitentia non subuenerit, non per purgatorium ignem transire merebuntur ad vitam, sed æterno incendio præcipitantur ad mortem. Et ideò quotiens in lectione Apostolica audieritis. Si quis supra fundamentũ Christi super ædificat aurũ, argentũ, lapides pretiosos: de sanctis hoc & perfectis Christianis accipite, qui velut aurũ purgatũ merebũtur ad æterna præmia peruenire. Illi verò qui superædificant ligna, fœnum, & stipulam, de bonis Christianis, sed tamen ad minuta peccata purganda negligentibus (vt sæpe dictũ est) intelligite. Quæ peccata, si nec diuina iustitia multis tribulationibus purgauerit, nec vnusquisque eleemosynarum largitate redemerit, non sine grãdi dolore erit in illis, quod dixit Apostolus: Si cuius opus arserit, detrimẽtum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Nemo tamen (sicut iam suprà dictum est) seipsum circumueniat, vt hoc etiam pro capitalibus criminibus, si incurata remanserint, posse fieri, credat. Et ideo, sicut iam sæpe dixi, quantum possimus, cum Dei adiutorio laboremus, vt & maiora peccata possimus euadere, & minuta, sine quibus esse non possumus, iugiter, amore inimicorum, eleemosynarum largitate redimere præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorũ, Amen.

DE ELEEMOSYNA, HOMILIA II.

PIus & misericors Dominus, Fratres charissimi, multis modis occasiones vel opportunitates prouidere dignatur, quibus possumus sine grandi labore ac difficultate, peccata nostra redimere. Nam quos videt pro peccatis suis, ad ieiunandum virtutem non habere, & à carne vel à vino abstinere non posse, vendere etiam substantiam suam & pauperibus erogare. pauperum inopia prouidet, & abundantiores fructus tribuit: vt dum superflua sua pauperibus largiũtur, peccatorum indulgẽtiam consequantur: Quid tam pium ac delegatum? quid tam facilè & in promptu positum potest esse, fratres charissimi, quàm de hoc, quod amplius quàm opus est, tibi Deus dignatus fuerit dare, elemosynam dando studeas peccata tua redimere? Non hoc iubet Deus, vt ea quæ tibi, vel
1. Cor. 8. tuis necessaria sunt, debeas erogare. De quibus etiã Apostolus dicit: Non vt aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio superflua. Non ille sibi indiget expendere, sed tibi vult in æterna beatitudine conseruare. Nam & pauperes ideo esse voluit, vt diuites haberent quomodo peccata sua redimerent. Potuit enim Deus omnipotens homines diuites facere: sed diuitibus voluit locum misericordiæ prouidere: Non enim pro suo merito pauci diuites plus colligunt quàm illis opus est: & multi pauperes non colligunt nec quod illis necessarium est. Hoc enim, sicut iam dixi, Diuinæ misericordiæ artificium est, vt dum pauperes patienter egestatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant. Similiter & diuites dũ superflua misericorditer erogant, & à peccatis se redimant, & ad præmia æterna perueniant. Considerate fratres charissimi, & videte, quia nulla excusatio nobis potest remanere, per quam dicamus peccata nostra non potuisse redimere. Potes forsitan dicere, quod carnem tuam ieiuniis ac vigiliis non possis affligere, à vino vel à carnibus non valeas abstinere. Nunquid potes dicere, quòd ea quæ tibi, amplius quàm opus erat, Deus dedit, non possis pro peccatis tuis pauperibus erogare? Sed tu fortè respondes & dicis: Ex eo quòd mihi Deus amplius dederit quàm opus est: volo filiis vel filiabus meis argentum emere, ornamenta pretiosissima comparare. Cui ego respondeo: Ornamenta quidem emis, sed peccata non redimis. Et quia non solùm decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ deputatæ: verùm quicquid amplius, quàm nobis opus est, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quid eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reseruamus. Quòd si pauperes in locis vbi nos sumus, fame vel nuditate mortui fuerint, nouerimus nos rationem de animabus illorum in die iudicij reddituros. Est adhuc aliud genus eleemosynarum, de quo possumus si-

Qui ieiunare non potest, det eleemosynam.

Decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ.

ne vllo labore peccata redimere nostra. Si enim ita sit pauper, vt nec aurum habeat, nec frumẽtum, nec vinum, vel oleum, vnde corporalem eleemosynam faciat: non potest fieri, vt ab aliquibus hominibus non patiatur iniuriam, toto corde omnibus inimicis indulgeat, & nullum peccatum remaneat, quod eius conscientiam mordeat, & securus in oratione Dominica dicat: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et implebitur
Mat.6. in eo illud, quod Christus in Euangelio promittere dignatus est, dicens: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Et illud: Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis. Videte fratres charissimi, quia sicut & illa alia, de qua prius diximus, ita & in hac eleemosyna nullus potest inuenire, vnde se valeat excusare, nec aliquam rationem dare poterit, quod eã implere non possit. Ista enim eleemosyna per quam in nobis peccantibus veniam damus, non de cellario, non de horreo, vel de sacello, sed de cordis thesauro profertur, de quo ipse Dominus dixit: Bonus
Mat. 12 homo, de bono thesauro cordis profert bona. De illis ergo quæ suprà diximus, id est auro, argento, frumento, vino, & oleo, multi se possunt pauperes excusare. Illa verò eleemosyna quæ de corde profertur, qua fróte, aut qua conscientia vllus homo se dicturꝰ est habere nó posse? Et ideò quia nõ habemus vnde nos excusare possimus, cui deus amplioꝰ dederit quàm illi opꝰ est, de superfluis redimere peccata sua festinet. Ille verò qui captiuos redimere, & pauperes pascere vel vestire non præualet, contra nullum hominem odium in corde reseruet, & inimicis suis nõ soluin malum pro malo non reddat, sed etiam diligat, & pro eis orare non desinat, certus de promissione, vel de misericordia Domini sui. Libera conscientia ante tribunal Christi dicere poterit: Da domine quia dedi, dimitte quia dimisi. Ea tamen conditione, vt posteaquam talibus eleemosynis cœperit peccata sua redimere, quia nunquam illi deerunt minuta peccata quæ quotidie redimat: crimina capitalia non admittat, propter illud quod scriptum
Eccl. 34. est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum contigit
Prou.26. mortuum, quid proficit lauatio eius? Et illud: Sicut odibilis fit canis quando reuertitur ad vomitum suum, ita peccator quando ad peccatum suum. Sed dum ista duo genera eleemosynarum insinuare videmur, fortè dicet aliquis: Ecce ego nec terrenam substantiam habeo, quam pauperibus possim erogare: nec ab aliquo iniuriam patior, cui indulgentiam dando possim peccata mea redimere. Quid facturus sum, qui nec ista habeo, nec ieiunare à vino, vel à carnibus valeo abstinere. Qui enim ista dicit, poterã ei respondere, falsum esse quod conatur asserere: quia nullus homo in hoc mundo inuenitur, qui nũquã ab aliis iniuriam patiatur: tamẽ acquiescamus, ista esse vt asserit: sic tamen acquiescamus, vt ei demonstremus esse adhuc tertium eleemosynarum genus, quod ita omnes excusationes possit excludere, vt nullus vnquam inueniat quod ei possit opponere. Ecce, dixisti te nec abundanter frumenta colligere, vnde victum aut vestitum possis pauperibus dare, nec iniuriam sustinere, quas inimicis debeas indulgere: & ideò dubitas quòd non habeas vnde possis peccata tua redimere. Accipe ergo, & fideliter tene præclarum ac præcipuum tertium genus eleemosynarum. Sit vitæ bona voluntas: omnes homines dilige sicut teipsum: pro omnibus ora: & hoc illis desidera quod & tibi: & clamatur tibi ab Angelis: Pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia bona voluntas, ipsa est charitas: si illam habere voluerit, impletur in te quod scriptum est: Charitas operit multitudinem peccatorum. Agnosce ergo, quia sublata est omnis excusatio siue, contradictio tua. Non enim poteris dicere, quòd bonam voluntatem habere non possis, quia potest fieri quòd non velis: nunquam tamen probare poteris, quod non possis. Et ideo beneficia & tam præclara medicamenta Domini & Saluatoris nostri non negligẽter, sed fideliter accipere, & custodire cum ipsius adiutorio laboremus: vt non solùm indulgentiam peccatorum accipere, sed etiam ad æterna mereamur præmia peruenire. De illis duabus eleemosynis quæ secundò vel tertiò positæ sunt, est vnum, vt in nobis peccantibus dimittamus, vt pro inimicis nostris oremus, vt eos toto corde diligamus, & vt per bonã voluntatem & veram charitatem quæ operit multitudinem peccatorum, in nobis Deo propitio fieri laboremus. Ita aperta est ipsa admonitio, vt expositore omnino non egeat. Illam verò eleemosynam quã primo loco posuimus, per quam ex eo quod nobis Deus amplius dat quàm opus est, & peccata redimere & præmia æterna nobis possumus inspirante Domino præparare. Consilium meum si vultis audire, cum gaudio illam & cum lætitia, poteritis Deo auxiliante perficere. Quotiens aut messes aut vindemias colligitis, & vestras & omnium qui ad vos pertinent computate expensas: simul enim & illud quod in fisco daturi estis, & id quod vobis superesse cognoscetis: quia non vobis proprièe datum est, sed (sicut iam dictum est) dispensandum per vos pauperibus transmissum est: aut totum, aut quantũ Deus cordi vestro inspirauerit, sequestrate: & sic sit apud vos, quomodo si hoc iam in manu Dei obtuleritis. Hoc si (secundum quod credimus) fideliter facere volueritis, venientibus captiuis & pauperibus non solùm non exasperatur aut contristatur animus vester, sed etiam lætificatur & gaudet: dum
2. Cor.9. ea quæ pro amore Dei, necessitatibus pauperum deputastis, cum summo desiderio expendere festinetis, & impletur in nobis illud quod scriptum est.
Ecl. 3. *Luc.11.* Hilarem datorem diligit Deus. Et illud: Qui dat pauperibus, nunquam egebit. Et illud: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Et quod in Euangelio ipse Dominus dixit, Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM ADMONITIO PER QVAM DOCEMVR, VT COGITATIONES *turpes debeamus fugere, & quæ sancta sunt Dei adiutorio in corde seruare. Homilia* III.

IN scripturis sanctis, fratres charissimi, legimꝰ, quia eosqui de aiæ suę salute soliciti sunt, cogitatio sancta custodiet. Sic enim ait sermo diuinus: Cogitatio sancta custodiat te. Si cogitatio sancta custodit: illa quæ non est sancta nõ solùm non custodit, sed etiã perdit. Sed dicet fortè aliquis: Et quis est q possit sẽper de deo & æterna

æterna beatitudine cogitare, cùm omnibus hominibus necesse sit de victu & vestitu & domus suæ, ordinationis suæ solicitudinem gerere? Nec Deus hoc iubet, vt solicitudo de præsenti vita esse nõ debeat,
1.Cor.4. præcipiens per Apostolum suum: Qui non operatur, non manducet. Et illud quod de seipso idem Apostolus dicit: Nocte & die operantes, ne quem vestrũm grauaremus. Isti enim cogitationi per quam de victu & vestitu rationabiliter cogitatur, quia hoc specialiter Deus præcepit: si auaritia, cupiditas, quæ luxuriæ seruire solent, vinctæ non fuerint, quicquid agitur, quicquid cogitatur, sanctum esse creditur, Tantum est, vt non sint ita nimiæ ipsæ occupationes, vt nos Deo vacare non sinant, propter illud quod scriptum est: Impedimenta mundi fecerunt eos miseros. Et quia necessitas corporis paruis rebus expletur, & cupiditas nullis vnquam, etiam si totum mundum adquirat, satiatur: respuamus cogitationes impias, quæ de venenosa cupiditatis radice nascuntur, & illas tantummodo diligamus, quibus ad æternum præmium peruenitur: vt impleatur in nobis illud quod prius dictum est: Cogitatio sancta custodiet te. Et quia duo genera cogitationũ bonarum & malarum cordibus nostris se iugiter conantur inferre, cum Dei adiutorio toto corde & toto animo, illas quæ sanctæ sunt, festinemus recipere, vt libidinosas aut improbas possimus excludere. Sed fortè dicet aliquis, ita fecêre malæ consuetudines & turpes cogitationes in corde meo, vt eas
Amor amore vincitur. à me nulla possim ratione repellere. Omnibus enim notũ est, quia amor amore vincitur. Incipiamus bonas cogitationes diligere, & statim nos ab illis, quæ malæ sunt, Dominus dignabitur liberare. Locum quem in corde libidinosa & sordida cogitatio tenebat, castitas occupet: quem auaritia vastabat, misericordia reparet: quem superbia destruebat, humilitas reædificet: quem malitia vel inuidia tanquam vipereo veneno percusserat, charitatis vel benignitatis dulcedo componat. Quod autem luxuriosas cogitationes non debeamus in corde suscipere, euidentibus exemplis possumus approbare. Attende, quæso te, quomodo si aliquis in vestimentis vestris fimata vel sputa proiiciat, ita nobis horrorem faciunt, vt nec oculis aspicere, nec summis saltem digitis velimus attingere. Et si nobis sputa, quæ sine peccato proiiciuntur, horrorem faciunt in vestibus nostris: putas, cogitationes libidinosæ, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo in animabus nostris? Et sputa vel flegmata sic perhorrescimus, quæ vtique inuiti excipimus: quanto magis cogitationes sordidas, quas cum nostra volũtate in corde nostro moras habere permittimus, opus est, vt cum Dei adiutorio celerius respuamus? Et hoc considera, quòd si in templo Dei de lignis & lapidibus, quíque porcos vel canes introducat, aut lutum mittat, aut stercora spargat, ita offenditur animus noster, vt illum, per quem negligentia ipsa facta est, flagellari velimus. Et cùm hæc ita sint, quid de nobis cogitamus, si in animabus nostris, vbi sunt templa Dei viuentia, multum peiores quam stercora sunt, cogitationes luxuriosas vel malignas suscipientes, Deo qui in nobis habitare dignatur, iniurias irrogemus. Et ideo multum licet plus oporteat, tamen vel sic ab immũditia peccatorum studeamus animas nostras custodire: quomodo nec templum Dei, nec vestes nostras volumus aliquibus inquinari. Et illud: Dic mihi quæso, si te in conuentu populi, aliqua famosa meretrix expassis manibus amplecti aut osculari conetur; vtrum hoc patienter aut libenter excipias? nónne magis eam & manibus repellis, & in faciem conspuis? timens ne fortè quicunque viderint ex cõsuetudine hoc eam fecisse diiudicent? Certum est enim, quòd non solùm qui honesti vel casti sunt, hoc erga se fieri non permittunt, sed etiam & illi qui in secretis luxuriæ seruiũt, meretricum amplexus in cõuentu hominum perhorrescunt, plus timentes opprobria hominum in publico, quàm Dei præsentiam in occulto. Si ergo propter iudicia hominum nullus est qui velit publicè à meretricibus osculari, quare in secreto conscientiæ nostræ, immundissimas meretrices, id est, cogitationes luxuriosas & impias, non solùm frequenter suscipere, sed etiam nõ paruas moras habere permittimus? Est & alia similitudo, quam prudenter cõsiderare debemus. Et hoc attẽdite fratres; quia si aliquis carbonem viuum, quamuis grandem, apprehendat in manu sua, & eũ statim proiiciat, nec combusturam habere poterit, nec dolorem, si verò eum vel vnius horæ momẽto tenuerit, sine vulnere iactare non poterit. Hoc ergo quod de carbonibus viuis obseruamus in corpore, quare de cogitationibus malis non timemus in corde? Est & aliud, vnde hoc quod diximus, probare possumus. Die mihi (quæso te) nunquid est vllus homo, qui super fecessum vel cloacam vermibus plenam velit diutius stare, & eorum putredinem ventilare? Corpora nunc fœtorem cloacæ non sustinent, & corda cõtagioni luxuriosæ cõsentiunt. Et vide quæ pars possit exhalare maiorem putorem. Si bene & iustè iudicas, incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ. Quia illi fœtores animarũ sunt, isti corporum. Et sine dubio, quantum melior est anima quàm corpus, tantum maiorẽ fœtorem reddũt sordidæ cogitationes in anima, quàm in carne secessus aut cloacæ. Quomodo ergo in loco fœtoribus pleno diu stare nolumus corpora nostra, sic cogitationes luxuriosas & sordidas ne ad momẽtum quidem moras habere permittamus in animabus, vel in sensibus nostris. Et quia inter reliquas cogitationes, maximè iracundia, cupiditas, & luxuria cordibus nostris iugiter conãtur obrepere: si eas volumus Christo auxiliante, repellere, sanctis cogitationibus studeamus animum nostrum occupare. Habemus enim multa in Scripturis sanctis, per quæ nobis Dominus noster, & sanctorum præmia pollicetur, & peccatorum supplicia comminatur: misericorditer admonens, vt & iusti perseuerent in bonis, & impij reuocẽtur à malis. Quæ si frequẽtius aut ipsi legere, aut aliis legẽtibus voluerimꝰ libẽter audire, nũquàm nobis poterũt cogitationes malę subripere. Quæ cũ ita sint, fratres charissimi, nõ sine grandi verecũdia & possumus & debemus nos ipsos reprehẽdere: qui cùm in arca, vbi sũt vestimẽta nostra, qualecũq; scintillã ignis nolumꝰ intrare, per iniquas tamẽ cogitationes intus in arca cõscientiæ nostræ flãmas iracũdiæ, nõ solùm intrare permittimus, sed etiã falsis suspicionibus ad maius incẽdiũ prouocamus, atq; succẽdimus. Et quã excusationem apud nũm habere poterimus, qui plus amamus vestẽ nostrã, quam animã nostrã? Nec graue, nec durũ, nec impossibile est quod à nobis requiritur, fratres charissimi. Nã licet incõparabiliter amplius debeamꝰ custodire aias nostras, quàm nostras vestes: tamen non paruũ pro-

fectum habet, qui vel sic custodit animam suam, vt in ea malis, vel turpibus cogitationibus non sordidetur, quomodo custodit vestem suam, ne à tineis aut muribus corrumpatur. Rogo vos fratres, quid à nobis tantum mali meruit anima nostra ad Dei imaginem facta, vt vel tantam custodiam ei nolumus impendere, quantum videmur de nostris vestibus cogitare? Et cùm corpora nostra videant oculi hominum, & animas nostras aspiciant oculi Angelorũ, nescio qua conscientia ornamus & componimus pretiosis rebus carnem nostram, quæ post paucos dies aut annos, vermibus deuorãda est in sepulchris & animam nostram non ornamus bonis operibus, quæ Deo & Angelis præsentenda erit in cœlo? Et ideo mutata in melius vice corporibus nostris mediocrem ac sufficientem victum & vestitum prouideamus, vt totum quod superest, quò melius iuuare possumus animam nostram in æternam beatitudinem, per eleemosynam pauperum reponamus: ne fortè si plus de carne quàm de anima cogitamus, cùm ad illud nuptiale conuiuium non bonis operibus ornati, sed magis vitiorum pannis sordentibus inuoluti venerimus, dicatur nobis: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Auer
Mat. 22. tat Deus à nobis illud quod sequitur: Ligate (inquit) illi manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam audire merebitur, qui per vanitatem & luxuriam ornat carnem suam, & propter vitã æternam bonis operibus dissimulat ornare animã suam. Sed credimus de Dei misericordia, quod ita nobis inspirare dignabitur, vt cor nostrum à malis cogitationibus, ipso auxiliante, custodiamus illæsum & corpus nostrum, in omni castitate & sobrietate nitidum conseruemus. Vt cùm ante tribunal æterni iudicis venire meruerimus, non pro malis actibus pœnam mereamur excipere, sed pro bonis operibus ad æterna præmia peruenire, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DE DILIGENDIS INIMICIS, HOMILIA IIII.

IN diuinis voluminibus, fratres charissimi, ita dispensauit Spiritus sanctus, vt & sanis medicamennta deesse non possint. Quam rem ego, Domino donante, cognoscens vnicum ac singulare animæ remedium, tanquam spiritale antidotum vobis studui prouidere. Primum ac principale medicamentum est animæ ægrotanti, ita charitatis dulcedinem retinere, vt non solùm amicos, sed etiam inimicos velit toto corde E diligere, propter illud quod scriptum est: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pa-
Mat. 6. ter vester cœlestis peccata vestra. Vt ergo tam præclaram dilectionem & memoriter tenere & operibus possitis Deo auxiliante perficere, pauca capitula de Scripturis sanctis excerpsimus, quæ vnusquisque, si non discutiendo, sed credendo susceperit, & peccatorum indulgentiam suscipiet, & ad æternæ vitæ beatitudinem Deo auxiliante perueniet. In primis considerandum est, & totis viribus imitanda, benigna etiam erga inimicos antiquorum Sanctorum charitas. Nam beatus Ioseph pro parricidij crimine impiis & inimicis fratribus suis, non odij amaritudine,
A sed charitatis dulcedinem recompensauit. Oscula- *Gen. 45.*
batur enim singulos, & per singulos flebat. Quibus non solùm nihil mali rependens, sed etiam omnia bona retribuens, tam viuo quàm mortuo patre, germano semper amore eos dilexit. Beatum quoque Mosen cùm frequenter populus rebellis non solùm contemnere, sed etiam lapidare voluisset: diuinæ charitatis memor, ità pro illis Domino supplicabat, vt clamaret: Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro quem scripsisti. In ipso e- *Exod. 32*
nim vetere Testamento legimus scriptum: Itinera eorum qui iniuriam retinent malefacti, in mortem. Ne memor (inquit) sis iniuriæ proximi tui.
B Et iterum: Si videris asinum inimici tui in luto ia- *Exod. 23*
centem, non præteribis nisi prius alleues eum. Quo loco diligenter vnusquisque consideret, quòd si asinum inimici non licet in luto dimitti, quanto magis homo ad imaginem Dei factus, non debet odio haberi, nec negligi. Beatus quoque Iob ita veram & perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter retinebat, vt gaudens, & libera conscientia ad Dominum diceret: Si gauisus sum ad ruinam inimici *Iob. 31.*
mei, & exultaui, eo quòd inuenisset eum malum, vel si in corde meo dixi bene. Beatus verò Dauid licet multis virtutibus fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiarius Deo coniunxit, quàm dilectio
C inimicorum suorum: cui cùm inimicus suus in facie malediceret, maluit tamen parcere, & Dei iudicio *2. Reg. 18*
reseruare, quàm suæ iracundiæ satisfacere. Et in tantum non fuit simulata, nec falsa sua dilectio, vt ipsos etiam suos aduersarios fleret, & illos qui eos occidere præsumpserant, vindicaret. Ideo securus *Psal. 7.*
dicebat in Psalmis illud, quod omnes homines satis attento & trementi animo dicere debent: Si reddidi (inquit) retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animã meam, & comprehendat eam, & conculcet eam, & gloriam meam in puluerem deducat. Ecce quali maledicto seipsum condemnat, qui de inimicis dili-
D gendis Dei præcepta contemnens, odium in corde seruare non metuit. Vnde considerandum est, qua fronte vel qua conscientia versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis suis mala pro malis retribuit. Per Salomonem quoque Spiritus sanctus clamat & dicit: Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne fortè videat Deus, & displiceat illi, & *Prou. 24.*
auertat iram suã ab eo: & vtique cùm ab illo auerterit, ad illum dirigat, qui de inimici ruina gaudebat: secundum illud: Qui in ruina lætatur alterius, non *Prou. 17.*
erit impunitus. Item inibi: Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam: & qui in hominem similem sibi non habet misericordiam, ipse cùm *Prou. 27*
caro sit, reseruat iram, & propitiationem quærit à Deo. Quis exorabit pro peccatis illius? Dicit quidem in vetere Testamento: Diliges proximum tuũ, *Vnum & eundem diligere possumus, & odisse.*
& odio habebis inimicum tuum. Sed qui sano intellectu Scripturæ diuinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligit: vt diligat omnem hominem proximum suum, quod etiam in vno homine malo impleri potest. In ipso enim vno qui malus est, & proximum habes & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est: quòd malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est. Dilige ergo in eum carnem & animam, hoc est proximum tuũ, quem Deus fecit: & odio habe malitiam,

be malitiam, quam ipso consentiente diabolus in-
Prou. 25. tromisit. Quod cùm sancto & pio animo feceris, vi- A
ces cœlestis medici agis: odio habens morbum, & diligens ægrotum. Item per Salomonem loquitur Spiritus sanctus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Hoc loco cum grãdi diligentia obseruandum est, ne fortè dum eum bene non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent enim nonnulli hoc præceptũ facere, quasi ad satiandum furorem suum. Dicunt enim apud se: Ecce cibo inimicum meũ, vt ardeat in æternum. Auertat Deus huiusmodi intelligentiam ab animis nostris. Qualiter ergo accipi debet locus iste, sancti & antiqui Patres, reuelante Spiritu sancto, definierunt: Si esurierit (inquit) inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim (inquit) faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Caput in homine, sensus rationalis intelligitur. Qui sensus, cum à feruore charitatis recedens factus fuerit frigidus, vnde scriptum est: Quia abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: necesse est, vt quod est saluti cõtrarium, sapiat: & cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem freneticum, homines sanctos & charitatis igne accensos hortatur Spiritus sanctus, dicens: Carbones ignis congeres super ca-
Rom. 12. put eius. Cùm enim inimico tuo pio animo frequẽ- C
tius beneficeris, quamliber sit impius & crudelis, barbarus & cruentus, tamen tandem aliquando erubescit & dolet, & pœnitere incipit quod admisit. Iam cùm pœnitentiam cœperit agere sensus rationabilis, hoc est cùm caput ipsius incœperit charitatis igne succendi, & qui prius quasi frigidus & freneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, cùm spiritali calore tua bonitate fuerit succensus, incipit te toto corde diligere. Ecce quomodo sancti Patres hunc scripturæ locum intelligendum esse dixerunt. Nam absit à sensu Catholico, vt eo animo quisque boni aliquid inimico suo conetur impẽdere, vt cùm pro hoc beneficio velit æterno incendio cõcremari. Vnde cum grandi cautela fidei considerandum est, D
& timendum, ne sequamur literam occidẽtem, sed magis viuificantem spiritum diligamus. Et illud fratres charissimi, cum grandi timore considerare debemus, quod in Psalmo terribiliter Spiritus sanctus dixit: Cùm enim illam cœlestem Hierusalem, id est,
Psal. 147. congregationem omnium Sanctorum, quæ cum Christo est regnatura, ad laudandum Dominũ prouocaret, cùm dixisset, Lauda Hierusalem Dominũ: addidit, qui posuit fines tuos pacem. Ergo vt ipsi videtis, Hierusalem illa cœlestis, muros de pace cõstructos habet. Qui enim talem pacem & talem charitatem habet, vt omnes diligat, & pro bonis orat vt meliores fiant: pro malis supplicat, vt citò se corri- E
gant: de qua parte voluerit intrare illius cœlestis Hierusalem portas, apertas merebitur inuenire. Qui autem non vult habere talem charitatem, qualem
Mat. 25. Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte Hierusalem portas clausas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clausis ianuis sponsi cum illis fatuis virginibus illam audiet vocem: Amẽ amen dico vobis, nescio vos vnde scitis. Quomodo enim illis quinque virginibus, quæ charitatis oleũ habuerunt, illa cœlestis Hierusalem aperiet ianuas suas, vt intrent in gaudium Domini sui: sic illis è cõtrario, qui sine charitate veniunt, clauder, & æterna à se separatione repellet. Et implebitur in eo quod in ipso Psalmo scriptũ est de illa Hierusalem. Quoniam (inquit) confortauit seras portarum tuarum. Clausis portis & confirmatis seris, nunquam exiet amicus. Quia quomodo iustus nunquam erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquam poterit liberari à pœna. Et ideo si volumus vt ab istis malis nos dignetur diuina pietas liberare, in illam cœlestem Hierusalem vt mereamur intrare, totis viribus laboremus, sicut scriptum est: Et quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an perse- *Rom. 8.*
cutio, an fames, an periculum, an gladius? Et illud: Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates,
B neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Ecce sicut audistis beatum Apostolum & Apostolicos viros, tanta ac tam terribilia, à charitate Dei separare non poterant. Vnde nimis dolendum est, vt cùm illi à charitate nec tormentis potuerunt separari, nos interdum ociosis fabulis separemur. Et nonnunquã propter paruissimũ conuitium, & cuiuscunque miseri hominis detractionẽ, ita derelinquimus charitatẽ, vt cũ eo non solùm multis diebus, sed etiam mensibus fortassis & annis, nec loquimur, nec ad conuiuium venire velimus. Et non attendimus,
C quia dum nos inuicem odio habemus, ita muros ciuitatis Hierusalem contra nos claudimus, vt nobis nullus aditus remaneat per quem intrare possimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet: & (dicente Ioanne Euãgelista) Deus charitas est: qui charitatem habere noluerit, qua fronte vel qua cõ- *1. Ioh. 4.*
scientia, ad Deum, qui est charitas, præsumit accedere? Hæc omnia fratres charissimi, dum vobis paterna pietate frequenter insinuo, absoluo apud dominum conscientiam meam. Et quia nullus vnquam erit, qui se in veritate excusare valeat, quòd veram pacem & veram charitatem tenere non possit, totis viribus Dei misericordiam deprecemur, vt nobis illam charitatem, sine qua nullus vnquam Dominum
D videbit, insinuare & donare dignetur, vt nullis tormentis, nec damnis, nec persecutionibus, ab illius dilectione vel dulcedine separemur. Si iubetis, iam nó est opus, vt vos prolixiore sermone diutius fatigemus. Et ideo iam ista quæ ad præsens dicta sunt, charitati vestræ sufficiant. Dum hæc Deo placita, quæ accepistis, sanctis cogitationibus velut munda animalia assiduè ruminate, & qualiter ea cum Dei adiutorio possitis implere, in vestris animis definiatis ea quæ sequuntur de amore inimicorum, aut die crastino, aut certe die Dominico, absque aliqua lassitudine corporis, opportunius audietis. Præstante
E Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO PER QVAM SVADETVR, VT OMNIS POPVLVS, DONEC diuina mysteria celebrantur, in Ecclesia fideliter expectent, HOMILIA V.

ROGO vos, fratres charissimi, & pater- *Missam*
na pietate commoneo, vt quotiens aut in die *integram*
Dominico, aut aliis maioribus festiuitatibus Mis- *audiendã.*
sæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donec

diuina mysteria compleatur. Et quamuis multi sint, de quorum fide & deuotione gaudeamus, sunt tamen plures minus de salute suæ animæ cogitantes, qui lectis diuinis lectionibus statim de Ecclesia foris exeunt: cùm tamen etiam dum ipsæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otiosis & sæcularibus fabulis occupentur, vt eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant. Isti tales minus à nobis culpantur, si ad Ecclesiam non venirent. Quia ibi probantur amplius Dominum lædere, vbi peccatorum potuerant indulgentiam promereri. Vnde rogo vos fratres, vt humilitatis nostræ suggestionem non solùm patienter, sed etiam libenter accipiatis. Si enim diligenter attenditis, cognoscetis, quia non tunc fiũt Missæ, quando diuinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offerũtur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones siue Prophetica, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legẽtes audire potestis. Consecrationem verò corporis & sanguinis Christi, non alibi nisi in domo Dei audire vel videre poteritis. Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro suæ animæ celebrare, vsquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & cõpuncto corde se debet in Ecclesia continere. Cùm eñ maxima pars populi, imò quod peius est, penè omnes recitatis lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus est Sacerdos: Sursum corda? Nunquid respondere possunt, quando deorsum in plateis & corpore simul & corde discedunt, vel qualiter cum tremore simul & gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, benedictus qui venit in nomine Domini? Aut quando oratio Dominica dicitur, quis est qui humiliter & veraciter clamet: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Cùm enim etiam illi qui se in Ecclesia continent, si non dimiserint debita debitoribus, ad iudicium magis quàm ad remedium orationem Dominicam proferunt ex ore, quam implere nõ probantur in opere: & sine causa dicũt, Libera nos à malo: quando ipsi non desinunt reddere malum pro malo. Si ergo etiam illi periclitantur qui intus sunt, si implere noluerint quod promittunt, quid de se cogitant illi quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor seculi istius ita detinet implicatos, vt eos vnius horæ momento stare in Ecclesia non permittant. Quibus non sufficit, quòd per totam hebdomadam, aut pro necessitate, aut fortè (quòd verius est) pro cupiditate iugiter occupantur. Adhuc insuper post vnius aut duarum horarum spatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Ecclesiam conuenire, mittentes dorsa sacrificiis vel Sacerdotibus Dei; ad amplexandam voluptatem sæculi huius, sine mora aliqua reuertuntur, non agnoscentes quid expetant, quid relinquant. Sequuntur tenebras, & deserunt lucem: amplectuntur vmbram, & despiciunt veritatem: dimittũt dulcedinem Christi, & requirunt amaritudinem mundi, diligentes vanitatem & quærentes mendacium: verè ignorat quantũ boni in celebrandis Missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur. Cùm tamen istos tales si aut Rex, aut aliqua potens persona vocasset ad prãdium, velim scire si præsumeret discedere, nisi prius totum prandium compleretur, etiam si persona nõ teneret, gula tenerentur. Quare de conuiuio hominis, nisi per expeditum fuerit, non discedimus? nisi quia & ventrem fortè plus quàm expedit, implere volumus, & hominem lædere formidamus. Quare de spiritali & diuino conuiuio citò discedimus, timeo dicere, ne fortè aliqui irascantur, sed tamen tã propter meum quàm propter vestrum periculum dicturus sum. Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Dominum timemus, nec hominẽ reuereмur. Et quia Deo propitio, non sunt toti in hac parte culpabiles, sed multi inueniuntur vsquequo benedictio super populum detur, de Ecclesia non discedunt, & humiliter orare non solùm pro se, sed & pro aliis non desistunt. Illis quibus tantam compunctionem Deus dedit, vt in Ecclesia perseuerent, retribuet mercedem: eos verò qui negligentes sunt, iusto iudicio damnabit. Et ideo fratres, monete eos qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt, & non desinite castigare, dicentes eis & infinitissimè comminantes, quia nihil eis prodest quod lectiones diuinas audiunt, si antequam diuina mysteria compleãtur, abscedunt. Illis tamen qui in publicis necessitatibus occupantur, & eis qui aliqua infirmitate prohibente expectare non possunt, imputare non possumus, nec debemus. Ipsi tamen videant in conscientia sua vtrum eos necessitas retrahat an voluntas. Vnde iterum atque iterum rogo, pariter & contestor, vt omni die Dominico, & præcipuè in maioribus festiuitatibus, donec diuina mysteria compleantur, nullus de Ecclesia abscedat: nisi fortè (de quibus suprà diximus) quos aut grauis infirmitas, aut publica necessitas stare diutius non permittit. Verè dico fratres, satis durum & propè nimis impium est, vt Christiani nõ habeant reuerentiam diei dominico, quam Iudæi obseruare videntur in Sabbato. Cùm enim ipsi infœlices ita Sabbatum obseruent, vt in eo nihil terreni operis exercere præsumant, quantò magis illi qui non argento nec auro, sed precioso sanguine Christi redempti sunt, debent attendere precium suum, & Resurrectionis die Deo vacare, & de salute animę suæ attentius cogitare? Ad extremum si toto die dominico lectioni insistere, & Deo supplicare negligimus, non leuiter in Deũ peccamus: quantum mali est, si vel vnius vel duarum horarum spatio, cùm diuina mysteria celebrantur, in Ecclesia stãdi patientiã non habeamus? Sed quod peius est, ita nos amor sæculi huius inebriat, vt nos vmbra volaticæ falsitatis, ad vana & falsa gaudia, quę veros dolores pariũt, hoc est voluptas mundi atque cupiditas, iugiter trahat. Vnde iterum atque iterũ rogo, vt nullus ex vobis de Ecclesia discedat, nisi cùm diuina mysteria ad integrum fuerint celebrata. Et ita vos in Ecclesia continete, vt nullus ex vobis otiosis, aut terrenis se fabulis studeat occupare. Ego quod & mihi expedit dicere, & vobis audire, humiliter admoneo pariter & contestor. Qui contemnit præconem, sentiet iudicem. Ille autem qui me libenter audierit, & quod supplicaui, implere contenderit, credo de Dei misericordia, quòd illi & in hoc sæculo & in futuro repensabuntur præmia glorioſa. Ille verò qui contemnere voluerit, non se poterit ante tribunal Christi excusare, dicẽdo, se nec à malis prohibitum, nec ad ea quæ sunt sancta, & Deo placita, admonitione assidua prouocatũ. Sed credimus de Dei misericordia, quod non de contemptu incursuri estis iudicium, sed magis pro benigna obedientia peruenietis ad regnum. Præstet qui cum Patre & Spiritu

Missa vbi incipit.

Bona consequitur innumera qui frequenter missas audit.

ritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

ADMONITIO VT PRO CAPITALIBVS CRIMINIBVS SINE ALIQVA dissimulatione ad medicamentum pœnitentiæ recurratur, Homilia sexta.

Nec præsumendũ est de Dei misericordia, nec desperandum ob eius iustitiam.

Quoties euenerit, fratres charissimi, vt in quocunque graui peccato, aut etiam crimine aliquis (vt se habet humana fragilitas) cadat: nec quia Deus iustus est desperare: nec quia misericors est, debet nimia securitate confidere, sed sic timeat iustitiam, vt quęrat misericordiam, sic de misericordia confidat, vt tamen iustitiam contremiscat. Quia quanto nos Deus diutiũ expectat vt corrigamur, tanto grauius vindicat, si de conuersione tardius cogitemus. Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & citò vulnus ad sanitatem reducitur, quod putescere diuturna abusti one non sinitur. Sed dicit aliquis: Cùm ad senectam venero, tunc ad pœnitentię medicamenta confugiam. Quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cum vnum diem vitæ suæ in potestate non habeat? Quàm multi se credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina subtraxit, vt nec ad illam momentaneam possint pœnitentiam peruenire? Erubescimus modò paruo tempore pœnitentiam agere, & non timemus sine vllo termino æterna supplicia sustinere. O infœlix homo, de ipso vulnere non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis. Peccatum enim vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est. Tu qui pœnitentiã non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere. Et non agnoscis quia plus factum est, & maiorem horrorem generat vulnus deopertum, quàm si esset medicamentis appositis inuolutum. Et hoc considerate fratres, qui etiam si vobis capitalia crimina non subripiunt: ipsa minuta peccata quę (quod peius est) aut non attendimus, aut certè pro nihilo cõputamus. Si simul omnia congregentur, nescio quæ bonorum operum abundantia illis præponderare sufficiat. Cogitemus ex quo sapere cœpimus, quid pro iuramentis, quid pro periuriis quid, pmaledictis & detract onib. quid, p otiosis sermonib. quid pro odio, quid pro ira, quid pro inuidia quid pro cõcupiscẽtia mala, quid pro gula, quid pro somnolentia, quid pro sordidis cogitationibus, quid pro concupiscẽtia oculorum, quid pro voluptuosa delectatione aurium, quid pro exasperatione pauperum: quod aut tarde, aut difficile Christum in carcere visitauimus, quod peregrinos negligenter excepimus, quod secundum promissionem nostram in baptismo pedes lauare negleximus, quòd infirmos tardius quàm oportuit visitauimus, quod discordes ad concordiam non toto & integro animo reuocauimus, quòd Ecclesia iciunante prandere voluimus, quòd in ipsa Ecclesia stãtes dũ sanctæ lectiones legerẽtur, otiosis fabulis occupari fuimus: quod aut psallendo, aut orando aliquotiens, quę sunt luxuriosa locuti sumus. Hæc ergo, & his simillima, quæ vix vel numerari possunt: si co ex tempore quo sapere cœpimus, in vnum cumulum colligãtur, etiam si capitalia non addantur, quantis & qualibus bonorum operum copiis redimi poterunt, nisi præponderante diuina misericordia, per humilem & compunctam pœnitentiam, additis secundum vires nostras largioribus eleemosynis; Dei seueritas vel iustitia fuerit mitigata? Cùm ergo & ista quę dixi, sine quibus nullus hominũ potest esse: nos nimium premant, & fortè etiam capitalia nobis crimina & peccata subripiant; nescio qua conscientia periculosam nobis securitatem inducimus, & remedium pœnitentiæ quærere, mortifera dissimulatione neglexi-

Desperatio nascitur ex multitudine peccatorum.

Prou. 18.

mus. Et cùm in pelago mundi innumerabilibus fluctibus fatigemur, ad expectandum portum pœnitentiæ, post longa nos temporum spatia reseruamus. Non intelligentes quod de multitudine peccatorum desperatio nascitur, ex desperatione verò absque vlla reuerentia peccatorum frena laxantur, & impletur illud quod scriptum est: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnet. Sed dicit aliquis: Cùm ad senectam venero, & aliqua nimia in firmitate fuero desperatus, tunc pœnitentiam petam. Non quidem dicimus pœnitentiam prodesse non posse. Certum est quia prodest, si cum grandi eleemosyna illam vnusquisque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam, & quibuscunque fecit iniuriam veniam petat: & ita toto corde deliberet, vt si euaserit, quamdiu vixerit, totis viribus illam cum rigitu & gemitu & cum multis eleemosynis humiliter ac fideliter agat. Et tamen tu homo sapiens inter ista omnia cõsidera, si iustum est, vt per totam vitam tuam viriis & peccatis seruias, & ad acquirendam vitam iam semiuiuus assurgas. Nunquid tibi hoc fieri vis à seruo tuo, vt quandiu fortis ac iuuenis fuerit, inimicis tuis seruiat: & cùm ad senectam venerit, tũc ad tuum seruitium redire velit? Quod ergo non vis pati à seruo tuo, non est iustum vt facias Domino tuo. Cùm tamen multos nouerimus dum sani essent frequenter dixisse pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamẽ quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt. Percutitur enim etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. Nam qui remedium animæ suæ, quando potuit noluit quærere, postea etiam si velit, dubium est vtrũ mereatur accipere. Et ideo fratres charissimi, tempus iudicij & diem reddendæ rationis sapienter & vtiliter cogitemus, & crimina vel peccata maiora cũ gemitibus & suspiriis quamdiu viuimus, lugeamus, & illa minuta delicta, vel quæ antè fecimus, vel quę indesinenter admittimus, assiduis orationibus & largioribus eleemosynis redimamus. Et quomodo non desunt quotidiana peccatorum vulnera, sic nũquam desint eleemosynarum vel orationum remedia. Si enim nosmetipsos propria seueritate distringimus, sententiam futuri iudicis preuenimus. qui enim pro peccatis sibi ipse non parcit, Deus citò illi indulgentiam tribuit. Et qui seipsum modò à communione pro suo reatu suspendit, ab illo altari quod est in cœlo remoueri non poterit, secundum illud quod scriptum est: Dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris. Iniquitatem tuam si tu cognoscis, Deus ignoscit. Nemo ergo desperet, sed nemo malè spe-

Nec desperet. Malè desperandum.

ret. Malè desperat, qui credit quòd etiam si pœnitentiam agat pro peccatis suis, diuina misericordia non indulgeat. Malè autem sperat, qui se post multa tem-

Nec malè sperandũ est.

pora ad pœnitentiæ medicamenta reseruat. Quomodo enim malè desperantibus dicitur, Peccator quacunque die conuersus fuerit, omnes iniquitates illius obliuioni tradentur: sic malè sperantibus

Ezech. 18 Eccl. 5.

dicitur: Nolite tardare conuerti ad Dominum. Hæc ergo fratres charissimi, tam viri quàm fœminę, tam religiosi quàm laici, tam senes quàm iuuenes, tam pueri quàm puellę attentius cogitemus, & sine vlla dissimulatione securitatem mortiferam respuentes, quotidianis diebus peccatis nostris pœnitentiæ medicamenta apponere studeamus: timétes illud quod dictum est, Memento quoniam mors non tardat. Si enim hæc fideliter agimus, ante tribunal æterni iudicis, non damnationis sententiam susceпturi, sed æternis præmiis munerandi gaudio & exultatione fœliciter veniemus.

ADMONITIO DE EADEM RE,
HOMILIA VII.

ROgouos, fratres charissimi, vt si fortè aliquis ex vobis, vt se habet humana fragilitas, calliditate Diaboli fuerit superatus, & capitalibus criminibus inuolutus, secundum quod ait Apostolus: Si quis templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet: sed citò de malo iniquitatis suę consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat. Nõ enim qui peccauerit, sed qui in peccatis per seuerauerit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam vt de indulgentia Diuina nemo diffidat, dominus nos per Prophetam, velut piissimus pater consolatur, dicens: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Sed licet sit ista tam magna misericordia, tamen tunc nobis prodest, si non tardamus conuerti ad Dominum, nec crimina criminibus superadiamus. Denique etiam in ipsis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus & animarũ. Si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium reuocari. Si verò secundò & tertiò frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt. Et tamen post longas & multas curas si vixerit homo, ad pristinum statum membra ipsa vix valeat reuocare. Simi rati in animarum fracturis seu vulneribus credenda est. Si semel aliquis vel secundò peccauerit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamẽta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora recipiet. Si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo vel defendendo putrescere, quæ confitendo & pœnitentiam agendo curare noluit: timendũ est, ne in illo impleatur illud quod Apostolus dixit: An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesaurizas ibi iram in die iræ, & retributionem iusti iudicij Dei. Sed fortè cogitat aliquis, tam grauia se admisisse peccata, vt Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo quicunque ille es, peccatorum tuorum multitudinem attendis, & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? Cùm enim Deus velit misereri, quia bonus est, & possit quia omnipotens est, ipse contra se diuinę misericordiæ ianuam claudit, quia Dominum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, & eum aut bonum aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina, de Dei misericordia desperet.

1. Cor. 6.

Ezech. 18

Analogia de corporis & animæ vulneribus.

Rom. 2.

Sic tamen non desperet, vt sine vlla mora Dominũ sibi propitiare festinet, ne fortè si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit, iam se à Diaboli laqueis liberare non possit. Dauid enim qui rex & propheta diuino munere fieri meruit, post tantam gratiam ita præuẽtus est, vt nõ solũ adulterium committeret, sed etiam homicidium perpetraret. Nec tamẽ se ad hoc referuauit, vt in senectute sua ad pœnitentiæ medicamenta confugeret: sed statim cilicio prostratus & conspersus cinere cum ingenti rugitu & gemitu pœnitentiam agens, impleuit illud quod ipse in Psalmis dixerat: Lauabò per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo: Et iterum: Cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Et quia pœnitentiam agere mortifera securitate non distulit, citò in se Dei misericordiam prouocauit, vt non solum non admitteret, sed etiam gratiam spiritus sancti recipere mereretur. Achab quoque Rex sacrilegus, de quo Scriptura dicit, quod nõ fuerit alius talis qui venundatus sit, vt faceret malum contra Dominum, posteaquam deprauatus de vxore Iezabel, & abominabilis factus est, interfecto & lapidato Naboch Iezrahelite, cùm vineam eius vellet inuadere, castigatus à sancto Helia, scissis vestibus cilicio indutus est, & inclinato capite pœnitentiam egit, pro qua re statim sermo ei ad Heliam factus est dicens.

Psal. 6. & 101.

3. Reg. 21

Vidisti humiliatum Achab? quia (inquit) humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Considerate fratres, quia & ipse quamlibet esset sacrilegus, non seruauit, vt post longa tempora pœnitentiam ageret, sed statim sacrificium & contriti & humiliati cordis Deo offerre nõ distulit: quippe si postea in illa humilitate, quam cœperat, perdurasset, nunquam ab illo misericordia discessisset. Manasses quoque Rex, vt in scripturis legimus, tam sacrilegus & impius fuit, vt de illo scriptum sit, quod totam Hierusalem omni iniquitate repleuerit: & tamen post hæc in captiuitatẽ ductus, & in carcerem missus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiã Dei obtinuit, vt mereretur inter amicos Dei postmodum numerari. Meretrix quoque illa quę pedes Domini lachrymis lauit & capillis extersit, at vbi cœlestem medicum venisse cognouit, vltro se ingessit in domum vbi rogata non fuerat, & quæ prius frontosa fuerat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem. Et ideo audire meruit quod ei omnia peccata fuerint dimissa. Nec ipsa se ad hoc reseruauit, vt in fine vitę suę pœnitentiam ageret, sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deserere, vt illã de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas. Multos adhuc in diuinis scripturis poteramus inuenire, qui post infinita crimina pœnitentiam agentes, Dei in se misericordiam prouocarint. Et non solùm ad priorem, sed etiam ad meliorem statum redierint. Sed quia longũ est, me omnes recitare, isti quatuor quos nouimus, satis abundéque sufficiunt, vt agnoscamus quod Dominus noster qui & Dauid post tam graue peccatum indulsit, & Achab sacrilego Regi pepercit, & Manassæ indulsit, qui istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, & post innumerabilia peccata pœnitentiam agentes inter amicos suos reputauit. Et me retrici quæ lachrymis pedes lauerat & capillis exterserat totum indulsit. Qui istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est etiam nobis, si in veritate conuertimur, non solum peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare. Hæc ergo cogitãtes, fratres charissimi, quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus, ne nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata subripiant. Si verò in hoc malum, fuerit aliquis diabolica calliditate prostratus, priusquàm crimina ipsa per consuetudinem cõualescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat, & ingenti rugitu & gemitu Dominum sibi reconciliare contendat. Nec erubescat pœnitentiam agere: qui non erubuit pœnitenda cõmittere: sed citò in se bonis operibus contendat Dei imaginem reparare, vt inter filios mereatur agnosci à patre: ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & conuiuio nuptiali proiectus, ligatis manibus & pedibus proiiciatur in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dẽtium: sed magis medicamentis pœnitentiæ humilitatis vel compunctionis ad sanitatem pristinam reuocatus, & bonorum operum Margaritis ornatus, audire mereatur: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, Amen.

Luc. 7.

Matth. 21. Matth. 5: Matt. 23.

ADMONITIO VT PRO SALVTE ANIMÆ ASPERA PRÆDICATIO non solùm non respuatur, sed etiam ardenti desiderio requiratur, Homilia Octaua.

QVotiescunque fratres charissimi, tam pro vestra quàm pro mea salute, mihi necesse est aliqua dura vel aspera prędicare, considerantes periculum meum, debetis hoc æquanimiter ac patienter accipere: quia prædicatio aspera, ægrotis medicamenta prouidet, sanis ornamenta componit. Non enim est leue, quod per Prophetam Spiritus sanctus sacerdotibus Domini comminatur. Si (inquit) non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Et iterum: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo peccata eorum. Et illud quod negligenti sacerdoti nimium terribiliter de Euangelio dicitur: Serue male, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis, & ego veniens, cum vsuris exegissem illam? Et post hæc, Inutilẽ (inquit) seruum proiicite in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam sacerdos negligens sustinebit, qui verbum Dei assiduè prædicare noluerit. Et ideo fratres charissimi, quoties vobis aliqua pro salute animę vestrę humiliter suggero, absoluo apud Dominum conscientiã meã. Timeo enim & nimium expauesco Heli sacerdotis exemplum, qui pro eo quod audiens filios suos adulteria committere, dissimulauit eos aut cedere aut à communione suspendere, sed tantummodo leniter admonuit dicens: Filij non est bonum quod de vobis audio. Si homo in hominem peccauerit, rogabit pro eo sacerdos. Si autem ipse sacerdos deliquerit, quis orabit pro eo? Et tamen licet hoc dixerit, quia eos non cum grandi feritate distrinxerit, & ipse retro cadens de sella, fractis cerui cribus mortuus est: & nomen eius de libro vitę deletum est, & vna die triginta millia de populo interfecti sunt, & duo filij eius occisi sunt, & arca Testamenti ab inimicis capta est. Ecce quam graue malum factum est, per negligentiam sacerdotis, qui noluit timere illud quod supra dictum est: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Ista enim adeò terribilis sententia: mihi intolerabilem metum facit. Et ideo me vobis importunum existere & frequentius clamare compellit. Et quia negligens sacerdos quàm graui fuerit plaga percussus audistis. Phinees sacerdos qui sanctam veritatem tenuit, videte quid à Domino audire meruit. Cùm enim duos adulteros simul vno ictu percutiens occidisset, Domino dicente audire promeruit; Phinees sacerdos zelo meo commotus reuocauit iram meam, ne disperderem populum. Et ideo de ipso in Psalmo scriptum est: Stetit Phinees & exorauit, & cessauit quassatio, & reputatum est illi ad iustitiam, à generatione in generationem vsque in sempiternum. Sed quãdo peccatores pro suis criminibus castigantur, quod peius est, non toti humiliter & obedienter accipiunt, sed plures sunt qui impudentissima fronte respondere non erubescunt dicentes: Nunquid ego hoc solus feci? Nunquid non illi aut similia aut peiora fecerunt? Nunquid non talia clerici, & etiam maioris ordinis faciunt? Infœlix, solatium tibi est turba miserorum. Nunquid ideò vnusquisque peccator minus poterit torqueri, si cum ipso infinitę peccatorũ multitudines æterno supplicio cœperint cruciari? Quanto melius erat vnicuique, vt peccatorum suorum mala fugiens, humili confessione clamaret: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meã, quia peccaui tibi. Et illud: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Et magis exempla illorum, qui post multa peccata bene conuersi sunt, pro remedio animæ sequeretur, & nõ sibi illos proponeret imitandos, quibus post breue gaudium succedit sine fine supplicium. Solent etiam & hoc profana temeritate desperantes de Dei iustitia criminosi vel negligentes dicere, quod multi talia aut fortè peiora crimina committentes, nihil mali in hoc sæculo patiuntur, sed sani & diuites in prosperitate permaneant. Ô infœlix & nimium lugenda præsumptio. Ergo capitalia crimina committentes superbi & impij, ideo tibi videntur esse beati, quia nihil mali in hoc sæculo patiuntur. Audi de talibus Scripturam dicentem: In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia eorum: operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Ideo enim in hoc sæculo minimè flagellabuntur, quia pro nimietate scelerum suorum, æterno supplicio reseruãtur. Nam Dominus ac Deus noster, qui istos pro sua iusticia castigare dissimulat, filios suos diuersis tribulationibus exercere non cessat, secundum illud quod scriptum est: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et illud: Ego quos amo, arguo & castigo. Si omnem filium flagellat quem recipit, ergo quem non flagellat, non recipit. Et si omnem quem amat, castigat: ergo quem non amat, non castigat. Et hoc vt ita fiat, non Dei potentia operatur, sed illorum nequitia sustinere meretur, secundũ illud quod scriptum est. Vt sordid' sordescat adhuc, & iustus iustificetur adhuc. Hæc ergo diligentius & attentius cogiter, qui se in comparatione peiorum minus peccare putat, & dum adhuc anima ista peccatrix in isto fragili corpusculo continetur, remedia sibi æterna prouideat: ne fortè si cum delectat breui tempore purpura indutum & abysso, inter opes & delicias voluptati vel luxuriæ infœliciter deseruire,

Ezech. 13

Ezech. 13 Isa. 58.

Desperantium posita.

Psal. 1.

Heb. 12.

Apoc. 3.

cesse illi sit postmodum in inferni flammas sine vllo
Luc.16. iam remedio guttam refrigerij postulare. Sed quan- A
do hoc luxuriosi audiunt, vel vt frenetici amisso sa-
nitatis sensu, ittidere solent, & subsannare illos à qui
bus iis cum grandi dolore talia prædicantur. Rideat
quantum volunt, habent pro nobis Dominum res-
Luc.6. pondentem. Beati qui lugent, quoniam ipsi consola
buntur. Habent & ipsum Dominum dicentem: Væ
vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ
qui saturati estis, quia esurietis. Irrideant ergo nos
superbi: nos tamen pro eorum salute, licet minus di
gni, die noctuque cum rugitu & gemitu, Dei miseri-
cordiam supplicemus, confidentes de illius ineffabi-
li pietate, quod eos citò inter filios suos ita digna-
bitur castigare, vt per ipsam castigationem ab om-
nium peccatorum præcipitio reuocentur, & dignã
pœnitentiam agentes cum sanctis mereantur præ-
mia æterna percipere. Quod tamen tunc in veritate
fieri poterit, quando sine aliqua mora peccator ad
pœnitentiæ medicamenta confugerit. Vos ergo fra-
tres charissimi, agnoscentes quàm grauis sarcina cer
uicibus immineat sacerdotum, à quibus omnium
animæ requirendæ sunt, sicut iam suprà suggessimus,
Simili- videntes quæ mala negligẽs Heli sacerdos incurrerit
tud. & quã gloriã Phinees qui zelo Dei cõmotus est, Dño
remunerãte perceperit, secũdũ vestram cõsuetudinẽ
ea quæ vobis prædicantur, etiamsi aliquotiens amara
videantur & aspera, libenter excipite. Et vos enim C
bene noscitis, quod non semper medici dulces po-
tiones porrigunt ægrotantibus, sed frequenter amaras
& asperas. Nonnunquam etiam ferramentis aliqua membra secare & cauteriis exurere solent. Et to
tum, illi qui infirmi sunt, patienter excipiunt, dum
post breuem tribulationem longam sanitatem reci-
pere cupiunt. Et nos ergo, qui licet minus digni, ta-
men qualescunque medici spirituales esse videmur,
necesse nobis est non semper blanda & mollia, sed
aliquotiens aspera & dura illis qui anima ægrotare
videntur ingerere. Quomodo enim per amarissimã
potionem digeruntur humores mali, sic per aspe-
ram castigationem mores pessimi minuuntur. D
Nam illud quale est, fratres charissimi, quod medici
corporum, quando ad ægrotos venire dissimulant,
cum grandi humilitate rogantur, prẽmia & mune-
ra promittuntur: & tamen dubium est vtrum aliquid
illorum medicamenta proficiant. Nos verò qui de
medicamento spirituali in nullo penitus desperamus,
& nec terrenum præmium, nec aliqua temporalia
lucra requirimus: ideo fastidire debemus, quia nos
vltrò ingerimus, & nihil aliquid nisi patientiam &
correctionem inuenire desideramus. Carnalis e-
nim medicus vtrum releuare possit ægrotum, incer-
tum est. Spiritalis verò medicina, si libenter accipia-
tur, absque dubitatione, etiãsi mortua sit anima sus- E
citatur. Quare ergo tam graui expensa & cum mul-
tis doloribus requiritur sanitas corporum, & cùm
sine vlla expensa tribuatur, ab aliquibus non liben-
ter accipitur sanitas animarum? Quare fratres hoc,
nisi quia multi sunt qui maiorem curam habent in
carne sua, quàm in anima sua? Sed oportebat illos
erga animam, vbi imago Dei est, maiorem solicitu-
dinem superimpendere, quia quando caro, quę mo
dò tantum diligitur, à vermibus deuorari cœperit in
sepulchro, anima Deo præsentabitur in cœlo, & ibi
si bona fuerit, coronabitur: & si mala, in tenebras ex
teriores proiicietur. De quibus tenebris attentius

supplicemus, vt nos Dei misericordia liberare di-
gnetur. Amen. A

ADMONITIO AD ILLOS QVI ELEEMOSYNAS FREQVENTIVS faciunt, vt tamen & rapinas exerceant, & adulteria quotidiana committant, Homilia Nona.

ROgo vos fratres, diligentius considerate, quantum potestis, expauescite vel cauete, ne nobis ille crudelis humani generis inimicus ita subripiat, quomodo solet incau tos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris, vanã securitatem ingerit, vt cùm crimina quotidiana com mittunt, credant quod ea quotidianis eleemosynis redimant, putantes quod Deus corruptorum more iudicum, pecuniam accipiat, & peccata demittat. Accipit planè pecuniam & eleemosynis delectatur, ea tamen ratione, vt vnusquisque peccator quando offert Deo pecuniam suam, simul offerat & animam suam. Nam rogo vos fratres, quæ iustitia est, vt aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam Deo offerat, & animam suam Diabolo per luxuriam tradat. In pecunia, imaginem imperatoris offert Deo, & in seipso imaginem Dei tradit Diabolo. Non ita Dominus præcipit in Euangelio. Cùm enim dicit: Matt. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, quid aliud dicere videtur, nisi vt quomodo in solido imaginẽ cęsaris Cęsari, sic in vobis ipsis reddite imaginem Deo Dei? Nam quamlibet largas eleemo synas aliquis tribuet, si capitalia crimina non declinat, timeo valde, timeo ne forte falsa securitate se decipiat, & pecuniam perdat & peccatum non redimat. Nemo ergo putet, quod quotidiana adulteria, eleemosynæ quotidianæ consumant. Aliud est enim mutare vitam, aliud colorare vitam. Mutare vitam, est à capitalibus criminibus abstinere. Vitam colorare est, minuta peccata, sine quibus esse non possumus, eleemosyna quotidiana redimere. Tunc enim (sicut iam suprà dixi) largior eleemosyna animam liberat, si criminosus mortifera peccata iam deserat. Si verò, sicut iam suprà dictum est, substantiam suã tribuat Deo, & animam suam offerat inimico, imple tur in eo quod scriptum est: Qui baptizatur à mor- Eccl. 34. tuo, & iterum contingit mortuum, quid proficit la uatio eius? Et illud quod Petrus Apostolus clamat dicens: Si enim effugientes coinquinationes mundi, 2. Pet. 2. his rursum impleti superantur, facta sunt eorum po steriora deteriora prio ibus, cõsiderate fratres, quia beatus Petrus Apostolus hoc peccatoribus contestatur, quod si postea quam redimere peccata cœperint, iterum ad criminum volutabra redierint, effi- E ciuntur eorum posteriora peiora prioribus. Et contingit eis illud quod idem Apostolus Petrus adiungit & dicit: Canis reuersus ad vomitum suum & sus lota in volutabro luti. quam rem terribilius & apertius etiam Salomon admonet dicens: Sicut canis odibilis est quando reuertitur ad vomitum suum, sic peccator quando reuertitur ad peccatum suum. Quod ipse Dominus in Euangelio confirmat: Ecce (inquit) sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi de terius contingat. Quod denuò Salomon contestatur & clamat: Fili peccasti, non adiicias iterum, sed Io. 5. & de pristinis deprecare vt tibi remittantur. Quam Eccl. 21. rem non de minutis peccatis sine quibus esse non possu-

Anima, in primis Deo offerenda.

possumus, sed de capitalibus criminibus dixisse ma-
nifestum est. Inde etiam in Euangelio scriptum est: A
Luc.11. Cùm exierit immundus spiritus ab homine, vadit
Matth.9. per loca arida, & quærit requiem, & non inuenit.
Posthæc reuertitur & inuenit domum suam vnde
exierat, mundatam, & ducit secum septem spiritus
nequiores se, & erunt nouissima hominis illius peio
ra prioribus. Hoc enim illis contingit, qui per elee-
mosynam crimina capitalia redimere conãtur. Quo
modo enim eleemosyna mundat, sic luxuria sordi-
dat. Nam si aliquis frequenter stolam suam abluat &
iterum atque iterum in lutum dimergat, nescio qua
fronte illam indũere in aliqua festiuitate possit. Apta
uit sibi Ecclesiam non habentem maculam & rugã.
Si cum macula & ruga intrare in vitam æternam ne B
mo poterit, qua conscientia capitalibus criminibus
oppressus aliquis intraturum se esse in eam confidit,
nisi se emendando & eleemosynas dando munda-
uerit? Et hoc quod suggero, fratres charissimi diligẽter attendite, ne forte aliquis malè intelligens cre
Eph.5. dat me dicere, quod eleemosyna nõ possit prodesse
peccatis. Absit à nobis hoc fratres, non solum pro-
desse credimus, sed & multum prodesse fatemur: ea
tamen conditione, vt qui eleemosynas pro peccatis
suis erogat, crimina capitalia exercere iam desinat,
& sic eleemosynam faciat, iubente Domino, vt de-
Eleemosy nę quate nus pro sunt. dignetur seruire peccato. De qua re aliquam simili-
tudinem charitati vestræ insinuare volo. Rogo vos C
fratres, nunquid aliquis nostrum vult vt seruus suus
sic illi pro opere suo mercedem reddat, vt tamen ini
micis suis iugiter seruiat, & nunquam de illorum so
cietate discedat. Certum est, quòd hoc nescio, si vl-
lus homo sustinere prævaleat. Quod ergo non vis
pati à seruo tuo, non est iustum vt facias Domino
Mat. 6. tuo? Et ideo sicut sæpe iam diximus, quando paupe-
Sacerdos cauit, Stur fũ corda. ribus erogamus pecuniam, Deo offeramus animam
nostram, vbi est & cor nostrum. Propterea Deus nos
hortatur, vt per eleemosynam pauperum thesaurize
1. cor. 7. mus in cœlo, vt ibi sequatur cor nostrum, quo præ-
mittimus thesaurum nostrum. Et sacerdote dicente:
Sursum corda: cum secura conscientia respondea- D
mus: nos habere ad Dominum. Sed dicit aliquis, iu-
uenis sum, & ideo voluptatem vincere & libidinem
superare non possum. Si te non potes continere, au-
di Apostolum dicentem: Melius est nubere quàm v-
ri. Cum enim vxorem ducere liceat, & concubinas
habere vel adulterium perpetrare non liceat: quare
vis exercere quod non licet, & non vis habere quod
licet? Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui
respuit quod licebat. Verè dico fratres, quia hoc se-
cundum Dominum non licuit aliquando, nec licet,
nec vnquam licebit. Sed quasi peius est, ita peccata
ista in consuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui il
la faciunt, vt iam quasi ex licito fieri credantur. Si e- E
nim nullus vir est, qui sponsam suam vellet ante nu
ptias adulterinum habere concubitum, sed omnes
homines virgines vxores accipere volunt: qua fron
te, qua conscientia ante nuptias concubinas habere
non erubescunt: Qua fronte vxorem integram vult
inuenire, cum ipse sit corruptus.
Si enim secundum Scripturam diuinam, anima quæ
peccauerit ipsa morietur quomodo aliquis viuam
coniugem vult accipere, cùm ipse sit mortuus? Sed
Ezech.18 sicut iam dixi, mala & pessima ista consuetudo, ita à
pluribꝰ sine aliquo Dei timore committitur, vt hoc
nec peccatum esse credatur. Sed forsitan aliquis pu-

tat licere hoc viris, & fœminis non licere: vt enim vi A
ris liceat, sicut iam dixi, peccantium obtinuit multi-
tudo. Nam in populo Christiano, quicquid fœminis
non licet, necviris vnquã licuit aut licebit. Vnde qui
cunque hoc se fecisse cognoscunt, rogo vt non mi-
hi, sed sibi potius irascantur: & magis de sua correc-
tione, quam de nostra oblocutione vel persecutio-
ne studeant cogitare. Et cùm dies Iudicij venerit, &
si coronam non merentur accipere, vel peccatorum
indulgentiam consequantur, Amen.

ADMONITIO EXCEPTA DE LIBRIS SANCTORVM ANTIQVORVM *Patrum; vt qui se crimina, capitalia fecisse cognoscat, ad pœnitentiæ medicamenta, sine aliqua dissimulatione confugiat, Homilia Decima.*

NOndevos frequenter admonui fratres charissimi, iterum atque iterum admoneo & conte-
stor, vt qui se cognoscit de littore continentię tempestate libidinis in pela-
go luxuriæ fuisse iactatũ, & castitatis incurrisse nau-
fragium, peccatorum confessionem, velut tabulam
fractæ nauis, velociter apprehendat, vt per ipsam de
abyssо, ac profũdo luxuriæ possit euadere, & ad por
tum pœnitentiæ peruenire, vbi iam tutiori loco spei
anchoram figere, & salutem perditam valeat repa-
rare. Oportet enim vnicuique super seipsum, quasi
super mortuum conclamare, & magnos super extin-
ctam animam dare planctus: & quomodo solet ma-
ter super mortuum vnicum filium lamentari, sic o-
portet super vnicam animam nostram criminis gla-
dio interfectam, totum pondus doloris effundi, si
forte possit lachrymarum fomentis calore fidei sus-
citari. Ante omnia, sicut frequenter admonui, caueat
& obseruet vnusquisque peccator, ne pro suis crimi
nibus eleemosynam tribuat, vt ipsa crimina non re- 1. Cor. 13.
linquat, timens illud quod Apostolus dixit: Si distri-
buero in cibos pauperum omneis facultates meas, D
charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.
Sed dicit aliquis: Quomodo in aliis charitatẽ custo-
dit qui seipsũ interficit, qui animę suæ crudelis existit?
Cui ego respondeo: Quomodo charitatem non ha
bere iudicabitur, qui pauperibus tanta largitur? Nõ
enim mentitur Spiritus sanctus qui dicit: Anima quę
peccauerit, ipsa morietur, Si enim quoties aut adulte
ria, aut homicidia committimus, animas nostras oc-
cidimus, quid nobis prodest, quod in aliis benigni
sumus, & in nobis ipsi impij esse cognoscimur? Elee
mosynas dando alienam carnem pascimus, & crimi-
na committendo nostram animam iugulamus. Et
ideo sicut frequenter admonui, sic pro maioribus
peccatis eleemosynas demus, vt nunquam ad ipsa E
crimina redeamus. Non sanitati credendum est, non
ætati. In remedia salutis suæ semper tardus est, qui
vitę suę incertus est. O si tempus pœnitentiæ sic dis-
poneretur, quando est in potestate positum, quomo
do desideratur amissum. Nos ergo quibus adhuc &
si sub incerta breuitate conceditur curare maculas,
lauare culpas, subuenire præteritis, consulere futu-
ris, & facere infecta de factis, toris viribus labore-
mus, vt quod viuimus, ad vitam possit apponi: vt
qui viuimus, non morti proficiat, sed saluti. Sint ta-
men efficaces gemitus qui peccata in ossibus scrutan
tur, qui in medullis persequantur. Nihil intactum

fletus, nihil incuratum medicabilis pœnitentiæ dolor relinquat, quod contra nos in die discussionis assurgat, qui post vetera sæcula repentè nouum in reatum malæ conscientiæ mentis appareat. Festinemus emendatam vitam Domino antequàm auferatur, afferre. Hic extinguamus mortem moriendo peccatis. Hic vitam, vitæ meritis acquiramus, nec nos in tempore senectutis ad pœnitentiæ remedia reseruemus. Qui enim dixit peccatori: In quacunque die conuersus ingemuerit, omnes iniquitates illius obliuioni tradentur: Ipse etiam dixit, Nolite tardare conuerti ad Dominum. Si te faciebat promissio illa securum, faciat te contestatio ista solicitum: & audi Scripturam dicentem, Memento filj quia mors non tardat. Et illud: Ne dixeris quia miseratio Dei magna est, multitudini peccatorum meorum ignoscit. Misericordia & ira apud ipsum sunt: & in peccatores, id est in peccatis perseuerantes, respicit ira eius. *Eccl. 14.* Si enim hęc fideliter & diligenter attendimus, & ad pœnitentiæ medicamenta sine aliqua dilatione confugimus, & pœnam perpetuam euadere, & ad præmia æterna possumus fœliciter peruenire, ipso adiuuante, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SANCTI CÆSARII EXHORTATORIA AD FRATRES. HOMILIA *Vndecima.*

DOminis sanctis, & in Christo desiderantibus fratribus in Monasterio constitutis Cæsarius, Episcopus, Sanctus, ac venerabilis pater vester, religiosa quidē humilitate, sed propè indiscreta suggestione postulat, vt ad sanctam charitatem vestram exhortatorium debeam proferre sermonem, & dum vobis quod iam propè non indigetis, desiderat prouidere, nobis verecundiam videatur ingerere. Quid enim dicturi sumus verbo, quod vos iam glorioso non impleatis exemplo? Nunquid debemus vobis dicere: Nolite mundum diligere: quos eundem cognoscimus cum omnibus desideriis suis, tota fidei deuotione contemnere? Dicturi vobis sumus, despicere sæculi ornamenta, quæ iam Deo propicio velut purgamenta ac stercora respuistis. Nunquid dicere possumus, vt de substantia vestra eleemosynas tribuatis, qui non solum facultates sed etiam vos ipsos Domino fideliter obtulistis? Nūquid admonendi estis gulę vel ebrietati minimè deseruire, cùm vos videamus ieiuniis & vigiliis indesinenter insistere? Nuncquid prædicare possumus, vt lites & scandala debeatis fugere, quos videmus de periculoso & nimiis fluctibus inquietóque sæculi huius pelago, ad portum monasterij fideliter ac fœliciter conuolasse? Et licet de his omnibus, quę in vobis Deus contulit, gaudeamus, & quia illa Deo propitiante fideliter exercetis, admonere vos minimè præsumimus: est tamen quod non in filios rapiamꝰ. vnusquisque quod possumus de bono intestati parentis, hic de hæreditate eius assumat fidei holosericam, gestorumque varietatem preciosam. Hic mansuetudinis ac simplicitatis occupet talentum, ille decus pectoris, beneuolentiæ ac sapientiæ monile sibi vendicet. Hic Margaritam compunctionis: & thesaurum castitatis inuadat. Licet enim ille locupletissimus Dei amicus quicquid habuit integrum, secum tulerit, & nobis tamen, si volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus bona illius sectantes, vt qui in æterna gloria suscitandus, sub fine sęculorum reditur. *Matt. 10. & 24.* Nunc Ecclesiæ per se de vestro in filiis meritò iam resurgat. Est quod non incongruè debeamus vestræ charitati suggerere: vt quod Deo inspirante fideliter cœpistis, ipso adiuuante vsque ad finem gloriosum viriliter compleatis. Non enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et qui spiritalem fabricam ædificare, Christo adiuuante, cœpistis, fundamentum verę religionis supra petram humiliatis collocare debetis. Quælibet enim fabrica quamuis sublimis & ampla sit, si firmum nō habuerit fundamentum, citò delabitur in ruinam. *Humilitatis commendatio.* Sic est fratres dilectissimi & constructio spiritalis. Quælibet bona quis habeat, si verę humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter stare non poterit. *1. Cor. 3.* Fundamentum enim aliud nemo potest ponere (sicut dixit Apostolus) præter id quod positum est, quod est Christus Dominus. Duo enim ædificia & duæ ciuitates à mundi initio construuntur: vnam ędificat Christus, alteram Diabolus: vnam ędificat humilis, aliam superbus: vna humiliatur vt firmiter surgat, alia erigitur vt infeliciter cadat. In fabrica Christi qui ędificantur de imis, leuantur ad summa, In fabrica verò Diaboli, de summis ad ima præcipitantur.

Attendat vnusquisque fratres dilectissimi conscientiam suam, & si in se viderit dominari superbiā, in ciuitate Diaboli se infœliciter ædificare, immò & præcipitari non dubitet. Si verò in illo vera humilitas regnat, Christo se coædificare, & fœliciter adhærere congaudeat. Non enim discernuntur filij Dei & filij Diaboli, nisi humilitate atque superbia. Quēcunque superbum videris, Diaboli filium esse non dubitès. Quemcunque humilem conspexeris, Dei esse filium confidenter credere debes. Vt in hoc verum esse cognoscas. Audi Scripturam dicentem: Initium apostatare à Deo, omnis superbia. Et omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. *Eccl. 10* Nam quod Diabolus per superbiā deiicit, Christus per humiliatem erexit: quia ad vulnus superbiæ medicamentum humiliatis exhibuit. Si ergo volumus venenum superbię fugere, antidotum humilitatis iugiter debemus haurire, audiamus Dominum dicentem: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Non enim dixit: Discite à me mundum fabricare, mortuos suscitate, & virtutes reliquas facere, sed quia (inquit) mitis sum & humilis corde. *Matt. 11* Humilitatem ergo fratres dilectissimi, ante omnia teneamus: non illam quæ aliquoties foris tantum ostenditur, sed illam quę in conscientia retinetur. Sunt enim qui quando aliqua tranquillitas fuerit, humilitatē & in ore & in corde solēt ostēdere, & si aliqua, vt assolet, tribulationis vel scandali procella surrexerit, effrenato ore & erecta ceruice, superbia (quæ in corde tegebatur) ex ore profertur. Quare hoc factum est fratres, quia fundamentum verę humilitatis non habuit, quia humilitatem quam prius promittebat in corde, postmodum non adimpleuit opere. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Sine causa quæris attingere, quod cùm potuisti, noluisti recondere. Pectora nostra dilectissimi fratres, sic sunt, quomodo vasa quæ vacua esse nullatenus possunt. Nam aut de bono, aut de malo quisque plenus esse cognoscitur. *Matt. 21. Luc. 6.* Et quomodo vas aliquod cùm ventilatur, tunc quale sit quod est intus, ostenditur: sic & vnusquisque

quisque homo cùm aut per castigationem, aut per aliquam districtionem, vt solet fieri, fuerit ventilatus, statim ostendit vnde sit plenus, quia (sicut dixi) ex abundantia cordis os loquitur. Nam humilitas quam prius promittebat, in ore tantum erat, in conscientia non erat. Cùm autem propter iustitiam castigatus fuerit, tyrannico furore amarissima verba respondit. Superbia illa non tunc nascitur sed tūc in veritate monstratur: quia non illum disciplina vel castigatio sancta superbum fecit, sed qualis diu esset ostendit. Sicut econtrario anima humilis & sancta, etiam si aliquoties (vt fieri solet) aliquas iniustas, aut iustas increpationes audiat, amplius se Christo inspirante humiliat, & minus se audire, quàm meretur, Spiritu sancto proclamante subclamat. Sic & ille qui superbiam regit in corde, cùm ventilatus fuerit, fœtorem teterrimum emittit: & ille qui est humilis & mitis, odorem suauissimum reddit. Humiles ergo simus fratres dilectissimi, non solùm senioribus, sed etiam coæqualibus & iunioribus nostris, ne Deus superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflati per viam angustam transire non possint.

Quicquid vobis à senioribus fuerit imperatum, sic accipite tanquam de cœlo sit ore Dei prolatum. Nihil reprehēdas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas, quia in Monasterio seruire venisti, non imperare, obedire, potius quàm iubere: totū sanctum, totum iustum, totum vtile iudica quicquid aut tibi, aut aliis videris imperari. Et non solùm tuā linguam studeas à murmuratione mortifera prohibere, sed etiam murmurantem alium non libenter audire, sed magis, quantum potes, contende tuo sancto, & salubri consilio furorem illius mitigare. Sunt enim quod peius est, adiutores diaboli, qui statim vbi viderint aliquos nimia iracundia cōmoueri, venenoso consilio, vnde amplius irascantur, conantur ingerere. Isti de parte sinistra sunt, & in illa ruinosa ciuitate diaboli construuntur. Sunt verò & alij Christo propiciante, de quibus Apostolus ait, Christi sumus adiutores. Sunt ergo adiutores Dei, qui statim vbi viderint in corde cuiusque fratris venenum superbiæ serpere, omni celeritate illud medicamento verę humilitatis conantur extinguere. Et sicut illi alij incentores malorum pro sua perditione multiplicem pœnam merentur, ita isti humiles & benigni duplicem gloriam consequuntur. Illi enim per mala cǫnsilia sua non solùm in suis, sed etiam in aliorum cordibus Christum occidere conantur, sancti verò, & humiles in se, & in aliis Diabolum persequuntur. Et ideo fratres sicut iam suprà suggessi, de reuera & non falsa humilitate debemus præsumere, & omnibus nos velut medicamentum & lumen splendidum debemus ostendere, vt impleatur in nobis illud quod Dominus dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.

Nam si charitas & humilitas vera non fuerit, de solo habitu religionis præsumere vel confidere non debemus, ne simus velut Sepulchra dealbata. Nemo se circumueniat fratres, quia nemo sibi soli viuit, & nemo sibi soli moritur.

Luc. 6. Quantis enim exemplum verę humilitatis & perfectę charitatis ostenderis, cùm tantis & pro tantis æterna præmia possidebis. Si verò (quod absit) superbiæ, iracundiæ, murmurationis vel inobedientiæ formam ad imitandum te aliis dederis, non solùm pro te, sed etiam pro illis quos destruxeris, gehennæ supplicium sustinebis sed dicis fortasse, nimis dura sunt & inepta quæ nobis à nostris senioribus imperantur.

Non legisti: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras? Non legisti, quia arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam? Non audisti Apostolum dicentem, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum? Et non audisti Prophetam dicentem. Virga & flagello castigaberis *Act. 14.* filia Sion, vt non discedat zelus meus à te. Et illud: *Apoc. 3.* Quos amo, arguo & castigo. Et alibi: Flagellat Deus *Heb. 12.* omnem filium quem recipit. Et si ea quæ vel præcipiuntur, dura sunt, nunquid murmurando illa facere poteris meliora? Cum humilitate præbe obedientiam. Si verò non præuales, impossibilitati tuæ cum humilitate postula veniam. Dura tibi videntur præcepta senioris: quantum tibi duriora erunt consilia deceptoris? Aspera tibi videntur, quæ tibi à senioribus imperantur: quantum duriora sunt, quę auaritia imperat cultoribus suis: quam laboriosa & quàm periculosa itinera illos sustinere compellit. Et cùm illud totum patienter excipiant, propter pecuniam temporalem, tu quare non æquanimiter pertuleris propter vitam ęternam? Non legisti: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis? Et illud: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit, oleum autem peccatoris, id est, adulatio assentatoris, non impinguet caput meum: Senior enim castigat, vt corrigat: Diabolus autem blanditur, vt perdat. Consilium autem Diaboli (sicut Propheta dicit) ad tempus impinguat fauces, postea felle amarior inuenitur. Ipse enim breuissimo tempore per viam latam, & spatiosam superbientes vel luxuriantes, ducit ad mortem: sicut è contrario Christus Dominus noster per arctam, & angustam viam humiles & obedientes perducit ad vitam. Ambæ istæ viæ, & latum & angustum finem habent, & breuissimæ sunt. Nec in angusta via diu laboratur, nec in illa diu quis gaudet: ac si quibus lata via & luxuriosa delectat, post breue gaudium habebunt sine fine supplicium. Et è contra, illi qui Christum per viam arctam sequuntur, post breues angustias ad æterna merebuntur præmia peruenire. Nam si laicus homo, & in sæculo constitutus superbiam habeat, peccatū est: Monachus verò si habuerit, sacrilegium est. Taliter vos exhibere debetis fratres, tam sanctè & tam iustè, tam piè, vt merita vestra non solùm vobis sufficere, sed etiam peccanti- *Iacob. 1.* bus aliis in hoc sęculo possint veniam impetrare. *Merita sibi & aliis prosunt.* Nam si linguam nō refrenamus, non est vera, sed falsa religio nostra. Et melius fuerat non vouere, quam post votum promissa non reddere. Et hæc fratres non ideo suggero, quod vos tales esse cognouerim, sed timentis magis animo quam reprehendentis loqui sumo, *Eccl. 5.* propter quod Apostolus dicit: Cum metu & tremore vestram salutem operamini. *Phili. 2.* Non ideo dixi, quia illud facitis: nos enim talem fiduciam de vobis habemus, vt magis nos credamus vestris orationibus adiuuari, vt inter procellas vel tempestates sæculi huius possimus ad portum venire fœlicitatis, supplicantibus vobis.

Adiuuante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum: Amen.

ITEM HOMILIA EIVSDEM CÆsarii, de eo quod scriptum est in Euangelio: Regnum Dei intra vos est, & inter animam & carnem iusto iudicio iudicetur, & vt nunquam contra Dominum murmurantes, pacem cum ipso habere possimus, & qualiter iustitiam & pacem vel gaudium habere possimus, Homilia XII.

AVdiuimus cùm Euangelium legeretur, dicente Domino: Regnum Dei intra vos est. Et quia sciebat quod non omnes poterant intelligere quod dicebat, cùm dixisset. Regnum Dei intra vos est: [*Luc. 17.*] quasi ab aliquo interrogaretur, subdidit & addidit dicens: Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium. [*Rom. 14.*] Rogo vos fratres charissimi, consideremus conscientias nostras: videamus, si regnum Dei intra arcellas animæ nostræ repositum habemus. Si est ibi iustitia, si pax, si gaudium, securi sumus quia regnum Dei intra nos esse cognoscimus. Sed quæ est ista iustitia, quæ pax, quod gaudium, diligenter attendite. Iustitia ergo vera & perfecta, ipsa est quæ non facit aliis quod sibi non vult. Sed dicit aliquis: Quis potest omnibus hominibus benefacere? [*Iustitia perfecta.*] Potest tamen omnibus hominib⁹ bene velle. Quod cùm feceris dicit tibi Euangelista: [*Luc. 2.*] Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Potest dicere aliquis, Facultatem non habeo: nunquid potest dicere, Bonam voluntatem habere non possum. Ipsa est ergo vera iustitia, quæ omnibus hominib⁹ quod sibi velit optat: hoc quod sibi vult, illis venire desiderat. Ipsa est vera iustitia quæ pro amore Dei non solùm amicos sed etiam ipsos diligit amicos. Sed istam veram iustitiam fratres tunc aliis bene impendimus, si & nos habere desideramus. Nã quomodo quisquam aliis largitur, quod in ipso habere non cognoscitur? Sed fortè aliquis interrogat, quomodo in nobis iustitiam seruare debemus? Attendite fratres, iustitia videtur mihi quod inde nomen accepit, [*Duo sibi aduersantia sunt in nobis.*] quia intra duas partes, aduersas & contrarias sibi iustè iudicare consueuit. Eia fratres, agnoscamus & in nobis duo quædam esse contraria. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, [*Gal. 5.*] spiritus aduersus carnem. Habemus ergo & interiorem hominem, & exteriorem. Habemus carnem & animam: hoc est, habemus dominam & ancillam: Si ergo vis vt tibi credam, quod possis iustè causam alterius iudicare, in te ipso volo primum agnoscere. Esto iustus iudex in te ipso: tribue animæ quod dignum est: reserua carni quod opus est. Tribue dominę, quod illi sufficiat in æternum, & hoc tantum reserua ancillæ, vnde viuere possit in mundo. Nam si domina humiliatur, & ancilla erigitur, si dominæ aut parum aut nihil reponitur in cœlo, & totum ancillæ reseruatur in mundo: ecce iam in nobismetipsis iusti non esse cognoscimur. Et quomodo causa alterius directo ordine à nobis auditur, quando in nobis & in nostra causa nihil iustitiæ reseruatur? Hoc solùm scio fratres, quod nunquam alterius causam iustè iudicare poterit, qui inter animã & carnem suam iustitiam tenere noluerit. [*Imago Dei in anima.*] In anima enim & in mente ad imaginem Dei facti sumus, secundum carnem verò de limo terrę formati sumus. Qui ergo plus amat carnem quàm animam suam, imaginem Dei vult deponere deorsum, & terram erigere sursum: & qui in se ipso tam iniustus est, si causam alterius audierit, sine dubio iustitiam non tenebit. Et ideo qui iustitiam tenere desiderat, à se ipso incipiat, & in se prius iustitiam teneat, & inter carnem & animam suam iustus iudex esse consuescat. Carni victum & vestimentum simplicem & mediocrem, seruet in mundo: & quod est melius, animam per eleemosynas ponat in cœlo. Nam si aliter fecerit, & se non emendauerit, si in hoc perseuerare voluerit, quomodo iudicat in hoc sæculo, sic iudicandus est in futuro. Et hoc quidem de vestra iustitia breuiter dictum sit. Pax enim quæ sit vera, debetis agnoscere. Non est enim illa vera pax, quam sibi inuicem videntur præstare raptores & ebriosi, male dici & superbi. [*Pax vera.*] Ista nec pax dicenda est, quia non de radice charitatis consurgit. Qui ergo pacem veram desiderat, primùm cum Deo pacem habere contendat. Sed dicat aliquis. Quis est qui pacem cum Deo habere non velit? Ille vtique qui non sic viuit, quomodo Deus præcepit esse viuendum: Quis est qui pacem cum Deo non habet? cui displicet Deus. Sed dicit aliquis: Et quis ita insanus est, vt illi displiceat Deus? Si te ipsum discutio, fortè te ipsum inuenio cui displicet Deus. Dic mihi rogo te, nunquam murmurasti contra abundantiam pluuiarum? nunquam ariditatem questus es siccitatum? nunquam murmurasti contra fœlicitatem malorum hominum? nunquam iratus es contra violentiam ventorum? Et vt quod est amplius dicam, nunquam blasphemasti quãdo vinearũ fructus ampli⁹ nõ collegisti? Et si in istis omnibus rebus te contra Dominũ agnoscis, & intelligis non murmurasse, scito te pacem veram cum Deo habere in omnibus quæ tibi acciderint: Clama quod ille beatissimus Iob cum conscientia secura clamabat: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Nam si quando tibi bene est, laudas Dominum: & quando tibi male est, murmuras contra Dominum: [*Io. 1.*] non habes pacem cum Deo, nec potes dicere cum Psalmista: Benedicam Dominum in omni tempore, quem non fœlicitas corrumpit, nec aduersitas terret: prima ergo & vera pax est, vt cum Deo pacifici simus. Cùm hoc factum fuerit, [*Psal. 33.*] etiam in nobis ipsis pacem habere poterimus. Nam qui cum Deo pacem habere noluerit, in se ipso pacem habere non poterit. Sit ergo pacifica cum Deo anima nostra, vt animæ nostræ sit subdita caro nostra, Nam si te non regit superior, cruciat te & affligit inferior, inclinet sub iugo Dei ceruicem suam anima tua, vt & sub iugo animæ tuæ collum suum subiiciat caro tua. Tunc erit pax vera atque perfecta, quando non solùm cum aliis, sed etiam nobiscum pacifici sumus. Sed quia adhuc in pręlio sumus, & contra Diabolum pugnamus, nec de victoria desperemus, si cum Deo pacifici sumus. Et si Deo coniuncti sumus, quomodo potest fieri vt Diabolum timeamus? Talem imperatorem tecum habes, & diabolum times? Sub tali rege militas, & de victoria dubitas? Aduersatur quidẽ quotidie diabolus, sed præstò est Christus: ille vult premere, ille leuare: ille vult occidere, ille viuificare. Sed securi estote fratres, plus valet ad erigendum Christus, quàm ad deprimendum Diabolus. Si ergo sicut suprà diximus, iustitiam & pacem toto corde seruemus, tunc etiam verum gaudium habere poterimus.

quod

Quod est verum gaudium fratres, nisi regnum cœlorum? Quod regnum cœlorum, nisi Christus Dominus noster? Sic enim Angeli suo Testimonio firmauerunt: cum enim dixissent: Euangelizamus vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: statim subiecerũt: Quia natus est nobis hodie Saluator, [*Luc. 2.*] qui est Christus Dominus. Scio fratres, quod verùm gaudiũ omnes homines habere volũt, sed ipse se circumuenit, qui vult agrum colere, & vult de fructu gaudere: ipse se decipit, qui non vult arborem plantare, & vult poma colligere. [*Verum gaudium.*] Verum gaudium non possidetur, nisi pax, & iustitia teneatur. Prima est enim & quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudiũ. de iustitia nascitur pax, de pace gaudiũ generatur. Iustitia & pax quasi bona opera esse videntur, gaudiũ verò fructus esse bonorum operum intelligitur. Nunc ergo faciendo iustitiam, & pacem tenendo, quasi in bono opere paruo tempore laboramus, sed postea de fructu bonorum operum sine fine gaudebimus. [*Eph. 2.*] Audi Apostolum de Christo dicentem. Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Gaudiũ verò ipse sit Christus, iam antea diximus. Et Dominus Iesus Christus in Euangelio cum suis discipulis loqueretur, ita eos exhortatus est, dicẽs: Iterum (inquit) videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo [*Io. 16.*] tollet à vobis. Quid est, gaudium vestrum nemo tollet à vobis, nisi meipsum Dominum vestrum nemo tollet à vobis? Atẽdite cõsciẽtias vestras fatres charissimi, si est in vobis iustitia: id est, si omnibus hominibus hoc vultis & desideratis, & optatis quod vobis ipsis, si est in vobis pax quę nõ solum ad amicos sed etiam vsq; ad ipsos perueniat inimicos, scitote quia regnum cœlorum (hoc est Christus Dominus) manet in vobis: qui verò ad conscientiam suam recurrens non ibi inuenerit iustitiam sed auaritiam, non pacem sed discordiam, non gaudium de spe vitæ ęternæ, sed carnalem lætitiam amore luxuriæ: agnoscat & intelligat quia nõ in illo regnet rex legis Christus, sed crudelis tyrannus. Modò fratres donec adhuc viuimus in hoc corpore, possumus nos cum Dei adiutorio emendare atque corrigere. Si verò nos multis criminibus inuolutos vltimus dies inuenerit, corrigendi tempus non erit. Erit enim tunc sicut omnib. sãctis æternũ gaudium, ita peccatoribus sine fine supplicium: sed illis hoc erit qui se per pœnitentiam emendare noluerunt. Tunc dicturus est Christus ad sinistram positis, Discedite à me maledicti in [*Matt. 25.*] ignem æternum. Ad dexterã verò positis: Venite benedicti, percipit regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad quàm beatitudinem vos Dominus sub sua protectione perducat, cui est honor & gloria & imperium cum patre & sancto spiritu in sęcula sęculorum, Amen.

ITEM EIVSDEM HOMILIA DECIMATERTIA.

ADmonitio populi, vt lectiones diuinas audire studeant, & qui potest legere legat, qui verò non potest, legentem libenter audiat: quia hoc erit animæ pro cibo & potu in æternum, quod hic de diuina lectione conceperit, & de similitudine culturæ terræ: vt vel sic excolere studeamus animam, quomodo vineam vel olíueta. Et de similitudine culturæ & de purgandis vitibus vel oliuetis, & de agro mundando spinis atque lapidibus, vbi tricenos, & sexagenos, & centenos fructus proficiat: & de tribus professionibus, virginum, viduarum & coniugatorum. Et licet ex his iam in alio sermone aliqua contineantur, tamen & hic apta sunt, & conueniunt.

GRatias Deo agimus fratres charissimi, quia nos & si inter multas occupationes sanctę charitati vestrę repręsentare dignatus est: nouit enim diuina clemẽtia, quia etiam si secundo, aut tertiò per singulos annos vobis possimus occurrere, nec sic quidem poteramus nostra desideria satiare. Quis enim pater est, qui filios suos, & præcipuè fideles & bonos non frequenter videre desiderat? Concedat Deus vobis orantibus vt & in nobis quos tanta charitate suscepistis, aliquid boni inuenire possitis: & nos hoc sẽper in vobis videamus, vnde plenius gaudere possimus. Quia ergo quantum dignũ est, de charitatis vestræ præsentia gratulamur, de salute communi quantum Dominus dederit, colloquamur. Quando aliquid de vtilitate animæ proferimus fratres charissimi, nemo se excusare conetur, vt dicat: Non mihi vacat legere, & ideo non possum Dei præcepta vel agnoscere vel implere, nec dicat aliquis vestrum: Nõ noui litteras, ideo mihi non imputabitur quicquid minus de Dei præceptis impleuero. Inanis est & inutilis excusatio ista fratres charissimi. Primũ est, quod lectionem diuinam, etiam si aliquis nesciens litteras non potest legere, potest tamen legentem libenter audire. Qui verò litteras nouit, nunquid potest fieri quod non inueniat libros, quibus possit scripturam diuinam relegere? Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces iocos, sermones ociosos ac luxuriosos, quantum possumus respuamus, & videamus si nobis non remanet tempus in quo lectioni diuinæ vacare possimus. Fugiamus prandia luxuriosa quæ nos occupant vsque ad vesperam, contemnamus cœnas quæ nos aliquoties etiam inuitos vsque ad noctem mediam trahunt, in quibus & caro nostra per ebrietatẽ debilitatur, & anima per turpiloquia, & scurrilitates vulneratur, fortè aut etiam moritur. Istas malas occupationes quæ & animam & corpus debilitant fugiamus, & videbimus quod nobis remanet tempus, in quo aliquid de salute animæ cogitemus. Quando noctes longiores sunt, quis erit qui tãtum possit dormire, vt lectionem diuinam vel tribus horis non possit aut ipse legere, aut alios legentes audire? Illi enim lectionem diuinam legere non possunt, qui se, sicut iam dictum est, vsque ad mediam noctem inebriare contendunt. Nos verò si Deo volumus placere, & de salute animę attẽtius cogitare, sobrietatem debemus diligere, & ebrietatem quasi foueam inferni longè refugere. Attendite rogo vos fratres, si hoc dico quod non ignoratis. Nouimus enim aliquos negociatores, qui cum literas non nouerint, requirunt sibi mercenarios literatos: & cum ipsi literas nesciant, aliis scribẽtibus ratione sua ingẽtia lucra conquirunt.

Et si illi qui literas nesciunt, conducunt sibi mercenarios literatos vt acquirant terrenam pecuniam, tu quicunque es qui literas non nosti, quare etiam non cum precio & mercede rogas, qui tibi debeat scripturas, diuinas relegere, vt ex illis possis præmia æterna conquirere? Pro certò fratres, qui hoc studiose requirit, credit quod ille in æternum prodesse possit. Qui verò lectionem nec ipse [*Sacris litteris, & harum lectioni incumbendum est.*]

vult legere, nec legentem libenter audire, omnino non credit, quod aliquid boni possit acquirere. Vos ergo fratres rogo & admoneo, vt quicunque literas scitis, scripturam diuinam frequentius relegatis. qui verò non scitis, quando alij legunt, intentis auribus audiatis. Lumen enim animæ, & cibus æternus, non est aliud, nisi verbum Dei, sine quo anima non viuere potest, nec videre: quia quomodo caro nostra moritur, si non capiat cibum, ita & anima nostra extinguitur, si non accipit diuinum verbum. Sed dicit aliquis: Ego homo rusticus sum, & terrenis operibus iugiter occupatus sum: lectionem diuinam nec audire possum, nec legere. Quàm multi rustici, & quã multę mulieres rusticanæ, & tamen cantica Diabolica, amatoria & turpia, ore decantant? Ista possunt tenere atque parare quæ Diabolus docet, & non possunt tenere quod Christus ostendit. Quando celerius & melius quicunque rusticus, vel quæcũque mulier rusticana, poterat vtilius & Symbolum dicere, & orationem Dominicam, & aliquas antiphonas & Psalmos quinquagesimum vel nonagesimum, & parare & tenere & frequentius dicere, vnde animam suam & Deo coniũgere, & Diabolo liberare posset? Nam quomodo cantica turpia, in tenebras Diaboli mittunt: sic cantica sancta, Christi lumẽ ostendunt. Nemo ergo dicat: Non possum aliquid de hoc quod in Ecclesia legitur, retinere. Sine dubio enim, si velis, poteris. Incipe velle, & statim intelliges. Et vt de operibus bonis nullus homo se valeat excusare, donante Deo, volo vobis qualemcunque rationem suggerere. Animæ nostræ cura (fratres charissimi) maximè terrenę culturæ similis est. Sicut enim in terra quæ colitur, alia extirpantur, alia radicitus euelluntur: vt quę bona sunt, seminentur: ita etiam animæ nostræ fieri debent. Eradicentur mala, & bona plantẽtur. Extirpentur noxia, & inserantur innoxia. Superbia euellatur, & humilitas plantetur. Proiiciatur auaritia, & misericordia teneatur. Contemnatur luxuria & castitas diligatur. Nam quomodo in terra tua, nisi mala proieceris, bona plantare non poteris: sic & de anima tua, nisi spinas & tribulos vitiorum eradicaueris, virtutum germina sancta plantare non poteris. Dic mihi, rogo te, quicunque es ille, qui iam paulò ante dicebas, quòd pro coquòd nõ nosses legere, ideo nõ possis Dei præcepta complere. Dic mihi:

Animæ cura terrenæ culturæ similis est.

Quis tibi monstrauit, quomodo putares vineam tuam? Quo tempore plantares nouellam, quis tibi hoc ostendit? Quod nisi aut vidisti, aut interrogasti cultores optimos, qualiter scires colere villam tuã? Quomodo ergo solicitus es de villa tua, & de tua anima non es solicitus? Attendite (rogo vos fratres) duo genera agrorum sunt. Vnus ager, est Dei: alter est hominis. Habes tu villam tuam: habet & Deus suam. Villa tua, est terra tua: villa Dei, est anima tua. Nunquid iustum est, vt villam tuam colas: & villam Dei, desertam dimittas? Si colis terram tuam, cole & animam tuam. Villam tuam vis componere, & Dei villam desertam dimittere? Et nunquid hoc iustum est, fratres? nunquid à nobis hoc meretur Deus, vt animam nostram quam satis ille diligit, negligamus? Quomodo attendis villam tuam cultam, & gaudes? cur non attendis animam tuam desertam, & plangis? De agro villæ nostræ paucis diebus victuri sumus in mundo: ibi ergo, hoc est in anima nostra, maius studium debemus semper impendere.

Animam nostram quasi villam suam nobis dignatus est committere Deus, vt illam omni studio debeamus excolere. Totis ergo viribꝰ cũ Dei adiutorio laboremus, vt cum Deus ad agrum suum, hoc est ad animam nostram venire voluerit, totum cultum, totum compositum, totum ordinatum inueniat, non spinas: vinum inueniat, non acetum: triticum magis quàm lolium. Si omnia quæ placeant oculis suis inuenerit, æterna nobis præmia recompensabit. Si verò totum desertum & spinis repletum aspexerit, cum ipsis spinis operum nostrorum æterno nos incendio deputabit. Inde est fratres, quòd frequenter tribulationes & angustias sustinemus: quia nobis Deus vicem quodammodo reddit. Nolumus nos amare animam nostram, quam ille amat: & ille villã quam nos amamus, dimittit vt pereat. Nam vt deserta remaneret ab hostibus terra nostra longo tempore, multis vitiis & criminibus deserta remanserat anima nostra. Quia ergo animam nostram quam Deus diligit non amauimus, totum quod in hoc mundo amabamus perdidimus. Et ideo fratres charissimi, vel sic discamus plus animam amare quàm carnem, æterna potius eligere quàm caduca. Quidquid enim pro carne laboramus, totum peribit: hoc solùm perire non poterit, quod vnusquisque pro salute animæ suæ in cœlo reposuit. Nemo se excuset & dicat litteras non scire, ideo non posse Dei præcepta complere. Non est grande quòd à nobis requirit Deus, non durum, non asperum. Clamat tibi in conscientia tua æterna iustitia, quomodo gubernas agrũ tuũ, guberna & cor tuũ. quomodo colis villã tuã cole & animã tuam. Quomodo superfluos palmites tollis de vite tua, sic malos affectus tolle de anima tua. Præcidis de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est. Quomodo qui vitem suam vno anno putare noluerit, ipso anno abundantius exhibet, & postea sine fructu sterilis remanebit: sic & qui malas cogitationes & mala desideria non tollit de anima sua, videtur afferre fructum de rapinis & fraudibus in anno vitæ suæ quo viuit in hoc mundo: sed postea remanebit sterilis in æternum. Et quia fructus legitimè non exhibuit, quasi sarmenta luxuriosa & infructuosa, æterna illud flãma sine misericordia cruciabit: sicut ipse Dominus dixit: Paleas autem comburet ignis inextinguibilis.

Matth. 3.

Quomodo in vite tua totos oculos superfluos amputas & duos aut tres qui sunt legitimi derelinquis: sic & anima tua, omnia desideria quæ res alienas malè respiciunt & pessimè concupiscunt, spiritus sancti gladio & crucis falce debes incidere: & hoc tantum vnde iustitia vel misericordia cernitur reseruare. Nam terra quando colitur fratres dilectissimi, nescitis q̃ consuetudo seruetur: Primũ euelluntur spinę, lapides proiiciuntur, postea terra ipsa proscinditur, combinatur, terciatur: deinde quarto aut quinto sulco, ordine legitimo seminatur. Hoc ergo fiat fratres charissimi, in anima nostra. Primùm eradicentur spinę: id est cogitationes malę. Postea lapides auferantur, hoc est, omnis malicia vel duricia expurgetur. Deinde cor nostrũ Euãgelico aratro & crucis vomere proscindatur & aretur, & cõfringatur per pœnitentiã, molliatur per eleemosynam, per charitatem sementi Dominicę præparetur: & vt tunc purgata & bene culta, cordis nostri terra, cum gaudio semen verbi Dei possit excipere, & non solùm, trige-

trigesimum, sed etiam sexagesimum, & centesimum. Tres enim professiones sunt in sancta Ecclesia Catholica, Sunt virgines, sunt viduę, sunt etiam coniugatę. Virgines exhibent centesimum, viduæ sexagesimum, coniugatę verò trigesimum. Alius quidem habet amplius, alius minus: sed omnes in cœlesti horreo reconduntur, & ęterna beatitudine fœliter perfruuntur? Virgines ergo cogitantes Mariam: viduæ considerantes Annam, maritatæ verò Susannam: Imitentur illarum castitatem in hoc sęculo, vt illi coniungi vel sociari mereantur in æternum. Bonę enim virgines quæ non solum corpore, sed etiam corde & lingua virgines esse voluerint; sanctæ Mariæ cum reliquo exercitu virginum socientur. Bonę viduę, non deliciosę, non linguosę, non inuidiosę, non superbæ, quæ ieiuniis, eleemosynis & orationibus sicut beata Anna faciebat, seruiunt Deo, cum ipsa Anna sancta sociantur & multis milib, viduarum. Coniugatæ verò quæ sibi inuicem fidem seruauerint, & extra se nihil agnouerint, se ipsas tantum non nisi pro desiderio filiorum agnouerint, assiduę eleemosynas fecerint, & in quãtũ possunt Dei præcepta seruauerint, sancto Iob, sanctę Sarę vel sanctæ Susannę, cum Patriarchis & Prophetis merebuntur fœliciter sociari. Rogo vos fratres charissimi, semper recolite, semper retinete quod vobis pro animæ vestræ salute suggerimus: nolite hoc transitoriè accipere. Debet eñ sermo noster in corde vestro radices figere, vt in tẽpore retributionis possit æternæ vitæ fructꝰ fœliciter exhibere. Qui potest totum retinere quod dicimus, Deo gratias agat: & aliis quod retinet, semper ostendat, Qui totum non potest retinere, vel partem aliquam recordetur. Et si totum non potest, singuli ternas vel quaternas sententias retinete. Et dum vnus alteri insinuat quod audiuit, totum vobis inuicem referendo non solùm memoriter retinere, sed etiam in operibus Christo adiuuante poteritis implere. Dicat vnus alteri: Ego audiui Episcopum meũ de castitate dicentem. Alius dicat: Ego in mente habeo illum & de eleemosynis prædicasse. Alius dicat: Remansit in memoria mea quod dixit, Vt sic colamus animam nostram quomodo colimus terram nostram. Alius referat: Ego retineo dixisse Episcopũ meum, vt qui nouit litteras, scripturam diuinam studeat legere: qui verò non nouit, quærat sibi & roget qui illi debeat pręcepta relegere, vt quod legerit possit Deo adiuuante complere. Dicat etiam alius: Ego audiui Episcopum meum dicentem, quod quomodo negociatores qui non nouerunt litteras, conducunt sibi mercenarios litteratos, vt acquirant pecuniam: sic Christiani debent sibi requirere & rogare, & (si necesse est) etiam mercedem dare, vt illi acquirant vitam ęternam. Hæc si agitis, si vos inuicem admonetis, & in hoc sęculo fideliter potestis vincere, & postea ad æternæ vitæ beatitudinem peruenire. Nã si statim vbi de Ecclesia discesseris, totum quod ab Episcopo audisti oblitus fueris, sine fructu venisti ad Ecclesiam, sine fructu inanis redis ad domum tuã. Sed absit hoc à vobis fratres: magis impleatur illud quod scriptum est: Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore. Et illud: Misericordia autem Domini à sæculo & vsque in sæculum super timentes eum, & iustitia eius super filios filiorum custodientibus mandata eius, & memoria retinentibus vt faciant ea. Ad quam vos misericordiam Dominus pro sua pietate perducat, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Quæ audierint in concione populi, postea repetant.

Psal. 105

Psal. 102.

EIVSDEM DE DILECTIONE PArentum, & de decimis, Homilia XIIII.

Legimus fratres dilectissimi, monente nos Domino per Prophetam parentibus nostris & honorem semper & amorem impẽdere. Et si fortè euenerit, vt aliqua paupertate laborent, necessitates eorum secũdum quod possumus subleuare. Sic enim ait: Si videris (inquit) nudum, cooperi eum; & domesticos seminis tui ne despexeris Hoc loco domesticos seminis, parentes nostros intelligi voluit. Sed dicit aliquis. quis est qui parentes suos odio habet? vt hoc pro magno Dominus admonuerit per Prophetam. Sine dubio fratres sciuit Spiritus sanctus nonnullos homines, qui cùm ad aliquos honores aut diuitias vndecunque acquisitas peruenerint, ita parentes suos pauperes despiciunt, vt eos nec videre dignentur. Quod qui fecerint, non solum peccatum, sed etiam graue crimen se admisisse non dubitent. Et fortè euenit: vt ille per diuitias & superbiam crimina grandia vel peccata cõmittat, & parentes sui pro ipsa paupertate & humilitate & simplicitate iustitiam teneant. Et qua fronte infœlix dedignatur attendere parentes suos innocentes & iustos, cùm ipse sit peccator & impius? Si quis ergo idoneus est, si aliquos parentes habuerit pauperes, ipsis prius necessaria tribuat, & sic indigentibus extraneis eleemosynam faciat: quia reliquis pauperibus si tu non dederis, dabit alius: parentibus verò tuis pauperibus si tu nil largitus fueris, difficile est alius largiatur; ipse est eleemosynarum ordo iustus atque legitimus, vt prius tibi & tuis victum & vestitum sufficientem & mediocrem, non pomposum, nec deliciosum prouideas: deinde, sicut dixi, si qui sunt pauperes de parentibus tuis, quantũ præuales largiaris. Deinde seruos & ancillas tuas, nec esurire, neque algere permittas. Et posthæc quicquid tibi Deus (sicut dixi) excepto victu & vestitu dederit, non in terreno vbi fures effodiunt & furantur, sed in cœlesti thesauro recondas, vt vbi fuerit thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum. Et cùm sacerdos clamauerit, Sursum corda, securi, & in veritate respondeamus: Habemus ad Dominum. Quæcunque enim Deus excepto mediocri & rationabili victu & vestitu, siue de quacunque militia, siue de agricultura contulerit, nõ tibi specialiter dedit, sed per te pauperibus eroganda transmisit. Si nolueris dare, noueris te res alienas auferre, quia (sicut dixi) hoc solum est nostrum quod nobis vel nostris rationabiliter sufficit. Quicquid superfuerit. Deus noster (sicut dixi) pauperibus erogando transmisit. Ac si non solùm decimas dare debemus, sed etiam de nouem partibus quicquid solutis vel expletis sumptibus nostris remanserit, quasi aliis transmissum fideliter erogare debemus.

Matt. 6.

Sursum corda, canit Sacerdos.

Quod tamen si fecerimus, verè nostra sunt, quæ donamus. Si verò non facimus, nec illa nostra sunt quę seruamus; nec nos ipsi nostri sumus qui seruare videmur. Et tamen fratres, non video qua fronte illi non offerimus decimum à quo accepimus totum. Si velit Deus facere rationem nobiscum & dicere, terram quã colis, ego feci: animalia quę te ad colendum adiuuant, ego condidi: calorem Solis ego tribuo: pluuiam temporibus suis, ego dispenso: ipsam sementẽ quam spargis, ego concedo: sed ad iustam rationem

tibi decimas reseruare,& mihi nouem partes, non quæro,Misericors esse volo:exemplum tibi præbeo, vt quomodo misertus sum tui,sic misereatis pauperis.Si ergo fratres,iustam rationem nobiscum voluerit facere Deus,nunquid est quod respondere possimus? Et licet in multis sanctarum scripturarum locis,nos de his rebus admoneat Deus, tamen per Apostolum specialiter clamat & admonet dicens:Habentes victum & vestitum,his contenti simus.Nam qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem diaboli & desideria multa & nociua,quæ mergunt homines in interitum & perditionem : quia radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.Tu verò homo Dei hæc fuge,sectare iustitiam,pietatem,& fidem,&c: Rogo vos fratres vt de Scripturis reliquis taceamus : sententia ista Apostolica,vnicuique Christiano sufficit: Verè dico fratres, quod qui sub tali tonitruo de auaritiæ somno non surgit,non dormiens,sed mortuus esse credendus est.Et ideo fratres,quia pro ista fragilitate carnali multis peccatis tanquam circumuolantibus mu scis assiduè inquietamur atque compungimur, ad portum misericordiæ Dei inter procellas & tempestates mundi istius festinemus Fortè aliquis interrogat,quomodo ad hunc portum valeat peruenire?Audiat Christum dicentem : Beati misericordes ,quoniam ipsi misericordiam consequentur . Et iterum: Date eleemosynas , & ecce omnia munda sunt vobis.Ergo istam Apostoli sententiam,si cuadere de pelago mundi huius volumus,ante oculos semper habere debemus.Sufficiat nobis habere victum & vestitū rationabilē,nō pōposū ,nō delicioſū :& quicquid āplius Deus dederit,non negetur vsibus pauperum:quia per nos,ipsis probatur esse transmissum. Et si id quod nobis superfluum est,non dederimus, res alienas inuasimus. Et quanti pauperes cum nostra scientia,fame mortui fuerint , causas nobiscum ante tribunal Christi dicturi sunt? Et quia duo sunt eleemosynarum genera,vnum quodpauperibus ero gamus,aliud vicinis vel fratribus nostris : quotiescunque in nobis peccauerint, indulgemus . Vtrumque Deo auxiliante faciamus : quia vnum sine alio nihil prodest.

1.Tim. 6.

Tonitruū contra auaritiam.

Matth. 5. Luc. 11.

Duo sunt eleemosynariū genera.

Si pauperi porrigis eleemosynam , & in te peccanti non tribuis veniā,nihil tibi prodest. Sicut è cōtrario, si peccantibus tibi indulseris , & esurientibus quantum prævales dare nolueris, sicut dixi,vna virtus sine alia tibi prodesse non potest. Nos verò fratres,ista duo eleemosynarum genera nobis quasi spiritalium alarum remedia præparemus, vt ad principalem patriam & illam cœlestem Hierusalem omnibus terrenarum cupiditatum spretis hisque expeditis ac liberis, virtutum pennis fulti , ac tanquam spiritales columbæ volare fœliciter ac venire possimus: secundum illud quod Psalmista desiderat, & supplicat dicens : Quis dabit mihi pennas vt columbæ,& volabo & requiescam? Certum est, fratres, quod nisi quisque peccatorum glutino & nimiis impedimentis ac laqueis mundi huius animæ suæ pennas contenderit expedire,ad veram requiem nunquam poterit peruenire. Nos verò fratres adiuuante Deo,impedimenta mundi huius , si à nobis adintegrū subtrahere non possumus,vel ita ea quantum vires suppetunt temperare,vel aliquid ab eis rescindere studeamus,vt nobis remaneant aliqua horā spatia, in quibus lectioni velorationi vacare possimus. Nam si totum nobis occupatio terrena subtraxerit,timendum est ne nobis veniat illud quod scriptum est: Impedimenta huius mundi fecerunt eos miseros.Magis ergo adiuuante Domino laboremus, vt & in nobis, vel ex parte aliqua , impleatur illud quod de beato viro scriptum est: In lege Domini meditabitur die ac nocte.Quam rem Dominus sanctę charitati vestrę pro sua misericordia prestare dignetur,cui est honor & imperium,cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum,Amen.

Psal. 1.

IDEM EIVSDEM DE MISERICORdia diuina & humana, Quod ideo Deus pauperes in hoc mundo esse permiserit, vt diuites haberent quomodo peccata sua redimerent, Homilia decimaquinta.

MOdo cùm Euangelium legeretur audiuim⁹ dicentem Dominum , & Saluatorem nostrum:Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Dulce est nomen misericordiæ, fratres charissimi:& si nomen, quantò magis res ipsa? Et cùm eam omnes homines habere velint,quod pei⁹ est,nontoti sic agunt,vt omnes misericordiam velint accipere : pauci sunt qui velint misericordiam dare.O homo , qua fronte vis petere, quod dissimulas dare? Debet ergo in hoc mundo misericordiam dare , qui illam optat in cœlo recipere.Et ideo fratres charissimi , quia omnes homines misericordiam volumus,faciamus nobis illam patronam in hoc sæculo,vt nos ipsa liberet in futuro.Est enim in cœlo misericordia , ad quā per terrenas misericordias peruenitur.Sic enim scriptura dicit: Domine in cœlo misericordia tua. Est ergo & terrena & cœlestis misericordia,humana scilicet & diuina.Qualis est misericordia humana?Ipsa vtique,vt respicias miserias pauperum.Qualis verò est misericordia diuina? Illa sine dubio,quæ tribuit indulgentiam peccatorum? Quicquid enim misericordia humana largitur in via, misericordia diuina reddit in patria. Deus enim in hoc mundo in omnibus pauperib⁹ & alitur&esurit,sicut ipse dixit: quādiu fecistis vni ex minimis istis,mihi fecistis. Omnis ergo qui de cœlo dignatur dare,vult in terra recipere. Quales sumus nos,qui quādo donat Deus,volumus accipere: quando petit,nolumus dare? Quando enim pauper esurit , Christus indiget: sicut ipse dixit,Esurtui,& non dedistis mihi manducare . Noli ergo despicere miseriam pauperum , si vis securus sperare indulgētiam peccatorum.Esurit modò Christus fratres, in omnibus pauperibus : ipse esurire & sitire dignatur,& quod in terra accipit, in cœlo reddit.Rogo vos fratres,quid vultis,aut quid quæritis, quando ad Ecclesiam venitis? quid vtique nisi misericordiam? Date ergo terrenam,& accipietis cœlestem. Petit à te pauper,& tu petis à Deo.Ille buccellam,tu vitam æternam. Amen dico,quod accipere mercaris à Christo. Audi ipsum dicentem : Date & dabitur vobis.Nescio qua fronte velis accipere, quod non vis dare.Et ideo quando ad Ecclesiam venitis,secundum vires vestras qualescunque,eleemosynas pauperibus exhibete. Qui potest,afferat argentum:qui non potest, exhibeat vinum.Si nec hoc habuerit,exhibeat esurienti buccellam:sinō habet integram, vel quācunque particulam , vt impleat illud, quod

Matth. 5.

Psal. 5.

Matth. 25

Luc. 6.

Isa. 58.

quod Dominus admonuit per Prophetam : Frange esurienti panem tuum.Non dixit:Da totum,ne fortè pauper sis,& amplius habere non possis. Etsi diligenter attendimus fratres, hoc ipsum quod Christus in pauperibus esurit,nobis proficit. Ideò enim in hoc mundo Deus pauperes esse permisit, vt omnis homo haberet quomodo sua peccata redimeret. Si enim pauper nullus esset, eleemosynam nemo daret , indulgentiam nemo reciperet . Potuit enim Deus totos homines diuites facere, sed nobis per pauperum miseriam voluit subuenire, vt & pauper per patientiam, & diues per eleemosynam possint Dei gratiam promereri:nobis enim mi litat inopia pauperum.Denique sapienter intelligis, & statera cordis tui diligenter attendis,incomparabiliter plus est quod pro paupere recipis, q̄ id quod pauperi largiris.Attende & vide nummum,aut quid simile frater.Das pauperi nummum,& à Christo recipis regnum. Das buccellam , & à Christo recipis vitam æternam. Das vestimentum, & à Christo recipis remissionem peccatorum. Non ergo despiciamus pauperes fratres,sed magis eos desideremus, & vltrò nos eis ingerere festinemus, quia miseria pauperum,medicamentū est diuitum. Sic & ipse dominus dixit:Veruntamen date eleemosynas, & ecce omnia munda sunt vobis . Et iterum : Vendite quæ possidetis,& date eleemosynam.Et per Prophetam clamat Spiritus sanctus:Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.Et iterum : Cōclude eleemosynam in corde pauperis , & hæc exorabit pro te ab omni malo. Faciamus ergo misericordiam fratres,& Christo adiuuante cautionis suæ vinculū teneamus.Illam vtique quā suprà memorauī, vbi ait.Date & dabitur vobis.& iterum:Beati misericordes,quoniam ipsi misericordiam consequentur.Vnusquisque secundum vires studeat, ne ad ecclesiam vacuus veniat.Debet enim aliquid exhibere, qui oprat accipere.Qui potest,nouo vestimento tegat pauperem. Qui non potest , vel veterem porrigat. Qui verò ad ista se non sentit idoneum, porrigat buccellā,susciptat peregrinum, lectulum faciat, pedes abluat : vt audire mereatur à Christo : Venite benedicti , percipite regnum, quia esuriui, & dedistis mihi māducare:hospes fui,& susscepistis me.Nemo se,fratres charissimi,de dandis eleemosynis excusare poterit;quando pro calice aquæ frigidæ mercedem se Christus redditurum esse promisit. Et quia (sicut frequenter admonui) duo sunt eleemosynarū genera,vnum bonum, aliud melius. Vnum,vt pauperibus buccellam porrigas,alterum, vt peccanti in te fratri,citò indulgeas. Ambo eleemosynarum genera implere , auxiliante Domino festinemus, vt ad æternam indulgentiam, & ad Christi veram misericordiam peruenire possimus. Sic enim ipse dixit : Si dimiseritis,dimittet & vobis Pater vester peccata vestra.si non dimiseritis,nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et alibi clamat Spiritus sanctus: Homo homini seruat iram & à Deo quærit medelam.In hominem similem sibi non habet misericordiam,& petit à Deo? Dicit eti ābeatus Ioannes:Qui fratrem suum odit, homicida est. Et iterum, Qui odit fratrem suum,in tenebris est, & in tenebris ambulat,& nescit quo vadat,quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et ideo fratres charissimi , vt æterna mala possimus euadere, & ad bona perpetua peruenire , duò quæ supra dixi eleemosynarum generā,quantum possumus,& quandiu viuimus, & ipsi habere & aliis impendere festinemus ; vt securi possimus in die iudicij dicere:Da Domine,quia dedimus. Nos fecimus quod iussisti : tu imple quod promisisti.Quodipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum,Amen.

Pauperes petur Deus esse permisit.

Mat. 25.

Mat. 10.

Mat. 6.

Ecc. 28. 1.Io.3.

EIVSDEM DE ERECTO Energumeno , Homilia decimasexta.

SVperiori Dominica , fratres charissimi,dum Missæ celebrarentur, non paruū metum omni populo insaniens ille energumenus generauit. Certum est fratres, quia vix inuenietur homo, qui cùm infœlicem personam taliter vexari à diabolo viderit,nō expauescat & metuat. Ratio tamen religionis & perfectæ charitatis hoc habeat, vt minus timere, & pro illo amplius orare deberemus.Et tamē fratres charissimi, si vultis (deo auxiliāte) possumus vobis ostendere, vt posſitis energumenū nō timere.Nūquā timebis dæmonē qui est in carne aliena,si eū nō habueris in aīa tua.Deniq; sancti & perfecti viri,non solùm dæmoniacos non timent , sed etiam à dæmoniacis,imò ab ipsis dæmonibus cum grandi tremore timentur.Sed si in alieno corpore dæmonem sic timemus , quantum timere debemus,ne per malos actus eum in nostris cordibus nutriamus ? Omnis homo, charissimi fratres,in conuiuio cordis sui,aut Christum,aut diabolum pascit. Si iustitiam,si pacem,si castitatem, si misericordiam & charitatem sectari voluerit,Christum in se sine dubio pascit & reficit , secundum illud quod scriptum est: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi , intrabo ad illum & cœnabo cum illo. Ecce prolatum vobis est , quomodo aut quali cibo anima sancta Christum pascit & reficit. Econtrario autem qui superbiam, maliciam , inuidiam,luxuriam,& his similia amare voluerit,diabolum se reficere,& desiderabiles illi talibus malis delicias non dubitet præparare. De suis actibus potest vnusquisque cognoscere quale conuiuium meretur in suo corde recipere. Certum est , quòd quale conuiuium praueris,tales & conuiuas habere mereberis. Multi enim dæmonem in corpore alieno formidant, in suo corde dissimulant . Omnis enim qui superbiam diligit, diabolo plenus est. Et si cum superbia etiam inuidiam habere voluerit , duobus dæmonibus subditus erit.Et si cum inuidia,etiam adulterium fecerit , à tribus dæmonibus possidetur. Et si cum his malis mendacium amare voluerit , ab integra quadriga dæmonum subiugatur & premitur. Nam quot vicia habuerit homo, tot habet dæmones.Denique & in Euangelio,ille à quo immundus spiritus exierat, cum per gratiam Dei ab vno idololatriæ dæmone meruit liberari , pro eo quòd in loco vitiorum virtutes noluit intromittere , reuersus ille immūdus spiritus adduxit secum septem alios spiritus nequiores se : & impletum est in eo illud quod scriptum est: A quo enim quis superatur, huius & seruus est,Et iterum : Qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed forsitan dicit aliquis : Quomodo potest fieri, vt qui per luxuriam peccauerit in carne sua, diabolum habeat in anima sua ? Nos fratres dilectissimi , quod diximus de sanctarum Scripturarum testimoniis approbamus. Nam quisquis

Missarū celebratio.

Aut Christus, aut Diabolus, hominum corda inhabitat.

Apoc. 3.

Quot vitia,tot dæmones habet homo.

Luc. 11. 8.

superbus est, dæmone plenus est. Audi scripturam
dicentem : Immundus est ante Dominum omnis
Eccl. 10. qui exaltat cor suum.Et iterū: Apostatare à Deo om-
nis superbia. Quid est apostatare, nisi à Deo disce-
dere?Et vtique qui à Deo disiungitur,diabolo socia-
Sap. 2. tur. Quod autem qui inuidus est, sine dæmone esse
non potest, sicut Scriptura dicit: Inuidia Diaboli
mors intrauit in orbem terrarum.Imitantur autem
illum qui sunt ex parte ipsius. Nam quod & ille qui
fornicatur,à diabolo possidetur, canonica nihilomi
Osee 4. nus Scriptura testatur. Sicut enim dicit Propheta,
Psal. 5. Spiritu fornicationis decepti estis.Quod verò &om
nis mendax sine maligno spiritu esse non possit,
Scriptura testis est: Perdes(inquit)omnes qui loquū
Sap. 1. tur mendacium. Et iterum: Os quod mentitur,oc-
cidit animam. Et in libro Regnorum legimus, spiri-
3.Reg.12 tum malignum dixisse Domino, Ego (inquit) de-
cipiam Achab: Cui dixit Dominus: In quo de-
2.Par.18 cipies? Et ille respondi: Egrediar, & ero spiritus
mendax in ore Prophetarum eius.Dixit autem Do-
minus: Decipies,& præualebis. Similiter & de cæ-
teris capitalibus peccatis atque criminibus credere
eos oportet:quia nemo illa, nisi Diabolo instigante
committit. Quid ergo fratres?cùm nos multis pec-
catis & criminibus sentiamus obnoxios, nunquid
desperandum est? Absit hoc à populo Christiano.
Non quidem desperandum est,sed nec in ipsis pec-
catis inimica securitate perseuerandum. Qui enim
dixit, Cum conuersus ingemueris, saluus eris, ipse
Ezec. 18. dixit:Nolite tardare conuerti ad Dominum,nec dif-
Eccl. 5. feratis de die in diem.Optimè enim malagma vel fi-
bula calidis adhuc vulneribus adhibetur,& citò vul-
nus sanatur quod diu putrescere non permittitur.
Et ideò si aliquis ex nobis cuiuslibet peccati vul-
nus acceperit antequàm longa cōsuetudine putres-
cat,& fœteat, omni celeritate ad pœnitentiæ medi-
camenta confugiat. Peccatum si diu dominari per-
mittitur, omnibus sanctis & Dominum timentibus
putorem teterrimum exalare cognoscitur. Et ideo
cum Dei adiutorio laborandum est, vt expurgatis
vel mortificatis omnibus peccatis, in possessionem
vitiorum virtutes introeant. Locum quem tenebat
superbia,humilitas occupet,quem vastabat auaritia,
obtineat eleemosyna, quem luxuria sordidabat, ca-
stitas mundet atque recipiat, quem tenebat inuidia,
possideat beneuolentia. Vbi mendacium esse vide-
batur, veritas dominetur.Hæc enim fratres,si Chri-
sto auxiliante agere studeamus,non solùm in aliorū
corporibus dæmones nō timemus,sed etiam de no-
stris cordibus per Dei gratiam effugamus, & longè
repellimus.Præstante Domino,cui est honor,& glo-
ria in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM DE SIMILITVDINE *Vlmeæ arboris, & de vite, Homilia decimaseptima.*

LEGIMVS in quodam libro fratres
dilectissimi, de vlmo & vite proposi-
tam nobis similitudinem, quam qui
diligenter attendit, non paruam
animæ suæ ædificationem inue-
niet. Nam arbor vlmea & vitis, sa-
tis sibi conuenientes esse videntur. Arbor enim vl-
mea, licet sit amœna & in sublime porrecta,nullum
tamen fructum habere probatur. Vitis verò quãuis
sit parua & humilis, fructibus plena esse cognosci-
A tur.Qui fructus nisi qualicunque ligno leuentur in
altum,in terra putrescunt atque depereunt. Si verò
vlmus extendat ramos suos, & erigat vitem, & se
ornat,& illam de putredine liberat: & quare ista si- *Diues vlmo comparatur, pauper verò, viti.*
militudo sit posita,diligenter attendamus.Arbor vl-
mea significat hominem diuitem in hoc mundo. Si-
cut enim arbor illa sublimis est,& amœna,& humi-
da,& tamen fructibus vacua:ita & quicunque diues
sæculi huius,quamuis sublimetur honoribus,in mul
tis facultatibus amœnus & iucundus esse videatur:
tamen si ad vitem,id est ad pauperē Christi eleemo-
synarū suarū brachia quasi ramos piissimos humili-
ter non expandit,à fructibus æternæ vitæ vacuus te-
B manebit. Vitis autem significat seruos Dei,abbates,
monachos,vel clericos spirituales Deo vacantes, &
doctrinæ iugiter insistentes: & si qui sunt alij simi-
les horum, qui contempto mundo, Deo die noctú-
que deseruiunt: quo seruitio in æterna beatitudine
vberes fructus habere creduntur. Ac sic diuites mū-
di huius abundant in hoc sæculo,& pauperes Chri-
sti in cœlo. Quid ergo futurum est, vt nec arbor vl-
mea sine fructu remaneat, nec vitis in terra putres-
cat. Hoc enim expedit fieri, vt quomodo arbor vl-
mea extendit ramos suos & erigit vel sustinet vitē,
sic diues sæculi huius porrigat ramos suos, id est ma
nus plenas fructibus agri sui, & sustentet pauperes
C Christi. Quod si fecerit in hoc mundo, sine dubio
ab ipsis pauperibus Christi multipliciter illi repen-
sabitur in futuro. Nec dedignetur diues,aut iniuriā
sibi æstimet factam, quod arbori comparatus est, si
audiat Dominum dicentem:Arbor bona,bonos fru *Mat. 7.*
ctus facit: mala autem arbor, malos fructus facit.
Sed magis timeat illud quod sequitur: Omnis (in-
quit)arbor quæ non facit fructum bonum, excide-
tur,& in ignem mittetur.Extendat ergo manus suas
ad eleemosynas, vt possit euadere æternas flammas:
omnes ergo diuites timeant exemplum illius arbo-
ris infructuosæ & sterilis:id est illius qui purpura &
bysso induebatur. Arbor enim amœna & sublimis
D erat in mundo, sed quia ramos misericordiæ nō ex- *Luc. 16.*
pādit ad Lazarū, flāmas recipere meruit in infernū,
& ab illo petebat guttā,cui negauerat micam. Hæc
ergo cogitent diuites, qui se de rebus suis, dum suæ
sunt,redimere nolunt, vt non faciant talia, ne talia
patiantur. Diues fuit de quo loquimur. Sunt & ali-
qui diuites ad quos nunc loquimur. Vnius sunt no-
minis,caueant ne sint vnius conditionis. Cùm hæc
ita sint,si illi qui diuites sunt,aridas & cōtractas ma-
nus habuerint ad eleemosynas faciendas, & quibus-
cunque seruis Dei vigiliis, lectionibus vel orationi-
bus insistentibus quæ sunt corpori necessaria dare
noluerint,efficiūtur velut vlmus sterilis, quæ vitem
E sustinere dissimulat. Et cùm diues pauperibus Chri-
sti nihil dederit,necessitate in opere terreno plusquā
solebant,exerceātur. Et dum mundanis actibus oc-
cupentur, orationi,lectioni, ieiuniis & vigiliis mi-
nus insistunt,necesse est vt fructus illorum quomo-
do vitis in terra iaceant, & ex parte aliqua minuan-
tur, ac sibi tantùm sufficiant & nihil diuitibus lar-
giantur.Beatus enim Apostolus Paulus dum diuites
mundi huius pro sustentandis Christi pauperibus
admoneret, quasi de vite loquebatur ad arborem:
id est, pro Christi paupere loquebatur ad diuitem:
Vestra(inquit)abundantia,illorū inopiam suppleat:
vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supple-
mentum.

mentum. Quam rem vt omnes intelligant,apertius
insinuare debemus. Diuites mundi abundant in hoc
mundo pecunia, pauperes Christi in cœlo vita æ-
terna. Erogent ergo diuites in mundo pecuniam,
vt recipiant in cœlo vitam æternam.Diuites mundi,
frumentum,vinum & oleum in horrea vel in cella-
rio copiosè reponunt:pauperes Christi, orando, vi-
gilando,ieiunando,spirituales thesauros in cœlo re-
condunt. Faciant ergo sibi quoscunque seruos Dei
diuites huius mundi de terrena facultate participes,
vt illi eos sibi in cœlesti thesauro faciant cohæredes.
Diuites mundi huius,dum aliquoties nimium se ter
reni actibus obligant, quantū illos oportet vigilare,
legere & orare vel ieiunare nō possunt. Vnde timē-
dum est, ne fortè aut pro peccatis minus offerāt,aut
non tantum quantum expedit in thesauro cœlesti
reponant. Pauperes Christi his fructibus Deo iugi-
ter vacando exuberant. Non ergo sint pigri diuites
ad erogāda terrena,si cupiunt habere cœlestia. Chri
stus enim qui omnibus hominibus munera sua lar-
gitur, in suis pauperibus egere & esurire & algere
dignatur,Nemo ergo dubitet dare pauperibus quia
manus pauperis Gazophilaciū est Christi. Quod in
terra accipit, in cœlo reponit. Sic & ipse Dominus
Manus dixit: Quando fecistis vni ex minimis istis, mihi fe-
pauperis, cistis.Audiuimus Apostolum dicentem : Qui parcè
Gazophi- seminat,parcè & metet. Et post pauca : Operamini
lacium quod bonum est ad omnes, maximè autem ad do-
Christi. mesticos fidei. Qui sunt domestici fidei fratres, nisi
Mat. 25. clerici, boni monachi, & quicunque alij serui Dei
1.Cor. impedimenta huius mundi fugientes,Deo vacantes,
Galat. 6. lectionibus & orationibus insistentes. Omnibus
quidem petentibus, secundum quod possumus, dā-
dum est: seruis autem Dei, qui petere à nobis eru-
bescunt,etiam si non petierint ingerendum est. Ita
ergo agere studeamus fratres dilectissimi, vt ab au-
ditu malo securi esse possimus. Quod erit auditum
malum? Discedite à me maledicti in ignem æternū,
qui præparatus est Diabolo & Angelis eius, quia
esuriui, & non dedistis mihi manducare. Rogo vos
fratres, nolite hoc ociosè & negligenter audire, sed
Mat. 25. totis viribus Deo auxiliante condite, vt nec aliena
rapiatis,& de propriis Christi pauperibus abundan-
tius erogetis, corde compuncto iugiter cogitantes
& vobis ipsi inuicem colloquētes. Si in ignem mit-
titur qui non dedit sua: vbi mittendus est, qui tulit
aliena?vt non ad nos propter auaritiam illa vox tre-
menda & terribilis dirigatur: Discedite à me male-
dicti in ignem æternum,sed magis propter eleemo-
synam,illam desiderabilem vocē audire mereamur:
Venite benedicti,percipite regnum quod vobis pa-
ratum est ab origine mundi. Quia esuriui,& dedistis
mihi manducare:sitiui,& dedistis mihi bibere. Nec-
non & illa magis mittentis Domini vox,ad nos fœ-
liciter dirigatur. Euge serue bone & fidelis, intra in
gaudium Domini tui. Præstante Domino nostro
Iesu Christo,cui est honor & gloria in sæcula sæcu-
lorum, Amen.

ITEM EIVSDEM SERMO DE EO QVOD *dicitur, frange esurienti panem tuum, & quod melior est eleemosyna quàm ieiunium, & vt peregrini vel in vno angulo domus excipiantur, & de vestimentis comestis. Homilia decimaoctaua.*

A ROGO vos fratres charissimi,vt in isto le-
gitimo ac sacratissimo quadragesimæ tē- *Quadragesimæ ieiunium.*
pore exceptis dominicis diebus, nullus
prandere præsumat, nisi forte ille quem
ieiunare infirmitas non permittit: quia aliis die-
bus ieiunare, aut remedium aut præmium est: in
quadragesima nō ieiunare,peccatum est. Alio tem-
pore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in his die-
bus qui potest & non ieiunat,sentiet pœnam. Et ip-
se tamen qui ieiunare non præualet,secretius sibi so-
li,aut si est alius infirmus cū ipso, sibi in domo præ-
paret quod accipiat:& illos qui ieiunare præualent,
ad prandium,non inuitet:quia si fecerit, non solum
Deus, sed etiam homines possunt intelligere illum
B non pro infirmitate non posse ieiunare, sed quod
pro gula se abstinere non præualet: Et magis cum
gemitu & suspirio & animi dolore manducet, pro
eo quod aliis ieiunantibus, ille abstinere nō potuit.
Quid prodest vnicuique infirmo aliquem sanum ro
gare ad prandium, vt sibi augeat de alterius gula
peccatum?Pro eo tamen quod non potest ieiunare,
amplius debet erogare pauperibus, vt peccata quæ
non potest ieiunando curare, possit eleemosynas dā
do redimere. Bonum est ieiunare fratres, sed melius
est eleemosynam dare. Si aliquis vtrumque potest,
duo sunt bona.Si verò nō potest,melius est eleemo-
synam dare. Si possibilitas nō fuerit ieiunandi, elee-
C mosyna sufficit sibi sine ieiunio: ieiunium sine elee- *Eleemosyna melior est ieiunio.*
mosyna omnino non sufficit.Ergo si aliquis non po
test ieiunare,eleemosyna sine ieiunio bonum est. Si
verò præualet ieiunium cum eleemosyna,duplex bo
num est.Ieiunium sine eleemosyna, nullum bonum
est:nisi fortè si ita sit aliquis pauper, vt non habeat
omnino quod tribuat. Ille ergo qui non habuerit
quod tribuat, sufficit voluntas bona: secundum il-
lud quod scriptum est. Gloria in excelsis Deo, & in
terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed quis erit
qui se possit excusare, cum pro calice aquæ frigidæ *Luc. 2.*
mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et
quare frigidam dixit, ne forte possit aliquis pauper
D de lignorum penuria excusare, aut certe dicere se va
sculum vbi aquam calefaceret,non habere.Denique *Mat. 10.*
& per beatum Prophetam fratres charissimi,Domi-
nus ita hortatur & admonet eleemosynam fieri, vt
propterea nullus pauper sit qui se valeat excusare.
Sic enim ait. Hoc est ieiunium quod elegi,dicit Do-
minus,Frange esurienti panem tuum. Non dixit, vt
integrum daret,cum fortè pauper ille alium non ha *Isa. 58.*
beret:sed frange,inquit:hoc est dicere,etiam si tanta
tibi paupertas est, vt non habeas nisi vnum panem,
ex ipso tamen frange,& pauperi tribue, & egenum
(inquit)ac sine tecto, induc in domum tuam. Si ali-
quis ita pauper est,vt non habeat vnde tribuat cibū,
E vel in vno angulo domus suæ peregrino præparet
lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus fratres?
quam excusationem prætendere poterimus,qui am
plas & spatiosas domos habentes,vix aliquando di-
gnamur excipere peregrinum?Ignoratis,immo non
creditis,quòd in omnibus peregrinis Christus exci-
piatur.Sicut ipse dixit: Hospes fui,& suscepistis me.
Et quandiu fecistis vni ex minimis istis,mihi fecistis.
Laboriosum & fastidiosum nobis est, in pauperibus *Mat. 25.*
recipere Christum in patria nostra? timeo ne nobis
ille vicem reddat in cœlo, & nō nos recipiat in bea-
titudinem suam: contemnimus illum in mundo? ti-
meo,ne nos iterum contemnat in cœlo, secundum

illud quod ipſe dixit: Eſuriui, & non dediſtis mihi
manducare: hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me. Et quã-
diu non feciſtis vni ex minimis iſtis, nec mihi feciſtis.
Et quid poſthæc ſequitur fratres? auertat Deus à no-
bis. Hoc enim poſtea addidit dicens: Diſcedite à me
maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Dia
bolo & Angelis eius. Hæc ergo fratres chariſſimi, nõ
tranſitoriè, nec ſolis corporis auribus audiamus: ſed
fideliter attendentes, etiam vt alij teneant, & im-
pleant, verbo pariter & exemplo doceamus. Quid
Iſa. 58. ergo poſt hæc, dixit Dominus per Prophetam: Si vi-
deris (inquit) nudum, operi eum. Ego in hoc nemi-
nem iudico: vnuſquiſque attendat conſcientiam
ſuam, me tamen arguo & reprehẽdo, quia fortè ali-
quoties euenit, vt per negligentiam, veſtimenticula
mea quæ debuerunt accipere pauperes, deuoraren-
tur à tineis: & timeo, ne mihi ipſi panni ad teſtimo-
nium proferantur in die iudicij, ſecũdum illud quod
Iacob. 5. Iacobus Apoſtolus terribiliter increpat dicens: Agi-
te nunc diuites, plorate, vlulate in miſeriis quæ
aduenient vobis: diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, &
veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum &
argentum veſtrum eruginauit, & erugo eorum in
teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes ve-
ſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis ſuper terram, & in
deliciis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis. Hæc
omnia fratres chariſſimi, quæ per Apoſtolum com-
minatus eſt Chriſtus, licet nos nimium terreãt, non
tamen de Dei miſericordia deſperandum eſt. Ad-
huc enim ego & ſimiles mei negligentes, cum Dei
adiutorio poſſumus nos emendare, ſi volumus,
vt eleemoſynas quas huc vſque parcius feci-
mus, largius erogemus: pro peccatis præteritis cum
dolore & gemitu, & cum ſpe reparationis Dei mi-
Ieiuniũ ſi ſericordiam deprecemur. Ergo ſicut ſuprà ſuggeſſi-
ne eleemo- mus, fratres chariſſimi, ieiunia noſtra eleemoſynarũ
ſyna, eſt lu- pinguedo commendet: quia tale eſt ieiunium ſine
cerna ſine eleemoſyna, qualis ſine oleo lucerna. Nam ſicut lu-
oleo. cerna quæ ſine oleo accenditur, fumigare poteſt, lu-
cem habere non poteſt: ita ieiunium ſine eleemo-
ſyna, carnem quidem cruciat, ſed claritatis lumine a-
nimam non illuſtrat. Interim vel quod præſens agi-
tur fratres, ſic ieiunemus, vt prandia noſtra pauperi-
bus erogemus, vt quod pranſuri eramus, non in no-
ſtris ſacculis, ſed in viſceribus pauperũ reponamus:
quia manus pauperis gazophilacium Chriſti eſt:
quicquid accipit, ne in terra pereat, in cœlo reponit.
Quia quiuis cibus quem pauper accipit, licet con-
ſumatur: merces tamen boni operis, in cœlo recon-
ditur. Nam ſi prandia noſtra exquiſitis ſaporibus &
multiplicatis ferculis expendere ſtudeamus ad cœ-
nam, ſi corpori noſtro deliciæ non ſolum ſubtrahũ-
tur, ſed etiam duplicantur. Ac ſic quomodo corpo-
ri nihil minuitur, ſic animæ nihil augetur. Hæc fra-
tres, timens magis, quàm de vobis aliquid ſinſtrum
credens admoneo. Scio enim plures ex vobis Deo
propitio & peregrinos aſſiduè accipere, & pauperi-
bus frequenter eleemoſynas dare. Et ideo quod ſug-
gero ad hoc proficiat, vt qui faciebat, amplius faciat:
qui verò non faciebat, aut fortè tardius faciebat, tã
ſanctam ſibi & Deo placitam operationem in con-
ſuetudinem mittat. Et licet credam quòd Deo in-
ſpirante ſemper ſuperuenientibus feſtiuitatibus ca-
ſtitatem ante plures dies etiam cum propriis vxori-
bus cuſtodiat charitas veſtra, tamen licet ex ſuper-
fluo, etiam quod vos facere credo, charitatis contẽ-
platione commoneo vt per totam quadrageſimam
A & vſque ad finem Paſchæ caſtitatem (Deo auxilian-
te) ſeruantes, in illa ſacroſancta ſolennitate Paſchæ,
caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbati, orationi-
bus, vigiliis & ieiuniis, velut quibuſdam cœleſtibus
& ſpiritalibus margaritis ornati, non ſolùm cum a-
micis ſed etiam cum inimicis pacifici, libera & ſecu-
ra conſcientia ad altare Domini accedentes, corpus
& ſanguinem eius non ad iudicium, ſed ad remediũ
poſſitis accipere. Sed cũ de eleemoſynis loquimur,
non conturbetur anguſta paupertas. Omnia enim
compleuit, qui quod potuit, fecit: quia volũtas per-
fecta faciendi, reputatur pro opere facti. Sed hoc il-
le implere poterit, qui omnem pauperem quaſi ſei-
B pſum conſiderare voluerit: & ſic pauperi tribuit,
quomodo ſi ipſe in tali neceſſitate eſſet, ſibi fieri cu-
piebat. Hæc qui fecerit, & noui & veteris Teſtamen-
ti mandata compleuit. Implens illud quod in Euã-
gelio Dominus dicit: Omnia quæcunque vultis vt *Mat.7.*
faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter:
hæc enim lex eſt & Prophetæ. Ad quã veræ & per- *Luc.6.*
fectæ charitatis legem, pius vos Dominus ſub ſua
protectione perducat, cui eſt honor & imperium in
ſæcula ſæculorum, Amen.

PRO HIS QVI IN COENOBIIS SVNT. doctrina Abbatis Macarij, Homilia decimanona.

C

IN primis quidem ſi cœperit homo ſe-
metipſum agnoſcere cur creatus ſit, &
quæſierit factorem ſuum Dominum, tũc
incipiet pœniteri ſuper his quæ commi-
ſit in tẽpore negligentiæ ſuæ. Et ſe demũ benignus
Deus dat illi triſtitiam pro peccatis, & poſt hæc ite-
rum pro ſua benignitate donat illi afflictionem cor
poris, ieiunia & vigilias & orationum inſtantiam, &
contemptum mundi, vt libens illatas iniurias ſuffe-
rat, & in odiũ habeat omne refrigerium corporale,
& diligat planctum magis quam riſum. Poſt hæc,
D tribuit illi deſiderium planctus & fletus, atque hu-
militatem cordis, vt trabem oculi ſui conſideret, nõ
alterius feſtucam nitatur eruere: & dicat ſemper:
Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & pec-
catũ meum contra me eſt ſemper. Et vt diei exitus *Pſal. 50.*
ſui memor ſit, & quomodo in conſpectu Dei occur-
ſurus ſit, ſed & iudicia & pœnas deſcribat in con-
ſpectu mentis ſuæ, nec non etiam meritos honores
qui dantur ſanctis. Si autem viderit, quia hæc illi ſua-
uia ſunt, rẽtet eum ſi abrenunciat voluntatibus ſuis,
& reſiſtit aduerſus impugnationes huius mũdi prin-
cipis, qui vinxerat eum prius eſca variæ delectatio-
nis quæ mollire facit cor, vt rurſus propemodum
E vincere queat. Sed & laſſitudinem corporis & deſi-
derij longinquitatem dicentibus illi cogitationibus
ſuis, quanto temporis ſpatio hunc laborem ſufferre
poteris? Et quamdiu laboris ſit, vt mereatur quis ha
bitatorem Dominum habere, præſertim tu qui mul-
ta peccaſti: & quanta tibi poſſunt à Deo remitti pec-
cata? Si autem cognouerit, quia cor illius firmum eſt
in timore Dei, & non dimittit locum ſuum, ſed for-
titer reſiſtit cogitationibus, tunc veniunt illi ſub oc-
caſione iuſtitiæ cogitationes, dicentes: Peccaſti qui-
dem, ſed pœnitentiam egiſti, iam ſanctus es, & fa-
ciunt illum recordari quorundam hominum pec-
cata qui non egerunt pœnitentiam ſuperſeminan-
tes illi

tes illi in corde vanam gloriam. Non ſolùm verò
A hoc, ſed etiam faciunt quoſdam homines laudare eũ
ſubdolè, & prouocare ad opera quæ ferre non po-
teſt, immittentes illi cogitationes in animam nõ ve-
ſcendi & non bibendi, nec nõ & vigiliarum, & mul-
ta alia quæ dicere longum eſt. Et facilitatem ei ad
hæc perficienda tribuit, ſi quomodo eum ad hæc al-
Deut. 5. liceant, præcauente Scriptura & dicente, Ne decli-
& 17. naueris ad dextram nec ad ſiniſtram, ſed rectum iter
ingredere. Si autem benignus Deus perſpexerit, quia
Pſal. 16. nulli horum acquieuit cor ipſius, dicente Dauid &
de huiuſcemodi tentationibus ſignificante: Pro-
baſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examina-
ſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Et hoc perſpi-
B ciendum cur in nocte dixerit & non in die, videli-
cet quia circumuentiones inimici nox ſunt. Sicut
1.Theſ.5. beatus Paulus dicit, non eſſe nos filios tenebrarum,
ſed lucis, quia filius Dei dies eſt, Diabolus verò nocti
aſſimilatur. Si verò hæc omnia bella ſupergreſſa fue
rit anima, tunc incipiunt ſe illi immittere aduerſæ co
gitationes, fornicationes, deſiderium, & nefandum
ſtuprum puerorum. In his igitur omnibus infirma-
tur anima & cor tabeſcit, vt impoſſibilẽ ſibi credat
eſſe cuſtodiam caſtitatis, ſubiungentes illi (vt dixi)
tẽporis prolixitatem, virtutem laboris. Et quia grãde
ſit onus ipſarum & importabile, ſubiungentes illi
infirmitatem corporis & fragilitatem naturæ. Si au-
C tem ad has impugnationes nõ laſſauerit, tunc beni-
gnus & miſericors Deus immittit illi virtutem ſan-
ctam, & confirmat cor ipſius, & dat illi lætitiam &
refrigerium & poſſibilitatem, vt fortior inimicis in-
ueniatur, vt illorum aduerſus eum impugnatio non
præualeat, timentes eam quæ inhabitat in eo virtu-
tem. Sicut ſanctus Apoſtolus dicit, contendite, & ac-
cipietis virtutem. Hæc quippe eſt virtus de qua bea-
tus Petrus ait: Hæreditatem incorruptam, & immar
1.Pet.1. ceſſibilem, conſeruatam in cœlis, qui in virtute Dei
cuſtodimini per fidem. Tunc benignus & clemens
Deus, ſi viderit quia cor ipſius corroboratum eſt ſu-
per inimicos ſuos, paulatim ſubtrahit virtutem quæ
D illi opitulabatur, & concedit inimicis impugnare eũ
variis concupiſcentiis carnis, nec non vanæ gloriæ
cupiditatem, & ſuperbiam, & cæteras quæ ad perdi-
tionem pertrahũt, vt propemodum aſſimiletur na-
ui quæ ſine gubernaculo in ſcopulis huc illúcque of
fendit. Cum autem cor illius emarcuerit in his, vt
ita dicam, & defecerit ad ſingula tentamenta inimi-
ci, tunc Deus amator hominum, curam habẽs crea-
turæ ſuæ, immittit illi ſanctam virtutem, & cõfirmat
eum, ſubiiciens cor & animam & corpus ipſius, &
omnia viſcera eius ſub iugo Paracleti, ipſo Dño ita
Mat.11. dicente: Tollite iugum meum ſuper vos: & diſcite à
me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et ſic demum
E benignus ille Deus incipit adaperire oculos cordis
ipſius, vt intelligat quoniam ipſe eſt qui confirmat
eum: & tunc verè incipiet homo noſſe honorem
dare Deo, cum omni humilitate & gratiarum actio-
Pſal. 50. ne, ſicut Dauid dicit: Sacrificium Deo, ſpiritus con-
tribulatus: & manſuetudo efficitur cordium. Cùm
igitur in his omnibus fuerit probatus, tunc incipiet
illi Spiritus ſanctus reuelare cœleſtia: hoc eſt, quæ
ſanctis iure meritóque debentur, & in his qui ſpe-
rant ſuper miſericordia eius. Et tunc reputat homo
Rom. 8. ſecundum illud Apoſtolicum dicens: Quia nõ ſunt
condignæ paſſiones huius temporis, ad futurã glo-
riam quæ reuelabitur in nobis. Et illud Dauid: Quid
enim mihi reſtat in cœlo, & à te quid volui ſuper ter *Pſal. 72.*
ram? hoc eſt: ô Domine quanta mihi parauerás in
cœlo, & ego quid à te quærebam in vita mortali? Et
ſic etiam illi reuelat tormenta, quæ paſſuri ſunt pec-
catores: & multa alia quæ me tacẽte, vir ſanctus in-
telligit. Poſt hæc verò omnia, incipiet paracletus ini-
re pactum cum puritate cordis ipſius, & animæ fir-
mitate, & ſanctitate corporis, & cum ſpiritu eius:
humilitate facit eũ ſupergredi omnem creaturam,
& vt non loquatur os eius opera hominum, & vt re
cta oculis ſuis videat, & ori ſuam cuſtodiam ponat,
& iter rectum faciat greſſibus ſuis, & vt iuſtitiam ha
beat manuum ſuarum, hoc eſt operum & orationis
inſtantiam, nec non afflictionem corporis, & vigi-
liarum frequentiam. Et hæc diſponit cum eo in mẽ-
ſuram & diſcretionem, & non in turbulentiam, ſed
in quiete. Si verò mens ipſius diſpoſitionem Spiritus
ſancti contempſerit, tunc virtus quæ in eo collata
fuerat diſcedit, & ſiquidem pugnæ efficiuntur in cor
de eius, & conturbationes, & conturbant eum paſ-
ſiones corporis per momenta ſingula expurgatione
inimici. Si autem conuerſum fuerit cor eius, & ob-
tinuerit præcepta Spiritus ſancti, protectio Domini
fiet ſuper eum, & tunc homo agnoſcit: quia indeſi-
nenter adhærere Deo bonum eſt, & quoniam in ip-
ſo eſt vita eius, dicente Dauid: Clamaui ad te, & ſa-
naſti me. Et iterum: Quia apud te eſt fons vitæ. Igi-
tur ſecundum meum conſilium, niſi homo grandem *Pſal. 35.*
poſſederit humilitatem, quæ omnium virtutum cul-
men eſt, & cuſtodiam poſuerit ori ſuo & cordi ti-
morem Dei, & in eo quòd ſe probat extollere, cæte-
ris non ſe præferat, tanquam aliquid boni fecerit, &
iniurias ſibi illatas ſufferat, & præbeat percutienti ſe
aliam maxillam, & vt ad omne opus bonum violen-
ter erumpat, & vt animã ſuam in manu portet, qua-
ſi quotidie moriturus, & vt vana ducat omnia quæ
ſub hoc ſole cernuntur, & dicat: Cupio diſſolui, & *Philip. 2.*
eſſe cum Chriſto. Et: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mo *Gal. 6.*
ri lucrum: non poterit præcepta ſeruare Spiritus
ſancti.

CÆSARII EPISCOPI AD MOnachos, Homilia vigeſima.

MIROR fratres dilectiſſimi, Domi-
num meum Patrem veſtrum tanta
ſe humilitate deiicere, vt à me im-
peritiſſimo ſanctis & eruditis auri-
bus veſtris exhortationis velit pro-
ferre ſermonem. Per hãc enim ad-
mirabilem charitatem à me quaſi ab arente riuulo
viui roris guttulas deſiderat miniſtrare. Quid ergo
nunc faciam pauper dolens, vbi potero inuenire,
quòd vobis eſurientibus iuſtitiam poſſim apponere?
vbi, inquam, requiro, quod in mea facultate nõ ha-
beo? Beata prorſus tã ſancti Patris veſtri, quàm ve-
ſtra humilitas, quæ cùm iam penè virtutum meritis
altius ſublimari non poſſit, hac humilitate quo ad-
huc creſcere poſſit, inuenit. Benedicimus Dominum
noſtrum qui ſanctam inſtitutionem, & admirabilem
conſuetudinem loci huius, iugiter creſcere, & in ma
iori dignatur gloriæ cumulo ſublimare. ô fœlix &
beata habitatio inſulæ huius, vbi tam ſanctis quoti-
die, & tam ſpiritalibus lucris gloria Domini augetur,
& tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata
inquam, & fœlix inſula Lirinenſis, quæ cum paruu-

[*In sula Lirinensis eximios habebat monachos: & præstantissimos Sacerdotes prouinciis erogabat.*]

la & plana esse videatur, innumerabiles tamen mõtes ad cœlum misisse cognoscitur. Hæc est quæ eximios nutrit monachos & præstantissimos, per omnes prouincias erogat sacerdotes. Ac sic quos accipit filios, reddit patres: & quos nutrit paruulos, reddit magnos: quos velut tyrãnos excipit, Reges facit. Nam omnes quoscunque fœlix & beata habitatio ista susceperit, charitatis pennis ad excelsa virtutum culmina, Christo sublimare consueuit. Quæ res cùm pene in cunctis habitatoribus loci istius fuerit fœliciter cõsummata, tamen resistentibus meritis meis, in me nõ probatur impleta. Cùm enim paruitatem meam, hæc sancta insula, velut præclara mater, & vnica singularis bonorum omnium nutrix, brachium quondam pietatis exceperit, & non paruo spatio educare, vel nutrire contenderit: licet reliquos ad virtutum culmina euexerit, à me tamen quia cordis mei duritia contradicit, omnes negligentias auferre non potuit. Et ideo cum omni humilitate supplico, & tota cordis contritione deposco, vt quod negatur meritis meis, vestris orationibus suppleatur. Et ego peculiaris alumnus vester, sic precum vestrarum suffragiis adiuuari merear, vt hoc ipsum quod in isto sancto loco nutritus sum, nõ mihi iudicium pariat, sed profectum. Ego tamen charissimi fratres, dum precibus sancti patris vestri contradicere non præsumo, non paruam temeritatem excipio. Cúmque considero quis quibus loqui audeat, vel quales quátósque docere præsumat, sub grandi pudoris põdere humilitatis meæ conscientia contremiscit. Quid ergo dicturus sum sanctis, cùm sim ipse multis negligentiis occupatus? splendidis quid loquar obscurus? feruentibus tepidus? In portu fœlicissimo constitutis quid doceam in medio pelago mundi huius, nimiis fluctibus fatigatus, præcipuè Christi iugiter deliciis saginatis? ego famelicus, vbi inueniam quod dignè offerre præualeam? Attamen sanctis orationibus vestris adiutus, credo iam me inuenisse, quid facere debeam. Quid enim nisi sacrificium contriti & humiliati cordis exhibeam, vt quod in me implere non potest bonorum facultas, ipsa saltem obtinere possit humilitas. Ecce præparo exceptorium cordis mei influenti per vos aquæ diuinæ. Vos enim in veritate cognosco, de quibus Dominum dixisse, legitur: [*Io.7.*] Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quia ergo de vobis, tanquàm de spiritualibus fontibus aquas viuas manare & gaudemus & credimus, irrigate aridum & satiate famelicum, reficite lassum, abluite multis negligẽtiis inquinatũ, & quasi boni ac spirituales illius cœlestis medici, discipuli orationum suffragia ministrate, sublimium meritorum medicamenta porrigite. Et quia quod nos verbis tantummodo prædicamus, vos operibus implere gaudemus: obtinete, vt quia sumus vestri peculiares amatores, operum vestrorum, vel ex aliquo mereamur esse participes. Et quia de vestra cõuersatione non solum homines in mundo, sed etiã Angeli gratulantur in cœlo, sanctis precibus laborare contendite, vt cum vobis ante æternum iudicem meritorum vestrorum gloria tribuetur, nobis vel peccatorum venia concedatur. Et vt sancti Patris vestri precibus non ad integrum videar contradictor existere, cum grandi humilitate, & reuerentia etiam quæ vestra sunt insinuare præsumo. Supplici enim & humili charitate commoneo, vt Domino meo patri vestro, verum amorem semper impẽdere, & per-

A fectam charitatis obedientiam sanctitas vestra iugiter studeat exhibere, vt sicut vos gaudetis in Domino de sancti Patris vestri meritis, ita & ille gratuletur semper de profectibus vestris. Et quia pro sancta obedientia, & immaculata opera vestra vniuersus mundus admiratur vos, & diligit, & totius generis humani vos debitores esse cognoscitis, oportet vt honorem & amorem quem ab omnibus excipitis, assiduis orationibus & immaculatis actibus repræsentetis. Ab Oriente enim vsque ad Occidentem, & ab omnibus penè locis in quibus Christiana religio colitur, religiosissima vestra conuersatio ad Christi gloriam prædicatur. Iure à vobis exigitur, vt quod à vobis creditur, hoc probetur. Agite ergo Deo auxi- B liante quod semper egistis, & ita charitatem, mansuetudinem, vel obedientiam custodite, vt quod in vniuerso mũdo de vobis creditur immaculatis semper conuersationis operibus augeatur: vt quicunque vos videre meruerit, illam sententiam possit ex ore proferre quam protulit Regina illa, quæ in typum Ecclesiæ Salomonem desiderauit expetere: [*Regina Saba typus Ecclesiæ.*] vt cùm vos vnusquisque quasi Christi templa, viuentia bonorum operum margaritis ornata, orationum holocaustis impleta, virtutum aromatibus odorifera, meruerit contemplari, continuò in exultationis voce prorumpens, cùm Regina illa clamet & dicat: Verus est sermo quem in terra mea audiui de congrega- C tione insulæ huius. Ecce nunc in veritate probaui, quia mihi vix media pars fuerat nunciata: quia maiora oculis videre merui, quàm auribus prius audiui. Cùm ergo vos vnusquisque velut Angelos in terra positos expetere ac videre meruerit, & alia gaudens ex ore suo verba protulerit, & per totum mundum fœliciter nunciauerit: considerate, & videte, quanta & vobis gloria augetur, & per vniuersum mũdum, quam desiderabilis & sancta vniuersis Ecclesiis lætitia teneatur. Ante omnia fratres, corde vigilantissimo semper metuite, ne animis vestris cognatio illa subripiat, vt credamus, quòd vobis ad beatam vitam sola laus humana sufficiat: & non consideremus, D quales ipsi sumus, sed quales aliis esse videamur: ne fortè neglectis virtutum meritis, de sola opinione curemus, sed magis illam sententiam sæcularẽ quidem, sed valde vtilem cogitemus: vt vera laus ornat, ita falsa castigat. Et illud quod quidam de sapientibus, dixit: Si verè sunt laudes tuæ, præconia sunt: si falsa, conuicia. Sed vt hæc transeam, & tam præclara perfectio impleri possit, non paruo animi labore constabit. Quis enim sine labore posit à detractionibus amoueri, murmurationibus vel ociosis sermonibus finem imponere, cogitationum immunditias vigilantissimo corde repellere, à maledicto vel iuramento quasi à veneno mortifero abstinere, vanitati E resistere, iracũdiam refrenare? Quis est qui sine grãdi compunctione cordis, ambitum honoris, vel desiderium clericatus, veræ humilitatis amore repudiauit, ac respuit? Quis vnquam sine labore potuit sanctæ obedientiæ pia colla submittere? nunquam senioris arbitrium reprehendere? contra nullum hominem odium in corde seruare? non solùm fratres, sed omnes homines etiã, & persecutores, pro Christi amore diligere? pro bonis orare, vt semper sanctis operibus augeantur? pro malis supplicare, vt corrigi celerius mereantur? Quis autem sine labore poterit orationibus insistere? lectioni vacare? Quis (inquã) hæc omnia, sine gratia Dei & grandi intentione cordis

dis impleuit? Sed hæc omnia (fratres) donec in consuetudine mittantur, laboriosa esse videntur. Et (vt verius dicam) tamdiu impossibilia iudicantur, quãdiu humanis viribus impleri posse putantur. Cùm verò à Deo obtineri, & per Dei gratiam impleri posse creduntur, nec dura, nec laboriosa, sed leuia & suauia comprobantur: secundum illud quod Dñs dixit: Iugum meũ suaue est, & onus meũ leue. Quod iugum, quia iam à vobis feliciter portatur, & suauiter sustinetur, orate, vt eum etiam paruitas vestra suscipere, & vsque ad finem mereatur humiliter baiulare: vt cùm in illa æterna beatitudine vobis datur gloria, nobis vel peccatorum venia concedatur. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO SANCTI AVGVSTINI.
Homilia. XXI.

FREQVENTER diximus, Christiani persecutionem patiuntur. Mundus iste in maligno positus est. [*Io. 5.*] Aduersarius noster diabolus regnat in mundum, & nos putamus quòd non patiamur persecutionem. Quæ enim res non persequitur Christianum? Miramur, si nos persequuntur alij, si Christo seruire voluerimus, qui est omnium vita: & parentes nostri nos persequuntur. Quicunque dissimilis est nostri, persequitur nos & odio nos habet: & miramur si alij nos persequũtur, cùm ipsum corpus nostrum nos persequitur. Si comedero paululum, & corpusculum robustum fuerit, sanitas corporis mei persequitur animam. Quacunque me vertero, persecutio mihi est. Si videro mulierem, oculus meus me persequitur: Cupit interficere caro animam meam. Si videro diuitias, si aurum, si argentum, si possessiones: quæcunque videro & desiderauero, hoc persequitur animam meam. Non putemus effusionem sanguinis tãtùm esse martyrium. Semper ergo martyrium est. [*Semper martyriũ piis præsto est.*] Adolescentem libido carnis persequitur: vult occidere, & effundere sanguinem animæ. Sed quando periclitatur anima tua, & in grandi periculo est cõstituta: tunc oportet ieiuniis & orationibus in Dominum nostrum Iesum Christum animum firmiter stare, & non consentiamus morti. Si ergo sunt martyria in pacis tempore, sunt & negationes. Nemo ergo dicat, non esse martyrium: & martyrium est, & negatio est. Ego hodie, qui videor esse monachus, si rupero propositum meum, Christum negaui. Et si in pace Christum nego, in persecutione quid facerẽ? Si dum non torqueor, nec exuror, denegò: si torquerer & exurerer, quid facerem? Quæ enim plaga est, quæ debeat ab amore Christi separare? Quid enim dicitur tibi, hoc est, incendio ardebas, in eculeo pendebas, propter me torquebaris: & dicis, non potui sustinere tormenta? Quomodo sustinuit Petrus? Quomodo Paulus? Quomodo martyres cæteri sustinuerunt, & habuerunt corpora sicut tu habes? ô monache, qui ieiunium fugis, putas te ignem fugere? qui ebrietati consentis, credis te euadere aëreum serpentem? Hoc ego vobis dico, fratres: quoniam sunt omni tempore martyria, sunt & præuaricationes. Denique & Apostolus quid loquitur de viduis, quæ secundos duxerunt maritos? Quid dicit? Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. [*1.Tim.6.*] Viduæ quid dicit? ô vidua, antequam mihi promitteres quòd esses vidua, in tua eras potesta-

te vt nuberes: ex quo tempore confessa es, quòd mi- A hi permaneres, ex eo tempore mea esse cœpisti: si volueris secundum maritum ducere, me contempsisti. Sic & tu monache, antequàm mihi promitteres, in tua erat voluntate facere quod velles: vox tua ligauit te mihi. Nunquid te compuli? nunquid ex necessitate fecisti? nónne liber eras? in tua fuit potestate promittere. Promisisti, & meus esse cœpisti: meum, nolo dimittas, non tibi licet, ea licentia dimittere, quia mecum habes causam. Promittere, tuum fuit: dimitere, non est tuum. Si dimiseris, nõ te habeo in illo gradu, in quo te prius habui. Primùm liber eras, eras quidem de familia mea: non eras ante oculos meos, non eras de ministris meis, tamen e- B ras de familia mea, non eras mecum, sed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpisti, si recesseris, non te habeo de familia, sed certè fugitiuum & prȩuaricatorem. Non enim inuenies, vbi me posis fugere. Ideo hoc totum dico, quia in nostra est potestate Deo promittere: non est in nostra potestate dimittere. Promisisti, præmium habebis: negasti, pœnam habebis: vtrumque propter confusionem est. [*Eccl. 15.*] Dicimus iterum, atque iterum dicimus: Ecce ante oculos tuos via mortis, & via vitȩ: elige quod volueris. Hoc totum dico (fratres charissimi) ne quis de vobis putet, se habere liberam potestatem discedere & perdescendere cum diabolo in infernum. C Ergo ego, qui sum monachus, qui desij esse secularis, & factus sum monachus: [*Cæsarius monachus*] aut monachus saluor, aut aliter non saluor. Ipse sanctus Paulus quotidie clamabat, in voce Spiritus sancti: Fratres, nolite errare: [*Gal.6.*] Deus non irridetur: quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu & metet vitam æternã. [*Rom.6.*] Et iterum: An nescitis fratres, quia cui vos exhibuistis seruos ad obediendum, serui eius estis ei, cui obediistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam. Ergo suggerit diabolus, vt caro nostra adhuc obligamenta seculi blandiatur, vt peccemus, & D discedamus. Cogitemus ergo dies antiquos, & annos æternos ante oculos nostros ponamus: [*Psal. 76.*] & in pœnitentia inuocemus saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum, [*Eccl. 18.*] & ploremus, dicentes: Domine Deus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant, respice Domine secũdum misericordiam tuam, super nos: & rumpantur funes inimicorum nostrorum, vt nõ pereamus. Respice Domine, de sede sancta tua, & de consistorio maiestatis tuæ: & tenebras cordis nostri, radio tuæ lucis expelle. Protege nos Domine, scuto veritatis ac fidei tuæ, vt Diaboli iacula ignita non penetrent: vt quicquid illud est, quod iniquitas nostra de te pe- E tere non sapit, id tu Domine pro virtute causæ tribue, quò animas nostras saluet à morte. Hæc clamemus, & de Dei misericordia nõ desperemus: quia desperatio, certa mors est. Si ergo monachus peccasti, ergo miser monachus es, tamen monachus es. Nullatenus nobis licet mutare propositum, sed in pœnitentiȩ locũ reuerti. Nã in monasterio quicquid sunt seruorũ Dei, quicquid fecerint, si nõ propter vsus necessarios, sed propter ornatus, causa vel decoris alicuius, extra iussionẽ senioris, corripiatur: quia & in hoc vitiũ animos ægrotare cernimus, qui indumentis aut calciamentis, nõ vsui, sed decoris causa, volũt hominibus placere. Deus aũt hæc manifestissi-

mè declarauit: Omnis enim (inquit) arbor, de fructu
Mat. 7. suo agnoscitur. Et: Non omnes, qui dicunt mihi. Do- A
mine, intrabunt in regnum cœlorum, sed qui facit
voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit
in regnum cœlorum.

ITEM EIVSDEM CÆSARII EPI-scopi, vt sacerdotes prædicationi insistant, Homilia vigesima secunda.

INTER reliquas beatitudines, quas in Euã
Mat. 5. gelio Dominus & Saluator noster enu-
merare dignatus est, etiam hoc addidit,
dicens: Beati qui esuriunt & sitiunt iusti-
tiam, quoniam ipsi saturabuntur. Fœlices sunt qui-
bus istam præclaram famem, & desiderabilem sitim,
Deus donare dignatur. Quomodo autem esuritur
iustitia, fratres? Iustitiam esuris, si verbum Dei pa-
tienter & libenter audire volueris, de tali enim cibo
Eccl. 24. dictum est: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bi-
bunt me, adhuc sitient. Quamuis enim melius sit fa
cere, quàm nosse, prius tamen est nosse, quàm face-
re. Debet enim quisque dicere, quod optat implere.
Denique audi Scripturam dicentem: Omnis qui nõ
didicerit iustitiam super terram, veritatem non fa-
Sap. 1. ciet. Et iterum: Zelus apprehendet populum incre-
ditum, & ignis aduersarios consumit. Et hoc loco
ideò aduersarios ignis consumere dicitur, quia non C
de parte Christi, sed de parte diaboli, esse cognosci-
tur. Et iterum: Iustitiam discite, qui habitatis orbẽ.
Manifestum est ergo, quòd ipse esurit iustitiam, qui
discere optat iustitiam. Prius ergo debemus discere,
vt postea mereamur implere. Vt ergo iusta beatitu-
do per Dei gratiam impleatur in vobis, si in veritate
(vt credimus) & esuritis & sititis iustitiam, quoties
vobis verbum Dei tardius fuerit prædicatum, nolite
expectare vt vobis nos illud vltrò debeamus in-
gerere, sed etiam nos ipsi, quasi rem vobis ex iure
debitam fideliter à nobis ac sitienter exigite. Nam
si nos semper vltrò velimus offerre, & vos vel ali-
quoties tardius volueritis exigere, possumus ab illis D
qui periculum nostrum nesciunt, importuni forsi-
tan iudicari. Sed qui benè nouit, quàm grauè põdus
immineat cernicibus sacerdotum, intelligit quòd
quamuis assiduè verbum Domini prædicemus, red-
dimus quod debemus. Testificatur enim sacerdoti-
bus Spiritus sanctus per Prophetam: Clama, ne ces-
Isa. 58. ses. Non dixit, Clama post multos dies: sed, Clama,
ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuã, & annuncia
Ezech. 13 populo meo peccata eorũ. Et iterum: Si non annun
ciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius
de manu tua requiram. Et Apostolus: Memoriam
mei retinete, quia per triennium die ac nocte non
cessaui, cum lachrymis monens vnumquenque ve- E
Act. 20. strũm. Si Apostolus vt se apud Dominum exsolue-
ret, die noctúque verbum Domini prædicabat: quid
de vobis fiet, qui vix vel post paucos dies, commisso
nobis gregi, spiritualia pascua prouidemus? Et pro-
terea contestatur idem Apostolus: Testificor corã
Deo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & aduẽ-
2. Tim. 4. tum ipsius & regnum eius. Et quasi interrogares,
quare tam metuendam contentionem promitteret,
secutus adiũxit. Prædica verbũ, insta opportunè: im-
portunè argue, obsecra, increpa. Quid est opportunè,
importunè: nisi opportunè volẽtibus, importunè no
lentibus? Volẽtibus audire verbũ Dei, offerendũ est:
fastidientibus, ingerendum: ne fortè contra nos an-
te tribunal Christi stãtes, dicant, se à nobis non fuis-
se admonitos: & animarũ illorũ sanguis, de nostris
manibus requiratur. Vnde cum grandi timore & tre
more considerare debemus, ne ad nos etiam illa ter-
ribilis sentẽtia dirigatur, quam seruus ille audire me
ruit, qui acceptũ talentum duplicare noluit: Serue
(inquit) male & piger, quare non dedisti pecuniam Mat. 25.
meam nummulariis ad mensam, & ego veniens, cũ
vsuris exegissem illam? Et quod post hæc sequitur, a-
uertet hoc Deus à nobis: Inutilem (inquit) seruum
proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stri-
dor dentiũ. Quare (inquit) non dedisti pecuniam
meam. Pecunia, dilectissimi, non aliud intelligitur, B
nisi id quod in Ecclesia prædicatur. Nũmularij qui
pecuniam accipere debent, nõ alij, nisi populi Chri-
stiani. Sicut enim graue peccatum erit, ad mensam
cordis vestri non dedisse pecuniam Domini nostri:
ita è cõtrario, vnicuique nostrum nõ paruũ periculum imminet, si id quod verbis acceperit, bonis o-
peribus duplicare noluit. Quia ergo & nostrum &
vestrum periculum agnouistis, quoties euenerit vt
vobis verbum Dei tardius ministretur: si hoc mole-
stè accipitis, quomodo si corpori vestro cotidianus
eius victus substantiæ subtrahatur. Non enim apud
nos maior debet esse corporis fames, quàm animæ.
Nam quantum animam digniorem nouimus, tantũ
de eius victu maiorem solicitudinem habere debe- C
mus. Si. n. caro in die bis reficitur, quàm molestũ &
ineptum iudicet aliquis, si vel post septem dies ani-
ma Dei verbo pascatur? Quomodo enim caro refi- *Similitudo ex vaccis & vitulis accepta.*
citur cibo isto terreno, sic & anima pascitur Dei ver-
bo. Et ideò quoties vobis oblatum nõ fuerit, per san
ctam opportunitatem vestram excitate pigritiã no-
stram: & quod vobis ex iure debetur, exigite. Sacer-
dotes enim in Ecclesia, similitudinem habẽt vacca-
rum: Christiani verò populi, typum præferunt vitu-
lorum. Quomodo enim vaccæ per campos & prata
discurrunt, vineta & oliueta circumeũt, vt depastis
herbis ac frondibus, cibum lactis præparent vitulis
D
suis: ita sacerdotes, diuinis sanctarũ scripturarum mõ
tibus assiduè legendo, verbi Dei debẽt flores decer-
pere, ex quibus spiritualis lactis filiis suis valeant ci-
bum ministrare: vt possint partẽ habere cũ Aposto-
lo Paulo, qui dixit: Lac vobis potum dedi, nõ escã.
Non incõgruè (fratres charissimi) sacerdotes, vacca-
rũ similitudinem habere videntur. Sicut enim vac- 1. Cor. 3.
ca duo vbera habet, ex quibus nutriat vitulũ suũ, ita
& sacerdotes duobus vberibus, veteris scilicet & no
ui Testamenti, debent pascere populum Christianũ.
Considerate tamen fratres, videte quia carnales vac
cæ non solùm ipsæ ad suos vitulos veniũt, sed etiam
vituli sui eis obuiã currunt: & ita vbera matrum sua-
E
rum capite suo frequenter percutiunt, vt aliquoties
(si maiores vituli sunt) ipsarum matrum corpora de
terra subleuare videantur: attamẽ iniuriam ipsæ vac
cæ libenter excipiunt, dum vitulorum suorum cu-
piunt videre profectum. Hoc etiã boni Sacerdotes
debẽt fideliter desiderare vel cupere, vt filij pro salu
te aiæ suæ assiduis eos interrogationibus inquietẽt,
vt dum filiis pulsantibus gratia diuina tribuitur, etiã
Sacerdotib⁹ sanctarũ scripturarũ secreta reuelãtibus
æternũ præmiũ præpararetur. Hoc ideo dico, vt in no
bis, & in vobis, ista similitudo seruetur. Cupimus emi
à vobis istã desiderabilẽ inquietudinẽ assiduè susti-
nere, dũmodo aias vestras videre mereamur in christi

more

more proficere. Vnde, sicut nobis expedit, collectis
scripturarum floribus spiritualem cibum conficere:
ita & vos oportet cum grandi auiditate requirere.
Nam quomodo solent vituli, matrum vbera grandi
impetu inquietare, vt de interioribus earum, neces-
sarium sibi possint extrahere cibum: ita & populi
Christiani sacerdotes suos, velut sanctæ Ecclesiæ v-
bera, assiduè debent interrogatione piissima prouo-
care, vt sibi possint cibũ salutis acquirere, & victum
animæ suæ necessarium prouidere, ne fortè si & sa-
cerdotes tardius voluerint offerre, & populi nimiis
impedimentis mundi istius occupati non dignentur
inquirere, impleatur illud quod scriptum est: Mittã
(inquit) famem in terra, non famẽ panis, neque sitim
Amos 8. aquæ, sed audiendi verbum Dei. Credimus tamen de B
Dei misericordia, quòd ita & nobis studium legen-
di vel prædicandi, & vobis desiderium præstare di-
gnabitur audiendi, vt ante tribunal æterni iudicis,
& nos de prædicationibus nostris bonam possimus
rationem reddere, & vobiscum, pro benigna obe-
dientia & bonorum operum perseuerantia, ad æter-
na præmia mereamur peruenire. Præstante Domino
nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæ-
culorum, Amen.

EIVSDEM HOMILIA XXIII.

SIcut à nobis Dominus, pro suscepti officij ne-
cessitate, loquendi depoſcit officium: ita à nobis,
charissimi, audiendi requirit affectum. Ita (inquam)
charitati vestræ expedit, hísque pro salute vestra di-
cimus obedire, sicut nobis imminet nõ tacere. Nam
si nos offensam metuimus de silentio, quanto magis
vos tamen debetis expauescere de cõtemptu? Si (in-
quam) nobis grande periculum est, aliena peccata
non arguere, quantum periculosius, propria nolle
1. Cor. 1. corrigere? Ait quodam loco beatus Apostolus: Vi-
dete vocationem vestram, fratres. Non enim satis
prodest, quod istum locum expetiuimus, si tales su-
mus, quales in sæculo esse potuimus. Si enim be-
ne perspicimus, non solùm ista solicitudo ad per-
fectionis necessitatem, sed etiam ipsa congregatio-
nis multitudo constringit. Nam sicut pretiosum at-
que præcipuum est, in medio multorũ benè agere,
& plurimos ad profectum boni operis incitare: ita
periculosum atque pernicioſum est, negligentius a-
gendo multorum fidem frangere, multorúmque a-
nimas deprauare. Sicut (inquam) fructuosum est in
medio multorum positum, probabiliter viuere: ita
periculosum est, aliquid destructionis egisse. Hoc au
tem quare dico? quia quod peius est, facilius inuenimus: & ea quæ sunt deteriora, quàm qui meliora, se-
ctentur. Prona enim est ad imitationem mali, huma
na fragilitas. Quapropter non nobis sufficere credi-
mus, ꝙ nos in hanc insulam cernimus congregatos,
quia vehementius in nobis negligẽtias nostras pro-
fessa perfectio, quàm nec assumpta cõdemnat. Quia
secundum Scripturæ fidem, quibus multum com-
mittitur, multum necesse est repetatur ab eis. O quã
tis proderit, & quantis è contrariò oberit, loci hu-
ius opportunitas, & congruæ habitationis occasio.
Non enim in hoc loco benè dixisse laudandum est,
sed in hoc loco bene feciſſe. Rursum aspice, nũquid
nobis habitationis huius secretum aliquid prodest,
quando tyrannico dominatu malitia in nobis re-
guat? quando ira superequitat? quãdo maiorem no-

Humana fragilitas prona est ad imitationẽ mali.

bis metum humanus oculus quàm diuinus induꝛit? quando laudabilis vitæ extra mundum nos esse
credimus, & per diuersarum passionum vicia mun-
dum intra nos inclusum tenemus? Ita vt qui putaba
mus nos precibus nostris seculo ipsi succurrere, penè
necesse sit, vt videamus nos magis sæculi intercessio-
nibus indigere. Dubium quippe non est, quòd illa
anima quæ concupiscentia secularium voluptatum,
possessio efficitur mundanæ cõuersationis, non pos-
sit effici regnum diuinitatis. Ideò fratres, videte vo-
cationem vestram. Venire quidem ad eremum, sum-
ma perfectio est, sed non perfectè in eremo viuere,
summa damnatio est. Quid prodest, si locus quietus
tantùm corporaliter teneatur, & inquietudo in cor-
de seruetur? Quid (inquam) prodest, si in habitatio- B
ne silentium sit, & in habitatoribus vitiorum sit tu-
multus & colluctatio passionũ? Si exteriora nostra,
serenitas teneat: & interiora, tempestas? Non enim
ideò ad istum locum conuenimus, vt nobis mun-
dus famularetur, vt rebus omnibus abundanter
omni quiete frueremur. Non vtique ad requiem,
nec ad securitatem, sed ad pugnam huc veni-
mus, ad agonem processimus, ad exercenda cum
vitiis bella properauimus, vt linguæ gladios retun-
damus, vt non solùm inuicem nõ inferamus iniurias,
sed nec sentiamus illatas. Peculiarius autẽ istud ad
professionem nostram pertinet, nihil in hac vita cõ-
solationis requirere, nihílque quietis nec recipere, C
vel bona in vita sua, sed honores fugere, subiectione
atque abiectione gaudere, paupertatis studium quę-
rere, & non solùm facultates, sed etiam ipsas cupi-
ditates de cordibus eradicare. Nihil enim interdum
rei necessitatis est, nihil per auaritiam cupere virtu-
tis. Et ideo hunc sibi specialiter modum, religiosus
ponere debet, vt tantùm habeat, quãtum necessitas
posscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum resece-
tur, ardentior est in paruis, & plus torquetur in mi-
nimis. Et nisi ex toto corde & affectu pauper sis, pau
pertas ipsa non virtus, sed miseria iudicanda est. No-
ueritis itaque fratres, nihil prodest si carnem nostrã
D
iciuniis ac vigiliis affligimus, & mentem nostram nõ
emendemus: aut quæ interiora sunt, non curemus.
Quid enim prodest afflictio corporalis, si linguam
nequitiis & obtrectationibus polluamus? Nónne o-
mnes labores nostri, ad nihilum rediguntur? Nónne
omne opus nostrum, velut fumus atque vmbra eua-
nescit, & velut stupæ fauilla in nihilum redigetur?
O quanti, & quàm diuturni labores nostri subitò
pereunt: & quanta bona frequenter, iam acquisita
ac reposita, de manu rapiuntur: dum id quod quæ-
rere studuimus, aut augere aut custodire negligimus.
Quapropter, gratis nobis de corporis Cruce & pe-
ctoris afflictione blãdimur, si exterior homo noster
E
sanctis laboribus exercetur, & passionibus non cu-
ratur interior. Sic est, quomodo si aliquis statuam fa
ciat à foris auream, vel quomodo si domus magni-
fica arte cõstructa, à foris pulcherrimis coloribus de-
picta videatur, & ab intus Serpentibus & Scorpio-
nibus plena sit. Quid prodest quod affligis corpus
tuum, quãdo nihil proficit cor tuum? Valde dura &
nimis dolenda conditio est, omni intẽtione studium
laboris impendere, & fructum non recipere post la-
borem. Ieiunare, & vigilare, & mores non corrigere,
sic est quomodo si aliquis extra vineam aut circa vi-
neam extirpet aut colat, & vineã ipsam desertam &
incultã dimittat, vt spinas ac tribulos germinet, quę

Abstinẽtia corporalis sola, ad salutẽ nõ sufficit

insistente cultore iocũdissimos ex se fructus potuisset proferre. Agnoscite itaque charissimi, quod ad salutem perpetuam conquirendam abstinentia corporalis sola non sufficit, nisi & animæ quoque ieiunium per abstinentiam vitiorum fuerit sociatum. Quid enim iuuat, si sit quispiam corpore castus, mẽte & pollutus, quem malitia deprauat, quem furor iracundiæ facibus exagitat, quem superbia omni gratia dei expoliat, quem mendaciis vel maledictis lingua commaculat? Nónne ipse se fallit? Nónne ipse se irridet ac decipit, si credat se sine reliquis virtutibus, suis ieiuniis ac vigiliis sanctificandum? Et idcirco dilectissimi, ita corpus exerceamus ieiuniis, vt mẽrem purgemus à vitiis. Cogitemus illius iudicis incessanter aduentum, qui vtinam sic nos paratos inueniat, quomodo nemo potest dubitare quodveniat. Quòd si requiras quomodo veniet? In illo vtique corpore quòd pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum, & pro nostrorum vulnerum medicina lancea clauisque confixum est. Prima enim erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illius crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum nostrorum & maculæ libidinum proferentur? Aut quo putas vultu, respiciet redemptio nostra perditionem nostram? Tantum grauiora erunt humana delicta, quantum maiora se ostenderint diuina beneficia. Verendum est autem, ne illam vocem Resurrectionis preciosæ Crucis vestigia protestantem, etiam in iudicio suo ad vasa iniquitatis prolaturus sit: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quòd pro te impio pietas diuina perpessa sit. Illa vtique clauorum signa, bonis salutaria, malis terribilia, quæ vsque ad diem iudicij nõ delentur. Et post hæc quid sequitur, nisi illud interpositum inter viuos ac mortuos expaueſcendum chaos vastúmque discrimen, exclusæ à natura viuẽtium tenebræ exteriores, dura separatio à dulci intuitu sanctorum & à societate fœlicium: & è cõtrario, ire inter lachrymabiles gemitus planctúsque lugentium, & collegium triste miserorum, & ante beatam patriam æternum subire teterrimæ mortis exilium: quàm lugubre erit homini, Dominum videre & perdere, ante creatoris sui perire conspectum. Et ideo fratres charissimi, ista dum tẽpus est cogitantes & redemptoris nostri beneficia recolentes, ita cũ dei adiutorio indefesso studio laboremus, vt quod nobis obtulit iudicatus, integrum in nobis inueniat iudicaturus Iesus Christus Dominus noster qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Christus in proprio corpore ad iudicium venturus est.

Io. 21. Cicatrices vulnerũ christi vsque ad diẽ iudicij reseruãtur.

HOMILIA XXIIII.

Deut. 7.

AD locum hunc (charissimi) properãtes, non ad quietẽ, non ad securitatẽ, sed ad pugnam certaminẽque conuenimus. Ad agonem huc processimus, & ad exercenda cũ vitiis bella conuenimus. Vitia enim nostra, hostes nostri sunt, de quibus Scriptura pronuntiat, dicens: Caue, ne vnquam habeas cũ eis fœdus. Necessaria nobis est (fratres) peruigil cura, indefessáque custodia, quia cõflictus iste sine fine, hostis iste sine pace, vinci potest, & recipi in amicitiam non potest. Et ideò præliũ istud quod suscepimus, satis durũ, satísque periculosum quia intra hominẽ geritur, & nisi cum ipso homine non finitur. Ideo ergo nos adhæc tranquilla secreta & spiritualia castra cõtulimus, vt quotidie contra passiones nostras infatigabili congressione certemus, vt quotidie senioribus nostris voluntates nostras quasi famulas subiiciamus, vt cordis nequitias circuncidamus, vel linguæ gladios recõdamus: vt non solùm in inuicẽ non inferamus iniurias, sed nec ab aliis sentiamus illatas. Peculiariter enim ista ad professionem nostram pertinẽt, nihil honoris cupere, præsentium rerum solatia fugere, ad promissa æternæ remunerationis animum præparare, subiectione aut abiectione gaudere, paupertatis studium quærere, & non solùm facultates, sed etiam ipsas habendi voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdũ, rei necessitatis est: nihil autem cupere, virtutis. Illud etiam scire debetis, quòd qui inter vos vitam agere constituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel diligentes vel etiã negligentes tunt. Vnde fœlix est illa anima, quæ cùm benè in congregatione versatur, multorum gaudiũ est: & plurimi ex ea vel ædificantur vel illuminãtur. Bona enim eius, dum multis cõmunicantur, adduntur. Ad quod etiam sapientissimi illius sententia respicit, quæ dicit: Fili, si sapiens fueris, tibi & proximis tuis. Itaque si quis in congregatione positus, ad humilitatẽ sese patienter præbuerit, quantúmque ex se bonum proximis cõmodet, tantum in se lucra aliorũ conuertit. Si verò è contrario, per inobedientiã, vel superbiã, quæres (quod peius est) facilius inueniri solet, ad malum exẽplum suæ iniquitatis alios traxerit, quãtos destruxerit, de tantis periculis dãnationis incurrit. Quantis detrimentum fuit, de tantis damna contraxit: & peccatũ quod ab illa semel recessit, ad eum multipliciter redũdabit. Quamobrem sicut ille valde admirandus atque laudandus est, cuius cursus bonus multorũ, profectus est: ita ille meritò lugendus est, cuius vita mala multorũ ruina est. Ideò quod (fratres charissimi) quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio positi agere studeamus: ne vita nostra, aliorum virtutibus noceat: ne aliorũ feruorem, tepor noster debiliter: & ne aliorũ patientiam nostra iracũdia violet, ne aliorum humilitatem, superbia nostra deprauet: ne aliorũ sanitatem, infirmitas nostra corrũpat: ne aliorũ pulchritudinẽ, fœditas nostra cõtaminet: ne aliorũ ardentes extinguamus lampadas, si nostras illuminare non possumus. Et quidem stultæ illæ virgines, quãlibet stultæ essent, non tam alienas extinguere, quã suas illuminare cupiebant. Et ideo ad istarũ similitudinem, si cuiquã nostrum deest pinguissima gratia humiliatis, si fidei ignis, si flãma feruoris, si oleũ charitatis, si lumẽ discretionis, veniat ad eos quos magis abũdare perspexerit: & gratiã in se proximi nõ auferendo, sed imitãdo, transfundat: & bona possessionis alienæ, non solum sine dãno, sed etiam cũ lucro possessoris inuadat. Nunquã tibi deficit, quicquid alter de te proficit. Nunquã em̃ sentit damnũ luminis sui plurimus ignis accensus, nec minuit solis lucẽ considerantium multitudo. Quãti ad eũ perspexerint, tãtis munera sua cõmodat, & ipse tamẽ integer perseuerat. Benedicta à deo illa aia, cuius humilitas alterius confundit superbiã, cuius patiẽtia proximi extinguit iracũdiam, cuius obedientia pigritiã alterius tacitè increpat, cui⁹ feruor inertiã alicni teporis exsuscitat. Qui proximi sui turbatũ præ ira

Matt. 25.

Monastice professionis propria.

oculum

oculum cordis, gratia consolationis atque ædificationis illuminat, melius huic quàm illi, qui fratri paulum ab aliquo contristatum, non tam solatio suo porrecta manu subleuat sed titubãtẽ, sicut parietẽ inclinatũ, malilo quiorũ impulsũ adiuuat in ruinam: & salubriter pro disciplinæ ratione correptũ, per sinistra cõsilia sic incitat, vt allidat: sic armat, vt perimat, Itaque fratres, cui mala propria nõ sufficiunt, ille sic agat, vt iudiciũ etiã alienæ perditionis non incurrat. Certi sumus (charissimi) quòd nisi caueamus, nisi nostras quotidie resecemus & circumcidamus possessiones, deteriores multum nos effici, quàm sumus, dum in sæculo viueremus: ita vt fiant extrema nostra, peiora prioribus. Et quidem charissimi, quãdiu vt ad mundum pertinendo illic actibus, & negociis militabamus, in quibus nunc erubescimus, tunc nobis aduersarius non obstabat, imò etiam consentiebat: quia circa miserabilem ac perditam vitam nostram, nõ inueniebat in quo exerceret inuidiã suam. Delectabant illum opera nostra, sufficiebant illi per sinistra crimina & peccata. Quis enim suscipiet bellum contra militem suum? Quis velit impugnare subiectum suum? Sed & supra omnem infelicitatem erat vita illius, cui nocere non dignabatur inimicus. At verò nunc postquàm voluntatibus illius renũciauimus, videt cultores suos ad auctoris sui primum rediisse famulatũ: videt quodammodo idola sua in Dei templa mutari, frendens & tanquam leo rugiens, omnes nocendi aditus peruigil insidiator explorat. De quo leone Apostolus protestatur. Vigilate itaque, quia aduersarius vester diabolus, vt leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Beati igitur, quos hic oleo inquirendos iudicat: & sequendos vtique virtutum vestigiis & odore mericorum. Non enim ab illo inquiruntur non boni, quia se vltrò intanas pergerunt mali. Post illos violenter currit, istos etiam negligenter incurrit. Beati igitur quos hic leo inuidia cogitur quærere, & malitia non permittitur inuenire. Terribiliter quidem sonat in auribus nostris, dum audimus: Tanquam leo rugiens. Sed quia dictum est: Esca eius electi sunt, quod quærit, electionis est, quod rugit, desperationis. Sicut alio loco legimus: Dẽtibus suis fremet, & tabescet: ita hoc loquitur sermo diuinus, vt terrori coniuncta sit consolatio. Cruciati quidem est, quod frendit: sed victi est, quòd tabescit. Et inter hæc, quanta sint illa quæ à Deo præparata sunt homini, etiam liuor prodit inimici. Hæc itaque charissimi, cogitantes in hoc agone, desudantes, & glorioſi ac præclari patris nostri, nos & discipulos meminerimus esse & filios. Rapiamus vnusquisque quod possumus de bonis intestati parentis: hic de hæreditate eius assumat fidei holosericam, gestorum varietatem pretiosam. Hic mansuetudinis ac simplicitatis occupet talentum, ille decus pectoris beneuolentiæ ac sapientiæ monilibus sibi vindicet. Hic margaritam compunctionis, & thesaurum castitatis inuadat. Licet enim ille locupletissimus Dei amicus, quicquid habuit integrum secum tulerit: & nobis tamen si volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus bona illa illius sectantes, vt qui æternam gloriam suscitandus, sub fine sæculorum redditur: nunc Ecclesiam, per rediuiuam in filiis iam resurgat. Adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 11.

1. Pet. 5.

Bonos præcipuè Satanas persequitur.

Psal. 111.

HOMILIA XXV.

SICVT quidem spirituali militiæ, cui nos mancipauimus, magnam esse in futurum repositam remunerationem: sed si benè recipimus, in hoc ipso opere quod gerimus quodammodo, etiam in præsenti sæculo partem præmij possidemus. Et planè magnus vitæ fructus est, sæculum potuisse despicere, & ideo seruire cœpisse: euasisse vitiorum infœlicissimum dominatum, & fugisse gulæ atque luxuriæ fœdissimam seruitutem. Quid ergo, non iam magna pars præmij est, nihil commune habere cum mundo, vanarum rerum cupiditatibus non exercitari, sceleribus non admisceri, & cum innocentia diẽ trãsigere, beatæ castitati operam dare, glorioſæ paupertatis sufficientiam cum timore Domini possidere. De qua loquitur Sapientia: Melior est exigua portio cum timore Domini, quàm thesauri magni sine timore eius. Intelligamus itaque quantum nobis Dominus pia vocatione contulerit. Numeremus (si possumus) ex illo tempore ex quo hìc conuersari videmur, quanta peccata lucri fecerimus, de quantis fraudibus, de quantis adulteriis, rapinis, periuriis, sacrilegiis, nos Dominus liberauit: & tunc videbimus, quantum etiam de præsentibus beneficiis Domino debeamus. Si nunc in sæculo essemus, quid aliud ageremus quàm conuolueremur in malis nostris, & animas nostras quotidianis violaremus maculis, quotidianis confoderemus vulneribus, ita vt nec sentire possemus. Habet enim hoc infœlix consuetudo peccandi, vt quantum amplius vnusquisque peccauerit, tantùm minus peccata ipsa intelligat: & tantùm cũ plus peccare delectat, veniet illud quod Propheta peccatoribus clamat: Non est deus in cõspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quãdo subripit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio. Econtrariò autẽ, quantum quisque solicitior circa se fuerit, tantum plus metuit: sicut ait Scriptura: Sapiens timendo declinat à malo. Sapiẽs ergo semper in cõpũctione, & semper in metu est: & vt de præteritis suspirat malis, ita de futuris periculis peruigili solicitudine cõtremiscit. Qui de præteritis anxius est, & secũ cogitat ac reuoluit, ne fortè parũ defleuerit præterita, ne fortè nondũ satisfecerit pro innumerabilibus debitis suis, ne fortè magis ad veteres iniquitates noua posuerit vulnera, super antiquas cõscientiæ maculas, recẽtia adhuc crimina impresserit, & cõuersationis nomẽ adhoc asspserit, vt grauius sub sacra pfessione delinqueret. Aliquantum sufficere nobis putamus, quòd secretũ istud cõscendimus, quòd locum habitúmque mutauimus, quòd hìc aliquantum tẽporis duximus, spem omnem in annorum numerũ collocantes, ac si pernicioſa nosmetipsos persuasione fallentes, putamus quod mala nostra spatio temporis euanuerint. Et quia illa nos obliti sumus, credimus quod de memoria diuinæ seueritatis lapſa sint: sed nõ ita est. Oia apud illũ reposita atque signata sunt. Audiamus quid dicit ille, qui cũ ipso diabolo manu ad manũ singulari certamine dimicat beatus Iob: Signasti quasi in sacculo peccata mea. Et Dominus ait, Nónne hęc collecta sũt & signata in thesauris meis? Non putemus tàm facilè remitti posse illa illata semel crimina, & profũdo vulnere in animæ impressa visceribus. Multũ opus est fletus, multus gemitus, multę cõtritiones corporis ad sanãdos ipsos dolores cordis. Tota incũbẽdũ est spiritꝰ cõpũctione, vt vetu-

Timor Dei.

Satisfactio.

Monachi vestẽ mutabant.

Iob. 14.

Deut. 32.

Contritione magna, & satisfactione opus est pœnitentibus.

sta mala tanquam sagittæ quædam de conscientiæ visceribus euellantur. Non sufficit summis labiis dicere: Peccaui, parce & remitte. Et Saul dicebat, Peccaui: sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruerit. Et hoc quare? Quia confessionem illam nudam magis, quàm veri gemitus exprimebat: quia non compensabuntur cũ magnitudine criminis leuis humiliatio supplicãtis.

1. Reg. 15

Non leui agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec transitoria opus est satisfactione, pro malis illis propter quæ paratus est ignis æternus. Si volumus intelligere quàm graues apud se faciat iudex noster, hominum culpas, respiciamus ad pœnas. Quantum enim nunc patiens est Deus noster, in sustinẽdis delictis nostris: tam seuerus erit, in discutiẽdis actibus nostris. Et sicut inæstimabilem parauit improbis pœnam, ita inenarrabilem iustis collaturus est gloriã. Ergo suppliciorum acerbitatem è contrario de præmiorum magnitudine colligamus.

Merita.

Quia qui nouit remunerare merita, nouit punire delicta. Saluberrima ergo est ac multum necessaria, futuri iudicij recordatio & præteritorum commemoratio, vel deploratio delictorũ.

Iudicij futuri recordatio, vtilis.

Quòd si quis est, qui sibi de præteritis in læsæ vitæ meritis blandiatur, & adhuc innocẽtem à se transisse putet ad Domini seruitutem, & ideo credit se securum, iste talis respiciat quam incerti & quàm lubrici sunt exitus vitæ. De qua dicitur: Ne laudaueris hominem in vita sua: & cùm perspexerit iam se de præterito non habere quod lugeat, habet de futuro quod timeat.

Eccl. 11.

Nemo ergo de præteritis securus sit, tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes obseruant & custodiũt iter nostrum, tantæ foueæ & tam præruptæ, tantæ rerum difficultates interiacent inter nos & finem nostrum.

Mat. 7.

Via ipsa quæ per se arcta & ardua est, tantis spiritualium latronũ insidiis obsessa est, tantos nos scopulos, tantósque fluctus transire necesse est, vt ignoremus qui deueniat antequam anchoram oblatio in littore collocemus. Et tamen nos de præteritis debere esse securos, & sine quotidiana cura, sine quotidiano timore & tremore, diem nostrum debere transire. Quid transiens super alicuius profundi fluminis per arctissimi pontis angustias, etiam si maiorem partẽ inoffenso transierit pede, iam periculũ euasisse se credat: cùm in vltimi pontis spatio, si paululũ titubauerit, casum quẽ in medio spatio vitarat, incurrit.

Similitudo.

Sic nos etiã, si magna pars vitæ istius videatur fuisse transacta, non ideo fiduciam presumamus, cûm adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie positus ante finem certaminis, aut ante victoriæ securitatem arma deponat? Nemo ergo securũ debere se esse iudicet, antequàm ad finem fœlici consummatione perueniat. Nec hoc nobis sufficere putemus ad plenam salutem, quod inter seruos Dei vel habitatione censemur. Clamat enim nos Dominus noster: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Hoc quare? quia non auditores legis iusti sunt apud Dominum, sed factores legis iustificabuntur.

Mat. 7.
Rom. 2.

Vnde etiam & si benè viximus, cursum nostrum stabilitate & perseuerantia cõmendare debemus, in locum vocationis persistendo & perficiendo. Verè dico etiam, si hîc viginti, aut triginta annos Domino impendissemus, cui vtique totum nos scimus debere esse quod viuimus: vt satis vnum annum ageremus in sæculo, inæstimabile esset quantum nobis de æternæ vitæ gaudiis fraudaremus, quia spes nostræ omnes in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si mihi sata viridantia in herbis spem messis ostendãt, & me sub ipso falcis tempore subita vel aëris intemperie, vel pluuiarum inũdatione decipiat? Quid mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummationem subducat? Ideóque omnis prosperitas, omnísque laborum fœlicitas, in fine consistit.

Omnis fœlicitas in fine consistit.

Cùm autem etiam illis dolendum sit, qui hinc post multa laborum stipendia, post aliquantũ annorum profectum, aliquibus desideriis abstrahũtur: quid de illis erit, qui hîc quatuor aut quinque annis longissimum tempus credunt, & omnem reliquæ vitæ tractum, in sæculi vanitate consumunt? Cùm etiam vnus annus sæculi, labores nostros in eremo acquisitos, ita possit absumere, quomodo si mare magnum paruissimum intrasse riuulum recipiat & absorbeat, atque ei nec nomen relinquat, nescio ad quæ lucra velimus in sæculo viuere? Nã cùm hîc grande putetur damnum, non cotidie aliquid acquirere, illic grandis quæstus est putandus vel acquisita non perdere. Hic (inquam) graue detrimentum creditur, non quotidie proficere: ibi verò summa virtus est non perire. Ideóque si adhuc tenues ac pauperes sumus, hîc aliquid consequi elaboremus. Si verò aliquid consequuti sumus hic, illud reseruare curemus. Hoc solũ impẽdium & gaudium erit, quòd hîc Domino vixerimus, quia quandiu hîc cõsistimus, in arbitrio est cùm velis ad sæculum declinari. Cùm verò declinaueris, iam difficilè ac penè impossibile erit, ad locum iustum vel cogitatione respicere.

Liberum Arbitrium

Quòd si aliquis ideo securum se putat, de hoc loco aliquando posse discedere, quòd hîc benè cucurrerit, quòd hîc multum laborauerit: hîc talis agit, quomodo si aliquis oneratam mercibus nauẽ de portu soluat, & tempestatibus tradat, & ad scopulos atque saxa detorqueat. Quanto itaque laboramus amplius, tanto cautiores esse debemus. Proficientibus enim insidiatur inimicus: & vbi videt aliquam spem aut aliquam gratiam, ibi tanquam leo rugiens & circuiens ad inuadendam prædam totus incumbit. Et ideo quia positis nocere nõ præualet, vult aliquos minus cautos per cogitationes ac per diuersas tentationes ex hoc loco quodammodo, quasi extra castra producere, & quasi de eminentissima arce deponere: & cùm deposuerit, velut de loco superiori confligere, vt etiam si nauem mergere non potuerit, saltem ex detrimentis & damnis quæ abundant in sæculo, iocundissimam prædam referat.

Tentationum Diabolicarum progressus

Mittit primùm intentiones diuersas, indignitates, animositates: vt dum homo quod semel destinarit, atque in furore definierit, implere contendit: non cogitet damnum suum, non respiciat ad ruinam: & cum illum deposuerit, tunc ei in nihilum iam profutura pœnitudo succedit. Hîc sumus, aut enim cordis cogitationibus variis & improbis atque inhonestis agitamur, aut venenatis linguæ gladiis vulneramur, pro minimis & prauissimis rebus scandalizantes. Interdum etiam, quod monachum non decet, in lites & iurgia prorumpentes, interdum professionem nostram regulæ transgressione violamus, furtum inferre præpositis, imò animabus nostris, sub Dei oculis non timentes: cùm hoc quod agere sub præsentia præpositorũ veremur, sub

Dei

Dei oculis committere non debeamus: non contenti sumus necessariis, sed rursum per cordis teporem abundantiam quam in sæculo reliquimus, desideramus. Vnde non satis prodest, quod à nobis qualescunque facultates exclusimus, quando ipsę in nobis resident cupiditates. Inde est quod interdum de rebus prauissimis excitamur, prouilium rerum appetitu grauissimas contentiones mouemus. Hoc quare? quia licet reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus. Et inter hæc quomodo exultat aduersarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, vt minimis deformius vinceremur? Ideoque ea quæ foris posita, intus in animæ visceribus adhæserunt, radicitus euellantur. Vnde & Apostolus non dixit: Aurum vel argentum, radix est malorum omnium: sed magis, cupiditas diuitiarum.

1. Tim. 6.

Et non solùm diuites, sed, Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum ac tentationem. Rogar Apostolus, non solùm habentes sed & qui ipsam habendi consequitur voluntatem. Ideóque nihil proficit homo relinquendo quod extra se habet, qui vitia intra retinet. Itaque (vt dixi) fratres, hic sumus, & tuti non sumus. Et qui intra muros positi vix resistimus, in sæculum expositi quid faciemus? Qualiter stare poterit in fluctu atque in ipso colluctantium tempestatum impetu, qui tam grauiter periclitatur in portu? Ideóque in quantum possumus, stabiles simus in hoc tranquillissimo sinu: quia quamlibet tepidus in vacuum non currit, qui ad palmam consummationis perseuerando peruenerit. Adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

FRatres charissimi, ad hoc in istum locum conuenimus, vt Domino nostro vacare possimus: non his rebus, quibus noster delectatur inimicus. Certum est enim, quod quando ea quæ ad sæculum pertinent, loquimur, aut iniquis murmurationibus nos mordemus, ille horas nostras Deo subtrahit, & sibi gaudet acquiri. Quid prodest quòd nos preciosis vigiliis laboribúsque conficimus, & ea quę maximè Deus noster in nobis desiderat, non habemus? Hoc est, cor mundum & liberum ab istis minutis negligentiis. Quas qui non obseruat, paulatim defluit, & ad maiora prolabitur. Illud ergo in primis habere studeamus, quod in nobis Deus noster expectat: id est, suauem, benignumque sermonem, mentem ab omni maledicto, ab omni malitia liberam, & deuitatis his quibus Spiritus sanct⁹ offenditur, humilitati & quieti operam det. Hæc sunt præcipua sacrificia, hæc pinguia holocausta, quæ in conspectu Domini in odorem suauitatis ascendunt. Hoc etiam maximè studeamus, vt illa quæ in honorem Dei nostri agimus, cum hilari animo agamus, cum fidei gaudio & cum bonę ac deuotę volũtatis affectu. Quicquid verò inuiti atque compulsi facimus, nouerimus nos ex eo non solùm non habere profectum, sed maximum detrimentum. Faciamus alicui potenti viro obsequium soluere, quod vtique superioris personę à clientibus suis expectare consueuerat, nonne si nos videret homo ille, debitum sibi officium inuito atque extorto animo, & etiam cum quodam fastidio exhibere, non ne magis sibi factam iniuriam iudicaret, & exhonorari se potius quàm excoli pronunciaret, & huiusmodi negligenti atque indeuoto offensam potius crederet referendam quàm gratiam? Si ergo cultus hominis, deuotionem, fidem, atque hilaritatem requirit, vbi interdum melior est ille qui colitur, vbi nullum fructum officiositas ipsa consequitur: sed hoc solùm profectus est, si mereatur susceptus vocari, quanto magis nos in honore Dei nostri obseruare debemus, ne ad obsequia eius indeuoti atque compulsi, nec tristes, nec ingrati inuitique inueniamur, & non respecti. At Deus ad munera quę negligenti ac vili animo offeruntur, non respicit. Non enim homini, sed illius potius fides nostra seruituram se esse vel ipsam impendisse animã, parum debet videre, cuius obsequiis atque beneficiis, etiam ipsi Angeli in Paradiso confitentur: cui postremò cùm totum debeatur, nil tamen gratis soluitur.

Deo nihil gratis soluitur.

Pro hac ergo misera vita, laboribus & doloribus plena, in qua vsus breuis est, & ipsa breuitas semper incerta contendimus, in obsequiis homini placere, & pro illa vbi iam nihil laboraturi sumus, non contendimus, modò Deo deuotum seruitium impendere, quam vtique vitam etiamsi auctori suo offerre dissimulet, deuotio voluntatis, continuò à nobis est exactura lex mortis: & quod nõ datur ex voto, soluitur ex debito. Pro ista itaque vita, dabit illam vitam, quæ nec oculis potest cerni, nec tacita mentis cogitatione perstringi: quam vtique consequi est facilius, quàm enarrare: cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, refectio sine cibo, adiutorium sine defectu, requies sine nocte, ociositas sine senio, indeficiens sub vultu Dei charitas, & sub antiquis perpetuísque gaudiis semper noua iocunditas, & sine vllo amittendi periculo fœlicitas. Huius ergo vitæ dulcedinem relinquentes, iam nunc de futuris sæculis quotidie cogitando, etiam in hoc corpore prægustare conemur.

Vita æterna.

Et exclusa de sensibus nostris sęcularium desideriorum amaritudine, quendam beatitudinis illius dulcẽ saporẽ nostris cordib⁹ attraham⁹. Et discusso omni torpore omniq; pigritia, cuius mater est infidelitas, illa iã hilaritate, illa alacritate Domino ac Deo nostro illoque gaudio seruiamus, quo gaudio ad munera sua inuitante veniamus. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sęcula sęculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

VIdete vocationem vestram fratres charissimi, venire quidem ad eremum summa perfectio est: non perfectè in eremo viuere, summa damnatio est. Quid prodest, si in loco quies teneatur, & inquietudo in corde versatur? Si in habitatione, silentium sit: & in habitatoribus, vitiorum sit tumultus: & colluctatio passionum? Si exteriora nostra, serenitas teneat: & interiora nostra, tempestas? Solemus annos nostros, & spatia temporum, quibus nunc viuimus, supputare: Non te fallat, quicunque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti.

Tunc viuimus, cum proprias voluntates abnegamus.

Illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, quem sine vlla regulę transgressione duxisti. Illum diem vixisse computa, quem non malitia, non inuidia, non superbia contaminauit: quem non mendacij, non periurij culpa respersit. Illum diem vixisse te computa, qui purita-

tis & ſanctæ meditationis habuit lucem, quem non conuerſatio tenebroſa mutauit in noctem. Illum (inquam) diem applica ad vitam, cuius lucrum venit ad animam tuam. Solemus etiam nobis de corporalium vigiliarum aſſiduitate blandiri, qui poſt vigilias ac fortè de ipſis vigiliis, ad obtrectationes, ad verbo ſitates, ad murmurationes egredimur. Nam qui ſe de choro pſallentium ad comeſſationes inhoneſtas, bibitiones furtiuas, non ſolùm damnabili tranſgreſſione, ſed admirabili vtilitate ſubducit: multum eſt: & leuius, ſi ſobrietate dominante dormiret. Et ille qui ieiunans oneratum & prægrauatum pectus iracundiæ vel indignationis diſtrictione circunfert, quia vino ſe abſtinet: & ſenſibus, virus amarum amariſſimæ diſcordiæ ebrietate turbatur: qui (inquam) exteriori & ſalutifera poculorum parcitate ſe macerat, & interiora eius mortiferum virus odiorum eructuant: nonne in ſe Propheticas voces dirigi, iam etiam in preſenti vita prædamnatus intelligat. Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. Vel illud: Ex vinea eſt Sodomorũ, vinum eorũ, & vitis eorũ, ex Gomorra: vua eorũ vua fellis, & botrus amaritudinis in ipſis. Ita autem interdum Diabolus cùm aduertit animam fide vacuam, & Dei timore nudatam, ita diuerſis paſſionibus inebriat mentem, vt quando maledicimus, aut iraſcimur, aut obtrectamus, quando hæc agimus, aliis nos nocere, non nobis credimus. Sed nõ ita eſt. Nam vniuſcuiuſque vitij malum, in ſuum recurrit auctorem, ſicut dicit ſermo diuinus: Fili, ſi malus fueris, ſolus hauries mala tua. Suam linguam malilo quis maculat, ſuum cor obtrectator exulcerat, ſuæ mentis lumen iracundus obcæcat, ſuam inuidus animam velut tinea corrumpit. Et ſicut exulceratis parentibus naſcuntur viperæ, ſicut (inquam) naſci viperei fœtus diruptis matris viſceribus aſſeruntur, ita humana præcordia ipſis primitus quas conceperint paſſionibus dilacerantur. Illa (inquam) præcordia, de quibus vitiorum generatio ſerpentina profertur, ipſa primitus monſtruoſa partus fœcunditate violantur. De tali partu dicit ſermo diuinus: Ecce parturit iniuſtitiam concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Conuertetur dolor eius, in caput eius: & in verticem ipſius, iniquitas eius deſcendet. Elaborate ergo fratres chariſſimi, vt deinceps inter vos contentione laudabili, ac meliori tandem æmulatione certetis. Vnuſquiſque veſtrum in opere Dei ſtudeat eſſe promptior, in oratione frequentior, in lectione ſolicitior, in caſtigate ſit purior, in ſobrietate ſit parcior, in lachrymarũ largitate proſuſior, in corpore honeſtior, in corde ſyncerior: in ira mitior, in manſuetudine moderatior, in riſu rarior, in compunctione feruentior, ingrauitate fundatior, in charitate iucundior. Et ideo noſmetipſos caſtigemus quotidie, ipſi nobiſcum rationem de quotidiana cõuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecreto cordis vnaquęque anima, & dicat: Videam ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione ac murmuratione peregi. Videam ſi hodie aliquid, quod ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus ſum. Putò quod hodie illũ inſipienter deſtruxi, hodie ſeniori meo inobediẽs fui, mentitus peruraui, iravel gula victus ſum. Plus hodie riſi, plus cibo ac potu, plus otio ac ſomno quàm decebat indulſi. Minus legi, minus oraui quàm debui. Quis mihi reddat hunc diem, quem inanibus fabulis perdidi? Ac ſic fratres, de omnibus negligentiis noſtris compungamur in cubilibus: id eſt, in cordibus noſtris. Si ita egeritis, nos quidem de profectu veſtro lætificabimur, ſed vos de acquiſita ſalute gaudebitis. Nos vobis, pro ſalutis veſtræ acquiſitione ſubditis. Donet autem illius pietas, vt ita de ſermone noſtro proficiatis, vt nos viciſſim veſtris meritis adiuuetis, nobiſque ſitis & in preſenti ſęculo ornamentum, & in futuro præſidium. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Iſa. 58. *Deut.* 32. *Malum in Juos ſemper recurrit auctores.* *Pſa.* 7. *Monaſticæ exercitationes.*

HOMILIA XXVIII.

QVod ſupplicante, & quodammodo cum charitate, iubente ſancto patre veſtro, fraternitate veſtrę qualemcunque ſermonem profero: facio hoc non ex aliqua præſumptione, ſed ex vera & integra charitate: Et licet tam perfecti (Deo propitio) ſitis, vt monitione noſtra minimè egeatis, tamen imperante charitate, quæ neſcit timere, etiam quod optimè vos implere nouim⁹, ſuggerere & admonere cum vera humilitate & perfecta charitate præſumimus, non tamen ſine verecundia. Cùm nos nec idoneos nouerimus eſſe diſcipulos, ad opus ſanctum videamur excitare magiſtros. Cùm ſimus tepidi, cogimur admonere feruentes. Cùm ſimus peccatores, arguimus iuſtos. Cùm ſim⁹ imperiti, doctos inſtruimus. Cùm ſimus in pelago huius mundi, nimiis fluctibus fatigati, ad eos qui ad portum iam fœliciter peruenerunt, prædicationis verba proferimus. Sed tamen fratres, quia ſolent naues ſuperatis & deuictis pelagi fluctibus, etiam in portu tutiſſimo laborare, & nili grandis cautela fuerit, penè ſubmergi, cum ſumma humilitate, & ingenti reuerentia admonemus, vt quia vos Chriſtus de omnibus capitalibus criminibus, tanquam de periculoſis fluctibus liberauit, in portu quietæ beatitudinis conſtituti, paruas negligentias & minuta peccata, quæ ſic in animo conſuuunt, quomodo per minutiſſimas nauis rimulas inteſtinæ guttæ concurrunt, cum omni vigilantia (Chriſto adiuuante) exhaurire iugiter feſtinetis. Nam quomodo nauis, poſtea quã pelagi fluctus euaſerit, ſi in portu deſtinata non fuerit, de minutiſſimis guttis impletur, & mergitur: ſic & Monachus, deuictis & ſuperatis ſęculi tempeſtatibus, & mundi huius criminibus, quaſi periculoſis fluctibus, cùm ad portum Monaſterij venerit, ſi ſub repentina & minuta & quotidiana peccata de animæ ſuæ ſentina exhaurire neglexerit, in ipſo portu naufragij diſcrimen incurrit. Sed dicit aliquis, quomodo poteſt anima ſentinari. Vtique orando, ieiunando, vigilando, veram charitatem, veram humilitatem, & veram obedientiam exhibendo. Attendite fratres (queſ o vos) quomodo nauis ſẽtinatur à ſitula, ſic anima ab omnibus malis oratione Dominica liberatur, ſi dicat, & verum dicat: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui enim omnibus in ſe peccantibus clementer indulſerit, nullius peccati veſtigium, nullius macula remanebit. Attendite fratres, diligenter conſiderate quod dixi. Qui in ſe peccanti indulſerit: non enim dixit, quod qui in Dominum peccauerit, ipſi debeas indulgere: ſed qui in te peccauerit, illi debeas veniam dare. Quod peius eſt, aliquotiens qui in nobis peccauerit, aut tardè, aut difficilè veniam dam⁹. Qui in Dominum deliquerit, celeriter indulgemus.

gemus. Sed ſi volumus iuſtè agere, ille qui in Dominum peccauit, ſine ſeueriſſima diſtrictione non debemus penitus indulgere. Nedum illi per indiſcretã pietatem remittitur, exemplum perditionis aliis præbeatur. In ſua ergo ſe vnuſquiſque oſtendat eſſe clementem. Quia Dominus dixit: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Quando verò in Domino aliquis peccatum præſumit admittere, diſtrictionem debet monaſterialem ſuſtinere. Et hoc bono & pio animo debet fieri, vt per ſpiritalem caſtigationem corrigatur in hoc ſæculo, vt non pereat in futuro. Quia omne peccatum quod in hoc mundo non corrigitur, in futuro ſæculo punietur. Sic enim de filio, vel de ſeruo, ſcriptura Diuina commemorat: Tu (inquit) virga eum cędes, & animam illius de inferno liberabis: Et ideo (ſicut ſuprà ſuggeſſi) non ſolùm capitalia crimina caueamus, ſed etiam paruas negligentias quotidie, quaſi venena Diaboli, reſpuamus. Sunt enim nonnulli, qui poſt religionis profeſſionẽ, quia videntur exiſſe de ſæculo, nimia ſecuritate ſoluuntur: & impletur in illis illa ſententia Domini, qua dicitur: Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Quid eſt quod dixit, Vtinam calidus eſſes aut frigidus? hoc eſt dicere: Melius tibi fuerat aut in ſæculo remanſiſſe frigidum, aut in Monaſterio eſſe feruentem. Nunc autem quia & de ſæculo receſſiſti, & tamen feruorem ſpiritalem per negligentiam apprehendere noluiſti, tepidus effectus ex ore Domini vix iterum recipiendus euomeris. Et ideo fratres chariſſimi, cum Dei adiutorio ſententiam Diuinæ ſcripturæ diligenter attendite, qua dicitur: Omni cuſtodia, ſerua cor tuum. Sicut enim gaudendum eſt de illo qui ad Monaſterium veniens, manſuetudinẽ, obedientiam & patientiam voluerit mitis & humilis exhibere: ita & è contrario, lugendum eſt de illo qui corpore tantum de ſæculo exiſſe videtur, corde tamẽ in mũdo aut remanſiſſe infideliter, aut infeliciter rediiſſe cognoſcitur, & pro humilitate profert ſuperbiam, pro patientia iracundiam, contemptum pro obedientia: pro charitatis medicamento, malitiæ effundit venenum. Talibus conuenit illa beati Petri vera & multum timenda ſententia: Melius (inquit) fuerat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum conuerti. Et iterum: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti. Sed nec de talibus deſperandum eſt, fratres, quia potens eſt Dominus, orationibus veſtris ſcintillam compunctionis accendere, & omnem ſæculi voluptatem velut ſpinas & tribulos nequitiæ, ſalubri igne conſumere, illo itaque igne, de quo Dominus dixit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Orate ergo fratres dilectiſſimi, non ſolùm vt vobis Deus in bonis perſeuerantiam dignetur tribuere, ſed etiam illos qui negligentes ſunt iubeatur de fouea ſubleuare, & de laqueis eruere. Si enim vobis orantibus & cum charitate conſilium dantibus, quicunque ſunt tepidi, & negligentes fuerint emendati, duplicatum vobis Dominus premiũ & de veſtra ſalute & de illorum correctione recompenſare dignabitur. Nam nec illi qui boni ſunt, ſe debent quaſi de ſuis meritis extollere: nec illi qui negligentes ſunt, de Dei miſericordia deſperare: ſed illi cum humilitate, Dei dona cuſtodiant: & iſti cum grãdi compunctione, celeriùs ad pœnitentiæ vel correctionis medicamenta confugiant, quia bonus eſt: ſi ſuperbire cœperit, citò humiliabitur. Et qui ſuperbus eſt, ſi ſe humiliat, per Dei miſericordiam ſubleuatur. Tantum eſt, vt non ſe permittat amplius duriſſimo Diaboli iugo premi: nec nimia & periculoſa diſſimulatione, in peccatis perſeuerans diutius obdurare: ſed & tam citò confugiat, vt in ſe peccati veſtigium non relinquat. Optimè calidis adhuc vulneribus malagma vel fibula apponitur: quia ſi vè lox fuerit, ad cœleſtem medicum intentio reſurgendi, veſtigium nõ poterit remanere collapſi: quia ſub manu omnipotentis medici, & citò perit morbus, & velociter ſanatur ægrotus. Iterum atque iterum rogo & admoneo vos fratres, vt obedientiam, humilitatem atque charitatem, non ſolùm ſenioribus & coæqualibus, ſed etiam iunioribus exhibere iugiter ſtudeatis: quia quęliber bona ſeruus Dei habere contenderit, omnia infeliciter perdet, ſi in illo humilitas & charitas nõ fuerit. Nolite murmurare, quia ſcriptũ eſt, quod murmurãtes à ſerpẽtibus perierũt. Nolite detrahere fratribꝰ, quia ſcriptũ eſt: Qui detrahit, eradicabitur. Nolite iracundiam in corde ſeruare, quia ſcriptum eſt: Ira viri, iuſtitiam Dei non operatur. Nolite vos inuicem odio habere, propter illud quod ſcriptum eſt: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Sed opus non eſt, vt diutius ſanctam charitatem veſtram verbis doceamus, quæ vos ad Chriſti gloriam operibus implere & cognoſcimus, & gaudemus. Hoc ſolùm ſpecialiter perimus, vt qui vos in quietis & tranquillitatis loco collocare dignatus eſt, pro nobis, quos ſęculi iſtius tempeſtates & innumerabiles fluctus affligunt, abundantius à Domino ſupplicetis: vt ſi nobis, quia non meremur gloria, non detur, ſaltem vobis orantibus, peccatorum venia tribuatur. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſęcula ſęculorum. Amen.

Matth. 7. & 18. *Apo.* 3. *Prou.* 4. *2. Pet.* 2. *Luc.* 12. *1. Cor.* 10. *Humiliitas et charitas potiſſimum requiſita.* *Prou.* 13. *Iaco.* 1.

ADMONITIO DE ORATIONE, VEL ſermonibus otioſis, Homilia Vigeſimanona.

DIcet in multis rebus (fratres chariſſimi) nos, Deo propitio, veſtra operatio lætificet, & de veſtris profectibus frequentius gaudeamus: tamen ſunt aliqua, de quibus veſtra charitas debeat admoneri: & ideo rogo, vt ſuggeſtionem noſtram, ſicut conſueuiſtis, libenter accipiatis. Gaudeo fratres dilectiſſimi, & Deo gratias ago, quia vos ad audiendas lectiones diuinas video ad Eccleſiam fideliter currere: ſed ſi & profectum veſtrum, & gaudium veſtrum complere ad integrum vultis, maturius conuenire debetis. Nam in tam prolixis noctibus, quem non infirmiras detinet non ſine reatu animæ ſuæ, tardius ad Eccleſiam venit. Rogo vos fratres, ſi inſtitores, aurifices, maturius vigilãt, vt poſſint corporis neceſſaria prouidere: nos non debemus ante lucem ad Eccleſiam ſurgere, vt peccatorum indulgentiam mereamur accipere? Si negociatores vigilare ſolent pro lucro pecuniæ, nos quare non vigilemus pro amore vitæ perpetuæ? Interdum aliqui ventis ſe tempeſtatibuſque committunt & nauigant ab Oriente vſque ad Occidentem, & ab Occidente vſque ad Orientem, ſuſtinentes pericula multa, interdum etiam famem ac ſitim amariſſimè tolerantes: ſi hæc omnia illi patienter ſuſtulerunt, propter ſubſtantiam perituram: nos quare pigeat vigilare, propter vitam æternam? Et ideo rogo

Nocturne vigilie.

vos, vt & maturius veniatis: & cùm veneritis, magis orare vel psallere, quàm otiosis vos vel secularibus studeatis fabulis occupare. Qui enim ad Ecclesiam veniens verbosare voluerit, melius illi fuerat non venisse: quia dum se infructuosis fabulis occupat, nec ipse psallit, nec alios psallere, aut lectiones diuinas audire permittit. Qui talis est, si cum paruo peccato ad Ecclesiam venit, cum maiori ad domum propria redit: quia ibi se verbosando studuit vulnerare, vbi psallendo vel orando & sibi & aliis medicamenta potuit prouidere. Ante omnia fratres charissimi, quoties orationi incumbimus, cum silentio & quiete supplicare debemus: quia quicunque voluerit cũ alta voce orare, omnibus iuxta se stantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tantum & suspiria vel gemitus audiatur. Nam oratio nostra talis esse debet, qualis fuisse legitur sanctę Annæ matris beati Samuelis. Sic enim de illa scriptum est: Quia flens orabat, & labia eius tantummodo mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Audiant hæc omnes, & imitentur præcipuè illi, qui ita alta garrulitate, sine vlla verecundia, cum strepitu vocis orant, vt iuxta se alios orare non permittant. Oremus ergo (sicut dixi) cum suspirio & rugitu vel gemitu, secundum illud Propheticum: Rugiebam à gemitu cordis mei. Oremus (inquam) non voce sonante, sed cõscientia ad Dominum clamante. Orantes autem (fratres charissimi) quantum possumus, adiuuante Domino, laboremus, vt nulla nobis extranea cogitatio subripere possit: ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore: ne fortè dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab orationis sensu discedat: & inde acquirat peccatum, vnde potuit habere remedium. Si enim apud aliquã personam potentem velles aliquam causam necessariam allegare, & subitò auersus ab illo, media interlocutione dirupta, aliquibus te velles scurrilitatibus occupare, qualem putas iniuriam illi personæ cum qua loquebaris, inferres? aut quomodo contra te, illius iracundiam commoueres? Si ergo cum homine loquentes, tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes, illi cum quo loquimur iniuriam facere videamur, cum Deo in oratione loquentes, & ante tãtam maiestatem, peccatorum nostrorum miserias allegantes, non nos pudet, & non erubescimus, captiuis sensibus huc illucque discurrere, & infœlicem mentem multis occupationibus à conspectu diuinæ maiestatis abstrahere? Et ideo vnusquisque antequàm in oratione procumbat, omnes cogitationes superfluas ab animi sui intentione, Deo auxiliante, repellat: vt anima nostra sancti Spiritus feruore succensa, omne vitium compunctionis vel orationis igne consumat, & vagas ac volaticas cogitationes longè dispergat, vt solę virtutes tantùm, & sanctæ meditationes in cordibus nostris, locum semper inueniant. Considerate fratres charissimi, quęso vos, & videte quàm sit dura ista captiuitas, vt lingua quasi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram & parietes vel lapides dirigatur. Et si ista quæ licite alio tempore vel cogitare possumus, vel videre, nimis durum est si nobis in oratione subripiant: put as illa, quæ etiam alio tempore illicitè cogitantur, quãtũ mali erit, si ea in oratione positi cogitemus? Id est, si cupiditatem, si odium, si iracundiam, aut luxuriam, vel adulteria, & cætera his similia inclinati, ad orationem ante cordis nostri oculos proponamus. Vnde fratres charissimi, totis medullis conscientiæ Dominum deprecemur, vt nos ab ista ludificatione dæmonum liberare, & peccatorum nobis indulgentiam donare dignetur. Et ideo dilectissimi fratres, iterum atque iterum rogo, si fieri non potest, vt istas captiuitates animæ ad integrum possitis euadere, vel quantum possimus, auxiliante Domino laboremus, vt ei vel tardius occurrere non videamur, fortè per negligentiam, dum orantes aliud cogitamus, inde apud Dominum inueniamus offensam vnde poteramus acquirere gratiam. Oremus ergo fratres, non solùm pro nobis, sed etiam pro omnib. vbicunque sunt Christianis: nec solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis Dei misericordiam deprecemur. Et quia beatus Apostolus dicit. Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Hoc semper pro nobis, & pro omnibus aliis supplicemus, vt nobis Deus hoc dignetur concedere quod nouit nostræ animæ conuenire. Ante omnia fratres, rationem Dominicam in oratione dicamus: quia sine dubio libenter orationem exaudit, qui ipse pro ineffabili sua benignitate instituit. Hæc ergo (fratres charissimi) si Deo inspirante, sicut consueuistis libenter accipitis, & quantum Deus vires dat, implere contenditis: & nobis facitis gaudium, & vobis præparabitis regnum. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui regnat cum Patre & cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio qualis esse debeat.

1. Reg. 1.

Psal. 37.

Rom. 8.

DE GENIBVS FLECTENDIS IN ORAtione, vel de verbis ociosis, Homilia trigesima.

Rogo vos & admoneo fratres charissimi, vt quotiescunque iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solùm corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo Diacono clamante: Flectamus genua: maximam partem populi, velut columnas erectos stare conspicio: quod Christianis dũ in Ecclesia oratur, omnino nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, sed propter vos diaconus clamat. Et ideo quia ad vos specialiter vox illa, vel maximè ad negligentes dirigitur, iustum est vt à nobis fideliter impleatur. Sit ergo vox illa, obedientibus in remedium: quia inobedientibus erit in testimonium, propter illud quod scriptum est: Maledictus quifacit opus Dei negligenter. Sed & illud timẽ dum est fratres, quod Apostolus dixit, & omnimodis obseruandum: Instate orationi, vigilantes in ea. Et iterum: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Et Dominus: Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem. Et iterum. Oportet semper orare, & nondeficere. Et ideo, qui pro aliqua infirmitate non potest genua flectere, vel dorsum curuare, caput non pigeat inclinare, considerans per hanc humilitatẽ, publicanum illum Dei misericordiam consecutum, qui ad cœlum leuare oculos non audebat, sed inclinato in terra capite, pectus tundebat: & peccata intus inclusa, quasi iudex seuerissimus, verberabat. Et ideo meruit, vt de eo Dominus dicere dignaretur: Descendit hic publicanus iustificatus magis quàm ille Pharisæus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Exemplũ etiam ipsius Pharisæi considerandum est, & timendum, ne per eũ qui stans orauerit, ideo non meruerit exau-

Clamor Diaconi, flectamus genua.

Col. 4.

Matt. 26.

Luc. 18.

1. Tim. 6.

exaudiri. Sed fortè sunt aliqui, qui ideo genua nolunt flectere, quia se credunt peccata gratia non habere. Auertat hoc Deus à sensibus Christianis. Ipse periculosius peccat, qui se grauiter peccare non putat. Et nunc maximam expugnationem sustinet, quãdo se impugnari non sentit. Sed dicit aliquis: Quis est qui se peccatorem non credat? Sine dubio, ille se peccatum graue habere non credit, qui prostratus aut incuruatus, animæ suæ remedium non requirit. Sed fortè timet aliquis, ne preciosis vestimentis suis iniuriam faciat. Qui timet, ne orando inquinet vestimenta sua: plus timeat, ne non orando sordida remaneat anima sua. Plus enim apud nos debet valere anima nostra, quàm tunica nostra. Et valde timendum est, ne dum vestis nitida custoditur, multis peccatis ac negligentiis anima sordidetur. Vellem tamẽ scire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi satis necessarium, aut à iudice, aut ab aliqua potenti persona, experenter, vtrum stantes & recto capite negligenter & repidè supplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope vsque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capita nostra inclinare dignamur. Non ita legimus de Beato Helia & Heliseo, vel cæteris sanctis, de quibus legitur, quòd frequenter prostrati in terram, ad Dominum cum omni contritione orauerint. Et de ipso Domino nostro, in Euangelio scriptum est: Quod procidens in terram ita orauerit, vt ab eo guttæ sanguinis stillarent. Quid enim indigebat Christus, vt taliter supplicaret? Non ille quicquam indigebat, sed nobis exemplo suo, orationis remedia præparabat. Orat misericordia, & non orat miseria. Orat charitas, & non humiliatur iniquitas. Prostratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus. Orat innocentia, & non orat nequitia. Orat qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius: & non se prosternit, multis peccatis obnoxius. Orat iudex, & desiderat parcere: & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere. Orat iudicaturus, & orare dissimulat iudicandus. Non ergo pigeat, si infirmitas non prohibet, vt se vnusquisque in terram prostratus humiliet. Ad Ecclesiam fratres, quasi ad fotem viuum & ad spiritualem fluuium conuenire debemus, vt accipiamus aquam illam viuam, de qua Dominus dixit: Qui sitit, veniat & bibat: qui credit in me, flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ vitæ. Et iterum: Qui biberit aquam, quam ego dabo, non sitiet vnquam: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ad istum ergo fontem fœliciter currit, quicunque ad Ecclesiam fœliciter venit. Sed sicut de fonte terreno & corporali fluuio, non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare: ita & de viuo fonte Christo, & sancti Spiritus fluuio, nemo aquam viuam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et illud similiter admoneo, fratres, charissimi, quoties diaconus clamauerit, vt vos ad benedictionem inclinare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis: quia benedictio nobis licet per hominem, non tamen ab homine datur: nec attendatis, si fortè negligens est qui exhiber: sed Dominum respicite, qui transmittit. Benedictio enim quæ vobis datur, ros & pluuia cœlestis esse cognoscitur. Sic enim & Moses ait: Expectetur sicut pluuia eloquium meũ & sicut ros verba mea. Et optimè nostis fratres, quia pluuia si mõtẽ nimis erectum inuenerit, citò in vallem decurrit. Et ideo, qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles faciunt, ipsi pluuiam diuinæ benedictionis accipiunt, & implebitur in eis illud quod scriptum est: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Quid est, Omnis vallis implebitur, nisi, Omnis qui se humiliat, exaltabitur? Quid est, Mons & collis humiliabitur: nisi, qui se exaltauerit, deprimetur? Ipsi tamen in oratione genua flectere, vel capita sua benedictioni dissimulant inclinare, qui stantes in Ecclesia, magis eligunt verbosari quàm psallere. Vnde rogo vos fratres, admonitiones, immò preces nostras, libenter (sicut consueuistis) accipite: & venientes ad Ecclesiam, hoc solum quòd in Ecclesia expedit fieri, agite: id est, aut orate, aut psallite: vt orando, peccatorum veniam accipere, & psallendo, ad spiritualem possitis lætitiam peruenire. Qui in Ecclesia ineptis & incongruis fabulis occupatur, quasi venenum & gladium reliquis hominibus ingerere vel præbere cognoscitur, dũ verbũ Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Qui enim talis est, & pro sua & pro aliorum destructione, in die iudicij redditurus est rationem. Sicut enim fideliter psallentes, & humiliter supplicantes, & pro se & pro aliis, quibus exemplum vitæ præbuerint, accepturi sunt gloriam: ita illi qui è contrario, non ædificationis, sed destructionis exempla præbuerint, & pro se & pro aliis passuri sunt pœnam. Qui psallere dissimulat, vel taceat, & silentium præbeat, vt si se non ædificat, vel alios exemplo malo non destruat: quia timendum est illud, quod Dominus in Euangelio dicit: Omne verbum ociosum, quodcunque loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Rogo vos fratres si extra Ecclesiam occupari ociosis sermonibus malum est, putatis in Ecclesia verbosari qualè peccatũ est? Diabolus enim (fratres charissimi) tunc nos maximè impugnare consueuit, quando nos contra se spiritualibus armis præparatos esse cognouerit. Et quia nos non potest corporaliter de ecclesiæ conuentu repellere, in ipsa ecclesia infructuosis nos studet sermonibus occupare, vt nobis per inanes & vacuas, aut fortè etiam mordaces collocutiones, ac sordidas cogitationes, Diuinæ lectionis fructum, vel orationis remedium possit auferre: vt corpore tantũ videamur in Ecclesia stare, & corde vel cogitatione longè à conspectu diuinæ maiestatis abscedere. Et ideò quantum possumus, cùm Dei adiutorio contra illius insidias repugnemus: secundum illud quod ait beatus Apostolus Petrus: Aduersarius noster Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite, fortes in fide. Et illud quod scriptum est: Subditi estote Deo, resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis. Quapropter (fratres charissimi) rogo vos, vt contra istas durissimas captiuitates animæ, auxiliante Domino, quantum possumus, repugnemus: & ociosas fabulas, quas etiam extra Ecclesiam noxias esse nouimus, præcipuè intra Ecclesiam, quasi venena Diaboli fugiamus. Et quotiescunque diaconus clamauerit, vt aut in oratione genua flectere, aut benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter & fideliter cum vera humilitate faciatis: vt orando, pectora vestra à malis omnibus liberari, & benedictionem accipiendo bonis spiritualibus mereantur impleri. Præstante Domino nostro Iesu

Oratio sit cum inclinatione, aut genu flectione.

Isa. 40.

Luc. 3.

Ioel. 2.

Matt. 12.

Fructus orationis, & lectionis.

1. Pet. 5.

Iacob. 4.

Christo cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ITEM HOMILIA XXXI.

SI diligenter attenditis (fratres dilectissimi, vel venerabiles filij) euidenter agnoscitis, quod nullus hominum sibi soli viuit, & nullus sibi soli moritur. Quod etiam Paulus Apostolus similibus verbis confirmat, dicens: Quia nemo sibi viuit, & nemo sibi moritur. Omnis enim homo quantiscunque exemplum sanctæ conuersationis præbuerit, cum tantis & pro tantis ad præmia æterna peruenerit. Et contra, qui exemplum malæ vitæ & perueræ actionis ostenderit, quantiscunque suis malis moribus ad iniqua opera prouocauerit, cùm tantis & pro tantis perpetua supplicia sustinebit. Nos verò non solùm exemplum malè viuendi cæteris non præbeamus, sed etiam sancta & salubri admonitione ad humilitatem & charitatem vel obedientiam iugiter prouocemus. Non simus de illis, qui irascentibus vel furentibus quibuscunque fratribus aut sororibus, malis consiliis solent pabulum superbiæ ministrare dicentes: quod non debeant tanto tempore abiecta se humilitate deiicere. Non simus de talibus, qui per amarissimas linguas, non solùm nolunt vulnerata curare, sed etiam quæ sana sunt, vulnerare contendunt: qui murmurando, detrahendo, per inobedientiam vel iracundiam non Christo seruire, sed consuecuerunt Diabolo militare. Astutus enim & crudelis hostis Diabolus, calliditate veteris artificij ac multiformis ingenij, animas quas semel persuasione nequissima, desides ac tepidas vel negligentes effecerit, etiam malorum subuersione eas sibi seruire compellit, de quibus scriptum est: Vtinam calidæ esses aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Tales enim animas ad inobedientiam vel superbiam præparatas, Diabolus omni lumine veritatis & charitatis excæcat, & quasi venator robustissimus, & auceps callidissimus, velut indices sibi ad capiendas (si potest) etiam sanctas animas, aptat ac præparat. Quomodo aucupes facere solent, qui columbas quas prius ceperint, excæcant & surdas faciunt: vtdum ad illas reliquę columbę conuenerint, præparatis retibus capiantur: ita etiam hostis antiquus de tepidis clericis & negligentibus Monachis, vel desidiosis virginibus exercere consueuit: vt cùm in eis oculos patientiæ clauserit, ignéque compunctionis vel flammam verę charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit, gloriari (sicut iam dixi) ad aliorum perditionem, velut in dices eos in exemplum proponit ac præparat: Vt dũ illos simplices, quique & minus soliciti imitantur, diuersis laqueis vel retibus capiantur. Isti tales non solùm pro se, sed etiam pro aliis, quos per exemplũ malæ conuersationis de bono humilitatis & obedientiæ reuocauerint, rationem sunt in die iudicij reddituri. Antiquus enim hostis, qui bonis semper inuidere consueuit, primum seruos vel ancillas Dei, quos tepidos ac negligentes esse cognouerit, persuadet ociosis fabulis occupari, murmurando vel detrahendo ad contumaciam prouocare, & ad audiendã lectionẽ tardissimos reddere, vt cùm in eorum cordibus velut callum, & (vt ita diximus) scoriam teporis induxerit, ad quælibet opera mala sibi eos faciat præparatos, & omnibus vitiis vel negligentiis infœliciter seruire compellat, secundum illud quod veritas dixit: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et à quo quis superatur, eius & seruus efficitur. Sicut enim sanctæ & spirituales animæ feruore charitatis accensę, Spiritu sancto aguntur, & ad omne opus bonum iugiter præparantur, secundum quod Apostolus ait: Quotquot in spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: ita è contrario, negligentes ac tepidi ab illo contrario spiritu possidentur, de quo scriptum est: Cùm exierit spiritus immundus ab homine, vadit per loca arida quærens requiem, & non inuenit: postea reuertens inuenit domum suam vacuam & scopis mundatam, & adducit secum alios septem spiritus nequiores se: & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hæc enim sine dubio patiuntur clerici, Monachi, virgines, superbi, inobedientes, tepidi. Cùm enim in primodiis conuersationis suæ relicta sęculi conuersatione, ad militiam sanctæ institutionis animo feruenti confugerint, per gratiã Dei euacuatur omnibus malis. Postea verò dum per negligentiam ac desidiam non apponunt studium, vt cum Dei adiutorio repleantur spiritualibus bonis: vitia quæ discesserant inuenientes eos vacuos, cum multiplici remeantes, compellunt eos redire ad vomitum suum. Sicut canis quando reuertitur ad vomitum suum, odibilis fit: ita & peccator, quando reuertitur ad peccatum suum. De istis talibus terribiliter clamat Apostolus Petrus: Si enim fugientes coinquinationes mundi, his rursum impliciti superantur, facta sunt eorum posteriora peiora prioribus. Melius (inquit) fuerat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est secundum mandatum. Contigit enim illis, illud veri prouerbij: Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in voluabro luti. Hoc illis euenit, qui post abstinentiam ad gulam, post vigilias ad somnolentiam, post humilitatem ad superbiam, post obedientiam ad contumaciam, post patientiam ad iracundiam, velut canis ad vomitum, & velut sues reuertuntur ad luxurię volutabrum. Et ideo qui se talem esse cognoscit, dum corrigendi tempus est, cum rugitu & gemitu ad vulnus superbiæ, humilitatis medicamentum contendat apponere: contra murmurationis vel iracundiæ venenum, adiectum obedientiæ festinet accipere. Et antequam anima illius multis peccatis obnoxia de hac luce discedat, remedium sibi in die necessitatis acquirat, & lampadi suæ per superbiam extinctæ, humilitatis & charitatis oleum, dum colligendi & emendi tempus est, præparare contendat: vt inter sanctas virgines, accensa virginitatis lampada, in vasculo animæ suæ oleo charitatis exhibere: quia penitus virginitas in corpore nihil proderit, si charitas vel humilitas à corde discesserit. Et hæc quidem ob seruant animæ, & quæ illis similes esse volunt, facere non desistunt. Aliæ verò quæ non spiritualiter, sed carnaliter viuunt, non humilitati, sed superbiæ infœlicia colla submittunt: nec velut apes mella spiritualia colligunt, sed quasi vespæ crudelia venena diffundunt. Quando senioribus inobedientes existunt, quando flammis iracundiæ succenduntur, quãdo odium in corde recondunt, quando murmurationibus suis & se & alias vento superbię de portu obedientiæ excussas, & de tranquillitate patientiæ perturbatas, faciũt naufragare. Et quæ in primordiis con-

Apo. 2. — *Iac. 5.* — *Rom. 8.* — *Luc 11.* — *2. Pet. 2.* — *Diabolus aucupes imitatur.* — *Humilitas necessaria.*

conuersationis suæ, relictis sæculi fluctibus, ad quietem Monasterij confugerunt: nunc nimio furore superbiæ, in ipso portu procellis iracundiæ naufragare probantur. Istis talibus meliores sunt illi, qui sæculo seruire videtur: quia multo melior est humilis cõiugalitas, quàm superba virginitas. Et plus laudibiles sunt, qui se in medio pelago (Deo auxiliante) custodiunt, quàm illi qui in portu nimia negligentia vel securitate merguntur: Fœlices ergo sunt iliæ animæ, quæ ita cor suum diuersis virtutum aromatibus, Christo donante, replere contendunt, vt ex illorum ore, nunquam nisi charitas & humilitas, nunquam nisi castitas, vel mansuetudo atque obedientia proferatur: vnde & sibi æterna præmia, & aliis præbeant sanctæ conuersationis exempla. Sicut è contrario, infœlices sunt & miseræ & omni lachrymarum fonte lugendę, quæ ita malis moribus corrumpuntur, vt ex illorum ore vel indigna cogitatione, non Christi medicamenta, sed Diaboli venena procedant: quæ cùm foris religioso habitu quasi pellibus ouium contegantur, velut lupi rapaces intrinsecus esse noscuntur, & serpentum vel viperarum more tandiu fictam humilitatem habitu corporis demonstrare videntur, quandiu nulla castigatione corripiuntur. At vbi vel leuis admonitio affuerit tũc falsa humilitate remota apparebit celata superbia: & tunc in veritate cognoscitur, quia aliud proferebatur in ore, aliud abscondebatur in corde. Falsa humilitas fingebatur in corpore, & superbiæ virus regebatur in mẽte. Hæc ergo omnia timentes potius quã de vobis siniſtrum aliquid sentientes, cũ omni humilitate & paterna solicitudine charitati vestrę suggessimus. Et ideo ante oculos vestros tepidorum negligentias proferre voluimus, vt de bonis quę in vobis munere diuino collata sunt, spiritualiter gaudentes, Deo gratias referatis: & pro me, ac meis similibus, qui adhuc multis negligentiis premimur, iugiter Dei misericordiam supplicetis: vt cùm ante tribunal Christi, vobis pro perseuerantia bonorum operum corona tribuetur: nobis per intercessionem vestram, vel peccatorum indulgentia concedatur. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Religiosus habitus.

HOMILIA XXXII.

SAnctus ac venerabilis Pater vester, dum se (vt cum venia sui dixerim) propè indiscreta humilitate submittit, mihi non parum verecundiam facit. Nam pro admirabili charitate iniungere, immò extorquere contendit, vt ad sanctitatem vestram exhortatorium debeã proferre sermonem: sed ego considerans & meum meritum & propositum vestrum, simul attendens & sanctimoniam vestram & conscientiam meam, quid eligam nescio. Si enim tacuero, sanctæ charitati inobediens apparebo: Si verò aliquid loqui præsumpsero, notam temeritatis incurro. Sed rogo vos, fratres, quid ergo verbis suggeram, cùm vos omnia operibus implere congaudeam? Qua fronte sanis præsumat prædicare ægrotus? Quomodo sanctos admonere poterit, multis negligentiis obligatus? Quomodo vigilantes excitare poterit somnolẽtus? Qua conscientia castigabit ieiunantes, assidua ciborum abundantia crapulatus? Vnde esurientibus iustitiæ, panẽ verũ poterit ministrare mendicus? De quibus rebus admonere potero, fratres? Dicturus sum, vt debeatis mundum contemnere, quem tota animi virtute cum suis voluptatibus respuistis. Dicturus sum, vt impedimenta mundi debeatis abiicere: quos video omnes cupiditates eius ardentissima deuotione contemnere. Consilium vobis daturus sum, vt de beatis largas eleemosynas dare: quos noui pro Christi amore, omnem mũdi substantiam respuisse: quos video non solùm quæ sua sunt, sed etiam seipsos Domino obtulisse. Fortè prædicare vobis potero, vt vicinis & proximis humiles sitis, quos ipsos sub iugo Christi, non solùm fideliter, sed etiam feliciter inclinatos sciam. Fortè charitatem vobis commendare potero, cùm vos videam non tantùm amicos, sed etiam inimicos diligere. Aut admonendi estis ad obedientiam, qui nunquam vestram voluntatem, sed Dei & seniorum implere contenditis iussionem? Aut de cauendo iracundiæ morbo vos admonere potero, quos fundamentum patientiæ tenere congaudeo. Nunquid dicere audeo, vt otiosis fabulis nõ occupetur sanctitas vestra, quos lectioni & orationi insistere, & in lege Dei die noctuque meditari cognosco? Hoc ergo solùm restat, fratres charissimi, vt quia vos in sancto Monasterio, velut in portu quietis & repausationis, quasi in parte aliqua paradeisi Dominus colligere & collocare dignatus est, assiduis studeatis orationibus obtinere, vt nos qui sæculi huius fluctibus indesinenter affligimur, & cum grandi periculo per huius mundi pelagus, multis tẽpestatibus fatigamur: deiectis omnibus vitiorum fluctibus orationum vestrarum suffragio, ad portum beatę vitę (Christo duce) peruenire possimus. Vbi cùm ante æternum iudicem vobis corona gloriæ dabitur, vobis vel peccatorum venia concedatur. Tamen, ne vsquequaque sancto patri vestro inobediens videar apparere, cum grandi humilitate & patientia præsumo suggerere: vt in opere sancto, quod (Deo auxiliante) fideliter exercetis, vsque ad finem, fœlicem perseuerantiam teneatis. Quia non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Et ideo oportet, vt sanctis moribus compositi, multis etiam virtutum pennis præditi, quasi spiritales columbę, & bonorum operum margaritis ornati, dicere cum Propheta possetis: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Quam rem tunc animæ sanctæ implere possunt, si humiliratem & obedientiam stabili firmitate custodiant: quia quibuslibet reliquis bonis operibus quis fuerit præditus: si istas duas virtutum alas id est humilitatem vel obedientiam non habuerit, in altum euolare non poterit. Omnis ergo anima sancta, cùm volantes miluos & diabolicos accipitres, idem spiritales nequitias fugere vel vitare desiderat: istas duas, quas suprà diximus, virtutum alas, in se, Deo donante, custodiat. Quia nec virginitas, nec vigiliæ, nec ieiunia, nec ipsa oratio vel lectio, seruis Dei prodesse poterit: si in eis obedientia perfecta, & humilitas vera non fuerit. Nemini tamen videatur incongruum, quod humilitatem & obedientiam specialiter commendaui, & charitatem, his ceu omnium matrem, non adiunxi. Non ita est (fratres charissimi) cum obedientia & humilitas, fructus charitatis esse probentur. Quomodo sine ipsa esse possunt, quæ nisi ex illa nasci omnino non possunt. Nunquam enim vera humilitas & vera obedientia sine charitate, aut fuerunt, aut esse pote-

Matt. 24. — *Psal. 54.* — *Alæ spiritales duæ.*

runt aliquando: quia sicut ignis sine calore vel splendore omnimodo non est: ita charitas sine humilitate vel obedientia esse non potest. Veram ergo charitatem & perfectam humilitatem vel obedientiam retinentes, nihil quasi de nostris meritis præsumamus. Nemo se de sua industria extollat; sed de gratia Diuina confidat. Nemo sibi virginitatem, lectionem, orationem, vigilias vel ieunia, sine charitate vel obedientia prodesse credat. Quia quomodo caro sine anima, viuere non potest: sic reliquæ virtutes sine charitate, figuram habere possunt; veritatem habere non possunt. Talia enim sunt, sine charitate ieunia; qualis sine oleo lucerna: fumigare potest, fœtorem vel putorem reddere potest, lucem verò habere non potest. Sed (sicut iam dixi) non opus est, vt nos præsumamus verbis diutius admonere, quod vos rebus ipsis & operibus, nouimus (Domino propitiante) perficere. Quod enim cogitare & dicere & facere debeatis, per alliduam lectionem cognoscetis insinuante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

charitas est anima virtutum

DE LETANIA, HOMILIA. XXXIII.

Ecce fratres dilectissimi, dies sacti ac spirituales aduenerunt, animę nostræ medicinales. Et ideo quicunque vult sanare peccatorum suorum vulnera, nō despiciat medicamēta salubria. Ipse enim in his diebus non requirat medicum, qui se non sentit ægrotum. Et quis est (fratres dilectissimi) qui sic se in arena mūdi istius gaudeat repugnare; vt nullum possit Diaboli vulnus excipere? Quis enim contra milia dæmonum die noctuque ita stare potuit semper armatus, vt nunquam fuerit Diaboli calliditate percussus? Quis enim vel cogitare, non dicam: verū nec numerare præualeat dolos & insidias hostis antiqui, de quo scriptum est: Cui nomina mille, & mille nocendi artes. Et ideo fratres charissimi, quomodo ipse ex omni parte nos semper vulnerare conatur, ita vnusquisque nostrum cum Dei adiutorio, cōtra illius insidias totis viribus præparetur. Et quia nō solùm per dura; sed etiam per blanda contendit elidere, & vulnera ab ipso inflicta, non solùm amara, sed (quod peius est) etiam dulcia frequenter excipimus, medicamenta spiritualia parata semper habere debemus. Audiamus ergo consilium beati Apostoli, & contra diaboli insidias armis nos spiritualibus muniamus: Sumite (inquit) scutum fidei, loricam iustitię & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quid enim mali à Diabolo sustinere poterit, qui se talibus armis instruxerit? Cum surrexerit ille cum infidelitate, tu cōsurge cum fide. Ille pugnat cum superbia, tu cum humilitate. Ille exhibet luxuriam, tu retine castitatem. Apprehendit ille nequitiā, tu iustitiam tuam. Ille ingerit iracundiam, tu sectare patientiam. Ille immittit auaritiam, tu exerce misericordiam. Ille gulam, tu abstinentiam. Similiter & in cæteris rebus semper contraria aduersus nequitias diaboli studeamus arma proponere, & nunquam nos poterunt illius machinamenta decipere. Vt ergo hæc possimus (Deo auxiliante) complere, & hostem callidissimum (opitulante gratia Diuina) reuincere, ieiuniorum, vigiliarum, vel orationum arma nobis debemus iugiter prouidere. Quæ licet omni tempore necessaria esse probentur, præcipuè in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conuentu subdūcat: nullus Ecclesiam quasi cœlestis medici scholam occupatus terrenis actibus, derelinquat: nullus castra spiritualia deserat. Scientes enim (fratres charissimi) quia qui terreno regi militat, si se de acie pugnatur is timore compellente subtraxerit, non solùm gloriam vel præmia parata non accipiet, sed etiam præsentis vitæ periculum non euadit. Qualis ergo est ille qui terreni regis exercitum deserit, sine dubio talis iudicandus est, & ille qui in istis tribus diebus Christi Ecclesiam derelinquit. Quicunque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione, in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo cœlesti regno non præmium; sed opprobrium, non gloriam sed ignominiam recepturum se esse nouerit. Et quidem talis quasi fugitiuus & desertor castrorum cœlestiū, æternam confusionem & dignum meritis suis supplicium sustinebit. Sed absit (fratres charissimi) vt de vobis talia suspicemur: vnde timens hoc, potius quàm de vobis siniſtrum aliquid credens, præsumo suggerere: Magis enim de vestra deuotione confidēs credo, velut apes prudentissimas ad alueatium Christi fideliter festinare, vt dulcedinem spiritualis mellis ex diuinis lectionibus possitis accipere; & cum Propheta dicere: Quàm dulcia faucib⁹ meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo. Et quia per totum annum (fratres charissimi) nobis peccatorum vulnera subrepunt, in istis tribus diebus fideliter ad Ecclesiam curramus, & contrito corde vel humiliato corpore, Dei misericordiam deprecemur: vt omnium peccatorum nostrorum, vulnera, isto triduano compunctionis medicamento ad sanitatem pristinam reuocemus. Nemo ergo sibi ex industria aliquas occupationes studeat prouidere, nemo se ocio sis fabulis occupare, ne inde sibi vulnera faciat, vnde sibi parare medicamenta potuerat. Nemo in istis tribus diebus aut sanguinem tollat, aut potionem accipiat: nisi fortè hoc infirmitas nimium periculosa compellat. Conuiuiola nobis etiam quadrageſimali ordine præparemus, & magis legendo, psallendo, vel orando, animabus nostris spirituales epulas, quā corporales delicias requiramus, vt ad integrum Deo vacantes, & misericordiam illius suppliciter exorantes, & à cunctis infirmitatibus sanari, & à peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum mereamur per Dei misericordiam liberari. Pro certo enim credere debemus (fratres charissimi) quia si peccata nostra cessarent, statim flagella nobis debita, diuina misericordia remoueret. Sic enim ipse per Prophetam permittere dignatus est, dicēs: Cōuertimini ad me, & conuertar ad vos: Et iterum: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cōuertamur ergo ad meliora, dum in nostra potestate remedia, & piū ac misericordem Dominum, quē peccando irritauimus, bonis operibus ad misericordiā prouocemus: vt ipse secundum suam consuetudinē, & aduersa repellere, & prospera nobis dignetur pro sua pietate concedere. Iterū atque iterum rogo, vt qui ad Ecclesię alueārium (sicut iam dixi) quasi ad dulcissimi Christi fauum plena deuotione concurrunt, velut apes prudentissimæ, de diuersis diuinarum scripturarum floribus intrare cellulas præparēt, vbi sancta & cœlestia mella suscipiant. Qui verò & tardè veniunt, & citò discedunt, nec contenti sunt spectare, donec diuina Mysteria compleantur, non sunt inter

Tres lætiarum dies, vniuersa celebrat Ecclesia.

Eph. 6.

Psal. 118.

Zac. 1.

Ezech. 18

inter Christi examina reputandi: quia non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam & contemptum & se impediunt & alios exemplo malæ conuersationis euertunt. Et ideo fratres charissimi, quicunque Dominum in veritate diligunt, & ad Ecclesiam citò veniunt, & tardè discedunt, perseuerent in opere bono, & ociosas vel seculares fabulas velut venenum mortiferum respuentes, magis psallere & orare conentur: & contemnentes amaritudinem mundi, in Ecclesia requirant, vnde accipiant dulcedinem Christi. Qui verò negligentes sunt, & ad Ecclesiam non solum tardè veniunt, sed etiam priusquam diuina mysteria compleantur, abscedūt, & in ipsa Ecclesia ociosis fabulis vacantes, nec ipsi psallunt, nec alios psallere vel orare permittunt: qui tales sunt, citò se corrigant: ne sibi in eo loco præparent mortem, vbi inuenire poterāt vitam. Ego quod meum est, admoneo, qui despicit præconem, timeat iudicem. Dura quidem sunt medici ferramenta, sed sanos faciunt. Dulcia videntur mundi huius oblecta menta, sed malè decipiunt. Audite ergo me fratres rogantem, audite paterna pietate admonentem: vt vobis Deus & in hoc sęculo sanitatem corporum, vbertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat: & in futuro, ad æterna præmia fœliciter peruenire concedat. Sic ergo diuina pietas moderetur actus nostros, & animas gubernare dignetur, vt cùm tēpus retributionis aduenerit, & ego qui vos cū charitate admoneo, obtinere merear veniam, & charitas vestra pro benigna obedientia perueniat ad coronam, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

DE DVODECIM REMISSIONIBVS peccatorum, Homilia. XXXIIII.

Io. 3. *Luc. 7.* *Eccl. 3.* *3. Reg.* *Psal. 31.* *1. Cor. 5.* *Iac. 5.* *Matth. 5.* *Iac. 5.*

Prima itaque remissio est peccatorum, qua baptizamur in aqua, secundum illud quod scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest videre regnū Dei. Secunda remissio, est charitatis affectus, vt est illud: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Tertia remissio, eleemosynarum fructus, secundum hoc: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Quarta remissio, per fusio lachrymarum, Domino dicente: Quia fleuit in conspectu meo, & ambulauit coram me tristis, non inducam malum in diebus eius. Quinta remissio, criminum confessio, Psalmista attestante: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sexta remissio, afflictio cordis & corporis, Apostolo consolante: Dedi huiusmodi hominem satanę, in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Septima remissio, emendatio morum, hoc est abrenuntiatio vitiorum, Euangelista testante: Iam sanus factus es, noli vltra peccare: ne quid tibi deterius accidat. Octaua remissio, intercessio sanctorum, vt est illud: Si quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo. Et multum valet apud Dominum, oratio iusti assidua. Nona remissio, misericordia, fidei meritum, secundum hoc, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cōsequentur. Decima remissio, conuersio, & salus aliorum, Iacobo Apostolo adfirmante, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animā eius à morte, & cooperiet multitudinem peccatorū. Vnde decima remissio, indulgentia & nostra remissio, veritate permittente: Dimitte, & dimittetur vobis. Duodecima remissio, passio Martyrij, spe vnica salutis & indulgentiæ, & latroni cruento, respondēte Domino: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

Luc. 6. *Luc. 23.*

DE DIE IVDICII, HOMILIA trigesimaquinta.

Audiuimus fratres, cùm Euangelium legeretur, terribilem vocem, & metuendam pariter, & desiderandam Domini nostri sententiam. Terribilis est, pro eo quod dicit: Discedite à me maledicti, desiderabilis, pro eo quod dicit: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Quis enim audita hac voce non contremiscat simul & gaudeat? Quia Christus seruis suis promittit regnum, & peccatoribus ignem minatur æternum. Rogo vos fratres charissimi, vt lectionem istam attēto corde audiatis, & memoriter retineatis. Qui enim istam lectionem diligenti mente attendit, etiā si reliquas Scripturas minimè intelligat, ista sola lectio sufficere potest ad omne opus bonum faciendū: & ad omne opus malum fugiendum. Attendite fratres, quòd Dominus illis qui ad dexteram futuri sunt, promisit dicere: Venite benedicti, quia esuristi & dedistis mihi manducare. Illis verò qui ad siniſtram erunt, dicturus est: Discedite à me, maledicti, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, & reliqua. Non dixit: Discedite à me, quia furtum & homicidium feciſtis, & alia mala: sed ait, quia de substantia vestra pauperibus non dediſtis, Sicut illos qui ad dexteram futuri sunt, sola misericordia liberabit: ita eos qui ad siniſtram sunt, sola auaritia condemnabit. Non ideo audituri sunt: Venite benedicti quia non peccaſtis, nec illis dicturus est: Discedite à me maledicti, quia peccaſtis: sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluiſtis. Nullus sine peccato esse potest, sed peccata sua omnis homo (Deo auxiliante) eleemosynis redimere potest. Dīs enim ait: Qui esurienti non pauerit, & nudū non vestierit, mittetur in ignem æternū. Et si cū diabolo condēnatur, qui pauperi nō dederit: vbi damnandus est, qui tulerit alienum? Si in inferno damnatur, qui peregrinum non susceperit in domo sua, vbi damnandus est, qui foras expellit: Si in ignē mittitur, qui nudū non vestiuit: vbi damnandus est, qui expoliauit? Tenete vos fratres, ad eleemosynam, vel misericordiam, quia eleemosyna nō patitur operarium suum ire in tenebras. Sicut enim ait Daniel Propheta: Cōsiliūm meum Rex, peccata tua eleemosynis redime: & si neglexeris, sine causa ad cœlum pulsabis. O anima, quæ intra carnales & fragiles parietes habitas, vigila, ora, pulsa, & quære. Vigila petendo, ora quærendo, pulsa erogando. Vigilanti tibi & petenti dicit Dominus: ecce adsum: & si transieris per ignem, tecum sum, & flamma te non comburet. Quem orando si quæsieris, inuenies. Cùm pulsaueris erogando, Christus tibi aperit ianuas suas, vt possessor Paradisi introeas. Et si adhuc putas de fine mūdi restare, vel tuum considera finem. Paulatim enim subtrahuntur omnia bona quæ erant, & accedunt mala quæ non erant. Scriptum est enim: Nudus exiui de vtero matris meæ, & nudus ibo sub terram.

Eleemosynis peccata redimūtur. *In raptores.* *Dan. 4.* *Matt. 24.* *Iob. 2.*

Io.1. Ideo fac eleemoſynam, dum precium in manibus
habes. Dona tibi de tuo, quia labile eſt quod tenes A
& ſemper extraneum. Attende precium tuum, reſ-
pice Dominum tuum. Cõſidera quale præcium pro
te dedit: ſanguinem ſuum pro te fudit: charum te
habuit, quem tam charè redemit. Fuge exemplum
diuitis, cuius canes Lazarus ſuis vulneribus pauit, &
Luc.16. non viuit diues. Quos vtique canes natos ſimiles,
diſſimiles fuerunt diuitiæ, tamen mortui ſunt pares,
& apud inferos mutatæ ſunt vices. Tunc ait diues:
Pater Abraham, miſerere mei. Dixit Abraham: Fili,
recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus
ſimiliter mala: hic verò conſolatur, tu autem crucia-
ris. O homo, audis iuſtam comparationem ſenten-
tiæ, quia refrigerium non habet, qui pauperi non de B
dit. Fratres mei, in manu Dei formati, audite vocem
Domini, implete deſiderium eius, vt accipiatis hære-
ditatẽ in regno Patris veſtri. Ex ſeruo enim factus es
amicus. Cõtemne, quod damnatus es: reſpice, quod
renatus es. Fac tibi artificem contra terrenum pa-
trimonium, Deus offert cœlum. Tunc dicet tibi, Pa-
ter & Dominus & amicus, cùm feciſti cœleſte com-
mercium. Amen dico tibi, quod feciſti ex his mini-
Matt. 25 mis, mihi feciſti. Quod ego accipio, nunc reddo cen
ties tantum, immò milies centuplum, & in futurum,
Luc.21. vitam ęternam: ſicut per Ioannem promiſi, mille an
Hilariter norum conuiuium, & ad dexteram Patris regnum.
tribuendũ Ideo rogo vos fratres, vt vnuſquiſque quantum va- C
let, peregrino porrigat cum bono animo. Audi Do-
minum in Euangelio dicentem, de vidua quæ duos
nummos obtulit: maius omnibus miſit: quia reliqui
diuites erant: & ex eo quod illis abundauit, dede-
runt: illa verò totum quod habuit, obtulit: & ideo
meruit, quod eam Dominus proprio ore collauda-
ret. Ideo vnuſquiſque faciat quod præualet: excep-
to victu rationabili & veſtitu, quicquid ſuperfuerit,
lætus & hilaris pauperi tribuat. Quare lætus? quia
paruum dat, & accipit multum. Porrigit nummum,
& comparat regnum. Tribuit paruam pecuniam, &
accipiet vitam æternam: dat temporalia, vt merea-
tur æterna. Porrigit caduca, & recipit ſine fine man D
ſura. Et ſi tibi dixerit homo fidelis: Da mihi vnum
æreum nummum, & reddo tibi ſolidos aureos cen-
tum: nunquid cum gaudio dabis vnum, vt accipias
centum? quanto magis quia tibi dicit Dominus, qui
Prou. 19 pauperi tribuit, Deo fœnerat? Da ergo Deo in ter-
ra, vt accipias in vita æterna: vt cùm veneris in con-
ſpectu Angelorum ante tribunal æterni iudicis, ſe-
cura & libera conſcientia dicere poſſis: Da Domine,
quia dedi, fac miſericordiam, quia feci. Ego imple-
Matth.25 ui quod iuſſiſti, & tu redde quod promiſiſti. Et ibi
audire merearis: Venite benedicti Patris mei, poſſi-
dere regnum, quod vobis paratum eſt ab origine
mundi, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui E
viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE ELEEMOSYNIS, HOMILIÆ XXXVI.

Tobias ait: Omnibus diebus vitæ tuæ Do-
minum habe in mente, & noli ambulare
Tob.4. in viam iniquitatis. Ex ſubſtantia tua fac
eleemoſynam, & noli auertere faciem ab
vllo paupere, ne à te auertatur facies Dei. Quomo-
do habueris, ſic fac. Licet exiguum ex hoc ipſo com-
munica, & ne timueris. Cùm facis eleemoſynam,
præmium bonum reponis tibi in die neceſſitatis:
quia eleemoſyna à morte liberat, & operarium ſuũ
non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt omni
bus, qui faciunt eam coram ſummo Deo. Salomon
ait: Qui miſeretur pauperi, Deo fœnerat, & nunquã *Prou.19.*
indigebit: qui autem auertit oculum ſuum à paupe-
re, in penuria viuet. Eleemoſyna ex fide peccata pur
gantur. Sicut enim aqua extinguit ignem, ita eleemo
ſyna extinguit peccatum. Item Tobias: Fili, cùm ha-
bueris, benefac de eo & Deo dignas oblationes of-
fer, memorare quod mors non tardat, conclude elee
moſynam in ſinu pauperum, & hæc pro te exorabit
ab omni malo. Item Pſalmus, Beatus qui intelligit
ſuper egenum & pauperem. Item: Diſperſit, dedit *Pſal. 40.*
pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum. Domi- *Oſe.6.*
nus per Prophetam ait: Miſericordiam magis volo,
quàm ſacrificium. Item in Euangelio: Theſaurizate *Matth.9.*
vobis theſaurum in cœlo. Vbi fuerit theſaurus tuus,
ibi erit & cor tuum. Item: Qui dederit calicem aquę
frigidę in nomine meo, merces eius non peribit. Itẽ:
Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt. Ve-
runtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda
ſunt vobis. Paulus Apoſtolus ait. Veſtra abundantia
illorum inopiam ſuppleat. Qui parcè ſeminat, parcè
& metet. Qui ſeminat in benedictione & de benedi-
ctione metet. Ioãnes Euãgeliſta ait: qui habuerit ſub
ſtãtiã mũdi, & viderit fratrẽ ſuũ deſiderãtẽ, & claudit *1.Io.3.*
viſcera ſua, quomodo charitas Dei manet in eo? Itẽ:
Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare ami-
cos aut diuites, ne fortè inuitent te, & fiet tibi retri-
butio, ſed voca mendicos, & beatus eris, quoniam
non habent vnde retribuent tibi, reſtituetur tibi in
retributione iuſtorum. Paulus Apoſtolus ait: Elee-
moſyma etiam ſi parua fuerit, ipſa voluntas ſufficit
ſi prompta fuerit: ſecundum quod habuerit, acce- *2.Cor. 8.*
ptum erit Domino.

DE DECIMIS HOMILIÆ XXXVII.

Dominus dicit in Euangelio: Omnem
decimationem veſtram diſtribuite. Ip-
ſe per Prophetam loquitur: Inferte
omnem decimam in horreum meum
vt ſit cibus in domo mea, & probate
me in his, dicit Dominus. Paulus Apoſtolus dixit: De
filiis Leui ſacerdotium accipientes, mandatum ha-
bent decimas ſumere à populo ſecundum legem,
id eſt à fratribus ſuis. Hilarem enim datorem diligit
Deus. Salomon dixit, Alij diuidunt propria, & ditio
res fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate *Prou.11.*
ſunt. Ieſus filius Sirach dixit: In omni dato, hilarem
fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica deci-
mas tuas.
Da altiſſimo ſecundum datum ei, & in bono ocu
lo adinuentionem facito manuum tuarum, quo-
niam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum red
det tibi. Auguſtinus dixit: Decimę etenim tributa ſũt
egentium animarum. Quod ſi decimam dederis,
non ſolùm abundantiam fructuum recipies, ſed etiã
ſanitatem corporum conſequeris. Non eget Domi-
nus Deus, non præmium poſtulat, ſed honorem.
Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, de-
cimã à nobis dignatur repetere, nõ ſibi, ſed nobis, ſi-
ne dubio profuturũ. Vnde per Prophetã dixit: Primi-
tias areę tuę & torcularis, nõ tardabis offerre mihi. Si *Exod.22*
tardiꝰ dederis, peccatũ eſt, quãto magis eſt, nõ dediſſe?

De negotio, de artificio, de qualicunque operatione
redde decimas. Cùm enim decimas dando, & terre- A
De artificio, negotio, & qualicunque operatione. Decimæ ſunt perſoluendæ. na & cœleſtia poſſis munera promereri, quare per
auaritiam duplici benedictione defraudaris? Hoc
enim eſt Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi
decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Da
bis impio militi, quod non vis dare ſacerdoti. Bene-
facere Deus ſemper paratus eſt, ſed hominum ma-
litia prohibetur. Decimę etenim ex debito requirun
tur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit. Et
quanti pauperes in locis vbi ipſe habitat, illo deci-
mas non dante, fame mortui fuerint: tantorum ho-
micidiorum reus ante tribunal æterni iudicis appare
bit: quia rem à Domino pauperibus delegatam, ſuis
vſibus reſeruauit. Qui ergo ſibi aut præmium com- B
parare, aut peccatorum deſiderat indulgentiam pro
mereri, redditis decimis etiam & de nouem partibus
ſtudeat eleemoſynam dare: ita vt de nouem partibꝰ.
quicquid excepto rationabili victu & veſtitu ſuper-
fuerit, non in luxuriam, nec in lucrum ſæculare re-
ſeruetur, ſed in theſauris cœleſtibus per eleemoſy-
nam reponatur. Quicquid enim nobis Deus dede-
rit plus quam opus eſt, in nobis ſpecialiter dedit: ſed
per nos aliis erogandum tranſmiſit. Hæc enim fra-
tres, ſecundum cõſuetudinem veſtram libenter audi
te, & Chriſto auxiliante, implere contendite.

HOMILIÆ. XXXVIII. C

Fratres chariſſimi, ad memoriam reuoce
mus, quæ per ſacras paginas in veſtris cor
dibus audiuntur. Illud tamen ſcire & in-
telligere debemus, quod ante aduentum
Domini ſaluatoris, diabolus regnabat in mundo: &
omnes populi, peccatores & iuſti exeuntes de corpo
re, in infernum deſcendebãt, propter originalia pec-
cata quæ de Adam traximus: pro eo quod primus
homo Adam, in Paradiſo tranſgreſſus fuit manda-
tum Dei. Sed quia vidit Deus, quod totus mundus
perierat, miſertus humani generis, miſit filium ſuum
natum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub D
lege erant, redimeret. Deſcendere dignatus eſt filius
Dei de ſede Patris, hoc eſt Verbum in vterum ſanctę
Mariæ ſemper virginis. In tanta humilitate venit, vt
per humilitatem vinceret Diabolum, mortis aucto-
rem, & liberaret humanum genus per crucem paſ-
ſionis ſuæ. In cœlo cum Patre fulgebat, in terra pan-
nis inuolutus in præſepio iacebat. Ille in Aegypto fu
gatus, ille in corpore circumciſus, ille à Ioanne bap-
tizatus, ille quadraginta diebus & noctibus ieiuna-
uit: deinde venit ad paſſionem. Ille pro nobis oppro
bria ſuſtinuit, ille irriſiones, ille ſputa, ille flagella, il-
le alapas, ille ſpineam coronam: ille in cruce ſuſpen-
ſus, ille aceto potatus, ille lancea transforatus, & in- E
clinato capite tradidit ſpiritum, & emanauit de late
Io.5. re Chriſti ſanguis & aqua. Quid per ſanguinem, niſi
redemptio noſtra? Quid per aquam, niſi baptiſmi ſa
cramentum ſignificatur? Vnde Ioannes Apoſtolus
dixit, Tres ſunt qui teſtimonium dant, ſanguis & a-
qua & ſpiritus. Per ſanguinem, redemptio peccato-
rum. Per aquam, baptiſmi ſacramentum. Per ſpiri-
tum, ſanctificatio noſtra. Videte fratres, quã charos
nos Dominus habuit, non auro, non argento, non
Caro cum anima premiabitur. ſpeciebus, ſed de ſuo ſancto ſanguine nos redimit.
Peccatores, vt cum carne deſcendant in infernum:
iuſti, vt cum carne percipiant regnum. Quia iuſtum
iudicium Dei erit, vt illa caro quæ hic peccauit, &
pœnitentiam non egit, ipſa cum anima in igne cru- *Matt. 25*
cietur. Similiter & illa caro, quæ hic propter Chri-
ſtum cruciatur, ipſa caro & anima, cum Chriſto & *Matt.24.*
cum omnibus ſanctis in Paradiſo lætabitur. Et ſe-
gregabit Dominus ad iudicium iuſtos, ad dexteram:
peccatores ad ſiniſtram, & dicturus eſt peccatoribꝰ:
Diſcedite à me maledicti in ignem ęternum, qui prę
paratus eſt Diabolo & Angelis eius. O quàm terri-
bilem & metuendam vocem. Poſtquàm audita iſta
vox fuerit, nullum remedium pœnitentiæ ſuæ cur-
rit. Semper iſtam vocem pertimeſcite fratres, ſem-
per iſtam vocem ante oculos veſtros ponite: Vnde
Dominus in Euangelio dicit: Orate, ne fiat fuga ve-
ſtra hyeme vel ſabbato. Ac ſi apertè dicat: Videte ne
tunc quæratis peccata fugere, quando iam non licet
ambulare. Et alibi ipſa veritas dicit: Zizaniorum faſ
ciculos alligate ad comburendum. Zizania, homi-
nes peccatores erunt. Peccatores homines habet in
cendere infernus. Peccatores homines erunt ligna
inferni. Alligate faſciculos ad comburendum, hoc
eſt homicidam cum homicidis: adulterum cum adul
teris, rapaces cum rapacibus, & qui hic ſimiles fue-
runt in culpa, ibi ſimiliter alligati erunt in tormen-
tis: & quanto maiora commiſerunt tormenta, tantò
feruentius ſæuit in illos ignis ęternus. Nemo ſe circũ
ueniat fratres: omnis homo, qui poſt baptiſmum
mortalia crimina commiſerit, hoc eſt homicidium,
adulterium, furtum, falſum Teſtimonium, vel reli-
qua crimina perpetratus fuerit, vnde per legem mũ
danam mori poterat, ſi pœnitentiam non egerit, e-
leemoſynam iuſtam non fecerit, nunquam habet vi-
tam ęternã, ſed cum diabolo deſcendet in tormen-
ta. Proinde Beatus Iſidorus dicit: Nequaquam Deus
delinquentibus parcet, quoniam peccatores ideo fla
gello temporali non caſtigat, vt in iudicium ęternũ
puniendos relinquat: ac proinde eſt quod Dominus
delinquentibus non parcet. Et Beatus Auguſtinus
dicit: Nulla peccata dimittit Deus inulta: hoc eſt, in- *Auguſtinus.*
uindicata. Aut certè nos vindicamus per pœniten-
tiam, aut certè vindicabit illa Deus per ſeueritatem
iudicij, qua dicturus erit: Diſcedite à me maledicti in *Matt.25.*
ignẽ æternum. Et illa certis ſententiis credite fratres
quòd omnis homo quamuis peccator, quamuis cri-
minoſus fuiſſet, quanta mala perpetraſſet, ſi pœni-
tentiam egerit & eleemoſynam iuſtam fecerit, nun-
quam deſcendet in infernum, ſed ab Angelis eleua-
tur in cœlum. Vnde Dominus dicit: Non iudicatur
homo bis in idipſum. Apoſtolus dicit: Quod ſi nos
iudicamus, à Domino non iudicamur: hoc eſt, vt ille *1.Cor.11*
qui in præſenti vita ſemetipſũ per pœnitentiã iudi-
cat, ad iudiciũ iterũ non reiudicatur: quia hic in prę
ſenti vita terminatur. Fratres chariſſimi, ſemper finẽ
noſtrũ attendere debemus: & quicquid contra Dei
præcepta geſſimus, per fletũ & lamenta reparemus.
Vnde Dñs Adam poſt peccata vocauit, dicens, Adã,
vbi es? Hic omnipotens Deus ſignum dat, vt nos om
nes poſt peccatum ad pœnitentiam reuocet: & vn-
de eſt expulſus Pater per peccatum, reuocentur filij
per pœnitentiam. Et Beatus Gregorius dixit: Quod
ſi perfectã pœnitẽtiam agimus, non ſolũ noſtras cul
pas dimittit Deꝰ, ſed poſt culpas pręmia ęterna pro-
mittit. Et Beatus Auguſtinus ait: Fratres chariſſimi,
penſare debemus iam emẽdare peccata noſtra, quic
quid contra Dei præcepta geſſimus: hoc per pœni-
tentiã & lamẽta reparemus: quia non requiret Deus

quales antea fuimus,sed quales circa finem mundi adstare debuerimus.

DE POENITENTIÆ AGENDA, HOMILIA XXXIX.

QVi egerit veram pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus, & à Christi corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit: post reconciliationem cùm defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, & regno Dei non priuabitur, & à consortio Diaboli separabitur. Agens pœnitentiam dum sanus est, & cùm reconciliatus fuerit, & bene vixerit, securus est. Et quid est post pœnitentiam bene viuere? Dico vobis: Astinete, si vultis, ab ebrietate & à concupiscentia, à furto, à malo eloquio, ab immoderato risu, à verbo ocioso: vnde reddituri sunt homines rationẽ in die iudicij. Vis autem frater ab inferno liberari: & quid incertum est, euadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim egeris veram pœnitentiam, & inuenerit te nouissimus dies, aut repentina mors, securus es, Concurrens omni modò ad sacerdotem, vt reconcilieris. Si sic agis, securus es: eo quod accepisti pœnitentiam eodem tẽpore quando peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando peccare iam non potuisti, peccata te dimiserunt, nõ tu illa. O pœnitentia, quæ peccata (miserante Deo) remittis, & Paradiso reseruas. O pœnitentia, quid de te nobis referam? Omnia aduersa tu mitigas: omnia contrita, tu sanas. O pœnitentia, rutilior auro, splendidior sole, quam peccatum non vincit, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pœnitentia respuit auaritiam, horrescit luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam conterit, componit mores, odit mala, excludit vitia, superioribus supplex est, inferioribus subiecta est. In corde eius, contritio est: in ore, confessio: in opere, tota humilitas: Hoc est perfecta & fructifera pœnitentia. Sic pœnitenti præstò est Deus, esurienti nutritor est, sitienti potator. O pœnitentia, misericordię mater & magistra, virt

Current dum ad Sacerdotẽ reconciliationis gratia.

HOMILIA XL.

tetiam ex toto corde, sed si agat veram pœnitentiam vbi Deus vidit sicut cor Dauid, quando increpatus à Propheta grauiter, & post comminationes terribiles Dei, exclamauit dicens: Peccaui, & mox audiuit, Dominus abstulit peccatum tuum. Quantum valent tres syllabæ? Tres enim syllabę sunt: Peccaui: sed in istis tribus syllabis flamma sacrificij cordis eius ad cœlum ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus, & à Christi corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit: post reconciliationem cum defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiẽ vadit, regno Dei non priuabitur, & A Diaboli populo separabitur. Qui autem positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitẽtiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus qui petit, sed nec præsumo, quia bene hinc exit: non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus & reconciliatus, & postea bene vixerit, securus est. Sed dicis quidem, si bene vixerit: vel hoc nos instrue sacerdos bene, vt hoc sciamus. Illud nescire te dicis, qui acceptam pœnitentiam ad horam & transiit, nescire te dicis, facinora sua si relaxentur in die iudicij. Hinc nullam securitatẽ nobis das. Quid est bene viuere post B pœnitentiam, doce nos. Dico vobis, abstinere ab ebrio sitate, à concupiscentia, à furto, à malo eloquio, ab ipso immoderato risu, à verbo ocioso, vnde reddituri sunt homines rationem in die iudicij. Ecce quã leuia dixi, & omnia illa grauia & pestifera. Et illud dico, non solùm post pœnitentiam ab istis vitiis homo seruare se debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia nescit, si possit ipsam pœnitentiam accipere & confiteri Deo & sacerdoti peccata sua. Ecce quare dixi, & ante pœnitentiam melius. Agens ve rò pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus exierit, si securus hinc exeat, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum. Id dico, attendite: ego illud planius expono, ne aliquis me malè intelligat. Nũquid dico liberabitur? non: sed, liberatur, dico. Et quia mihi dicis sancte Episcope, quid tibi dicã, nescio. Dixi, C non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate. Vis te à dubio liberari? vis quod incertũ est, euadere? age pœnitẽtiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curritovt reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus? Vis dicam tibi? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Ecce dixi, quare securus es. Si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam, quando peccare iam non potes: peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis (inquit) si fortè Deus mihi misereatur, & dimittat mihi peccata mea. Verùm dicis frater, verum dicis. Vnde scio, & ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio.

Pœnitentia agenda est dũ viuimus.

At ille inquit: Ergo dimitte causam meam Deo: D quid tu me verbis affligis, & iudici meo Deo dimittis? Illius iudicio te committo, cuius iudicio me commẽdo. Nam si scirem nihil tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscetur tibi, aut non tibi ignoscetur. Quid horum tibi futurum sit, nescio: sed do consilium, dimitte incertum, & tene certum. ET cùm viuis, age pœnitentiam veram: vt cùm veneris in iudicium Dei, non à Deo confundaris, sed vt ab eo in regnum inducaris. Amen.

2. Reg. 12

D. VENANTII HONORATI CLEMENTIANI FORTVNATI PICTAVIENSIS EPISCOPI, HOMILIA DE ORATIONE DOMINICA.

SAncta pietatis profunda misericordia (Filij dilectissimi) circa genus humanum non patuit Saluatoris, qua nos ereptos de concatenatis mundi naufragiis ad portum perpetuę detulit libertatis, vt nec verbis exequi, nec lingua patefieri, neque ipsa valeant cogitatione pulsari. Cui parum videbatur de limo quod condidit, quod cruore redemit, quod Baptismo renouauit, nisi

nisi ad salutis cumulum, mẽs nostra ne lapsum ignoráter incurreret, instrueret etiam, qualiter exoraret: A Nisi nos docuisset; quemadmodum deberemus iustas preces offerre, essemus aut certè temerarij, aut erroris nube confusi, & nesciendo quæ petere magis admitteremus peccatum potius, quàm purgare deberemus admissum. Et vnde spectabamus posse venire suffragium, videremur incurrere detrimentũ, cum de oratione incondita, fieret periculi plus causa quàm voti, inde retinentes & mysteria, & quàm multa sint in breuitate collata, propter ædificationem Ecclesiæ paucis docemur explicare. Quia tunc nobis melius placebunt auditu, cum patuerint intellectu, itaque ad ipsum veniam sanctæ Orationis sermonem.

Pater noster qui es in cœlis.

ECce vox Domini prædicantis, de quo Propheta dicit: Nubes pluant iustum. arcana scientiæ lumen effudit, & vt nostram ariditatem sermonis imbre reficeret, veluti fons aquæ salientis erupit. quis enim tãtum secretum mysterij cœlestis, hominibus reuelatet, aut hoc doceret, vel præsumeret vel sciret? Nunquid Abraham? Moyses, Propheta, vel Angelus, nisi vnigenitus, cui soli in maiestatis plenitudine, Pater est notus. nam reliqui tantum meruerunt de Deo in terra cognoscere, quantum ipse de cœlo voluit ministrare: Filius enim, in quo Pater est, totus vnitatis substantiæ, non confusione personæ, subiectum habebat, hoc nosse, non alterius munere sed potestate naturæ. Ergo dicendo Patrem nostrum esse in cœlis, peregrinationem nobis significat, dum sumus in terris, iuxta illud: Incola sum ego in terra. Vnde videtur instruere, vt ad excelsa iugiter animum eleuantes, ea Deo tribuente festinemus peragere, quæ nos in æternæ vitæ beatitudinẽ, placato Patre, Christo duce, faciant introire, & promissa præmia filij valeant obtinere. Vnde audito Deo Patre, nullus tam crudelis sit filius, vt non festinet ad veri genitoris D amplexus. Item congruè Pater noster, quia homo renascendo, per baptismum effectus est Dei Filius, qui per præuaricationem factus fuerat inimicus & perditus: ergo cuius gratia fruitur, iam Patrẽ liberè confitetur. sed licet non simus de eo patre sic filij, quomodo persona domini nostri Iesu Christi (quia ille de ipsius est natus substantia, nos autem dignatus est creare de terra) attamen per gratiam vnigeniti, nos effici meruimus adoptiui. Et ideò qui in Ecclesia catholica ex aqua & Spiritu sancto nascitur, inter Dei filios computatur. Item Pater noster, qui es in cœlis. In hac confessione, & Deum veneramur, & mandata sequimur, & fidem nostram exponimus, E & eos qui Patrem in cœlis denegãt refutamus. Item dicendo Pater noster: habemus quod in ipso diligere agnoscendo Deum, habemus pariter, quod timere: timeamus ergo quod iustus est, amemus quod pius: ne quod ille solicitè cõtulit, nos velimus perdere negligenter, & diuina beneficia, nostra sint excessu calcata. Quisquis ergo patrem illum appellat, sicut decet filium, sic vitam suam immaculatè dispenset, quia ipse est Filius qui non contribulat genitorem, non exasperat cohæredem. Fratris charitatem non violat, testamẽtum conditoris non dissipat, sequitur monita, festinat implere mandata. quod si recalcitrauerit, proiectus contumaciter de possessione discedit, nec aliqua iam fronte hæreditatem repetit, quem admissi culpa damnauit. Vnde, qui ad Deum Patrem venimus, Christi fratres dicimur, si in peccãti crimine non versemur. nam amittit nomen filij, qui fuerit seruus peccati. Quod autem non singulariter Pater meus, sed Pater noster dicimus; ad hoc pertinere cognoscitur, vt nullus pro se tantum, sed generaliter pro omnibus misericordem Dominum deprecetur, quatenus ab hoste perfido, cuncti pariter liberentur. Omnes enim qui in Ecclesia cõueniunt, eodem se muro concludunt, quando & si multa membra sunt, tamen in vno Christi corpore continentur: & ideò qui simul iunguntur in templo, B separari non debent nec in voto. Nam sicut in mẽbris nostris respicimus, qualiter humerus humero, manus manui, pes pedi subueniunt, ita congruum creditur, vt monitis, orationibus, lachrymis, nobis ipsis, à nobis inuicem succurratur propter illud: Inuicem onera vestra portate. Denique frequẽter alter pro alterius crimine confidenter obtinet, qui pro se suggerere non cõfunditur ex pudore, quia in suo facinore verecundia nil præsumet. ergo vnusquisque supplicet pro omnibus in commune. Quãdo sicut in se diuisa domus non stabit, sic vnita ruinæ non subiacet, & bene Dominus auctor pacis sic docuit, vt quicquid vnus peteret, omnibus videre- C tur proficere. Item benè, Pater noster additur, quia nisi quis rectè credat in Christo, non potest habere Patrem in cœlo. Non est enim ipse pater Arriano, Iudæo, Fotino, Manichæo, Sabellio & reliquis pestibus, veneno prauũ cordis infectis, & pessimæ confessionis falce succisis. Qui de Filio quàm iniustè sentiunt, tàm à Deo Patre nostro recisi sunt, & ex patre suo diabolo fructum carnis recipiunt, & ideò nobis Pater in cœlis est, qui rectè Filium confitemur in terris.

Sanctificetur nomen tuum.

Vigilanter considerandum est quid in hoc vocabulo admonitio diuina significat dicendo, Sanctificetur nomen tuum. Nunquid inuenitur superior? à D quo Pater sanctificari valeat? quasi vt nos videamur aliquid illi orando præstare, cum magis ipse cuncta sanctificet. Sed sanctificetur, id est, benedicatur nomen tuum incessanter, omnibus linguis, vniuersis in locis, cuius donare hoc ipsum quòd respiramus & viuimus. Sanctificetur nomen. Deus cum sit omniũ elementorum concentu laudandus & sanctus, vt in nobis nomẽ eius sanctificetur, id est, firmiter teneatur. Optamus vt in ea qua nos abluit baptismi sanctitate viuamus: ergo in hoc tempore non nouam sanctificationem requirimus, sed quam incontaminatam percepimus, vt sine vitij macula conseruemus. Nam in homine fructus bonæ conuersationis E sanctificatio Dei est, hoc quoque ordine nomen eius rectè sanctificari dicimus, vt si quis dono diuinitatis videat nobis esse sinceram, gratias largitori referat, & in nostris operibus sanctum nomen eius extollat, quando rectè omnis laus illi redditur à quo vota complentur. Item sanctificetur nomen tuum, quia ipsa oratione non continetur expressum in nobis, sanctificetur nomen tuum. videmur non tantum modò pro nobis optare sanctificetur nomẽ eius, sed & pro illis qui necdum ad baptismi meruere gratiam peruenire: nam in Christi plenissima charitate docemur etiam pro inimicis orare, quia & ip-

se non amicos & fideles sed aduersarios suos,& culpabiles de mortis carcere liberauit.

Adueniat regnum tuum.

Dubitari non licet Dominum Deum semper hic & vbique regnare,nec aliquando de regni, forte sanctam Trinitatem sumpsisse principium, nec haberi sine claudendũ.Reuera cum apud deũ stabilitate sua tempora non mutentur, cuius nec sol occidit, neque nox in luce.Sed cum dicimus, Adueniat regnũ tuum.non vt illi aliunde obueniat, id est vt ei regnũ præstetur à superiori persona,sed nobis scilicet vt illud adueniat, quod per mediatorem Christum poscimus repromissum.Vt cum illo regnemus liberi,& qui in mũdo seruiuimus sub lege peccati. Ipse enim postulauit à Patre dicens : Pater vbi ego sum & isti sint mecum.Et alibi : Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Denique ob hoc euacuauit tartaros vt repleat cœlos. Ergo hac ratione precamur,vt regnum eius adueniat : Non vt ipse quod possidet hoc adquirat,sed quod est nobis pollicitus, vt persoluat. Potest & sic intelligi: Adueniat regnũ tuum,id est veniat in corde nostro regni tui sincerũ desiderium vt possimus diaboli vincere blandimentum. tunc enim in nobis serpentina falsitate subdolus hostis non præualet, quando nos constanter respexerit diuini regni desideria concepisse, id est regnante Christo non possit in nostris corporibus regnare peccatum. Item dum dicimus, Adueniat regnum tuum : Admonemur vt nihil de terreni regni diuitiis exspectemus, qui omnem spem in futuri regni facultate plantamus. Item, Adueniat regnum tuum.Agnoscitur his verbis eas increpare personas, quæ sæculi istam vitam diutius volunt protrahere. Cum omnes iusti regnum illud vt festinanter veniat, videntur optare. Vel certè adueniat regnum tuum, hoc est Christus nobis adueniat, quem quotidie sanctorum chorus veneranter expectat, in cuius promissione se confidunt iusti regnare. De huius aduentu Apostolus ait:Tunc rapiemur simul in nubibus obuiam Christo in aëra,& sic semper cum domino erimus. Sed videamus qui rapientur cum B. Paulo in nubibus? Nunquid homicidæ, luxuriosi, fallaces,ebriosi,adulteri,rapaces,maledici? Tales enim nisi correpti fuerint, non solum quia non possunt in illo itinere participari cum S.Apostolo, cuius modò monita non sequuntur,aut occurrere Christo vel paterna vel prosumunt:immò magis si se à facie dei in fissuris petrarum valerent abscondere,super se cadere,tunc montes optarent. Ergo aduertamus quibus illud regnum promittitur:Beati paupes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. In principio beatitudinem humilibus cordepræposuit,ac per hoc exclusit superbos & timidos,vbi dicit pauperes spiritu regnaturos.Deinde,Beati mites,Beati qui lugent,beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,beati misericordes,beati pacifici, beati mundo corde & reliqua. Ecce illi inuitantur ad æternam requiem, qui tali desuderauerint temporaliter in labore.Verè hoc est indeficienter regnare, coronam beatitudinis istis ornatam floribus possidere. Deum sine confusione mereri conspicere, quo præsente inueniet anima quod amauit. Nam si in hoc sæculo dicit se ad præsens humana regnare fragilitas & paupertas,si quędam illi blandiatur de falsa prosperitate fugitiua fœlicitas, quanto magis illud regnum quærendum est, vbi semper liliorum rosarúmque blandior lux arridet,vbi pictura floris odoriferi non marcescit, vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur,vbi non finitur cum possessore possessio, vbi quicquid desiderat animus dat aspectus, vbi iustus gemmas calcabit in plateis, quas modò Reges non habent in coronis: vbi mortalitas translata in immortalitatem,cum Angelis forte simili gloriatur. Vbi hominibus & Deo fit vna possessio, ibi desideretur consortium, vbi tantæ fœlicitatis gratia possidetur.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Quid est quod sic petitur, vt fiat voluntas Dei. Nunquid aliquis potuit eius resistere voluntati, vt non faceret aliquando quod voluit omnipotens? ergo non, quia illi non potest aliquid impedire, sed vt in nobis impleatur eius voluntas operetur, quãdo aduersario resistente,nos voluntatem eius implere non possumus,nisi ipsius patrocinio muniamur. Si verò quæritur quæ sit Dei voluntas,habes decem præcepta quæ per Moysen Dei sunt voluntate vulgata.Habes Dei Filium,qui Patris voluntatem sciẽs, quæ erant abscondita reserauit, & quæ obumbrabantur,in lucem transfudit. Itaque voluntas Dei est agnita, excusatio non erit succursuta : Nam qui de cœlo descendit ad terras, quid aliud suæ voluntatis esse vult credi, nisi salua redemptione nos dederit charitatis & humilitatis ornamenta sectari, quando & ipse hoc dignatus est facere ea charitate nimia,humilitate sincera. Deinde qui templum sibi elegit in virgine, quid docet, nisi dona pudicitiæ custodire? Qui iustitiam coluit, dolum in ore non habuit,misericordiam præbuit, culpas indulgenti laxauit,mundo corde semper incessit. quid aliud? nisi quod nos post sua vestigia verbis traheret & exemplis. Ideóque orandum est vt si perire nolumus, ipsius voluntas operetur in nobis, iuxta Apostolum dicentem: Qui in vobis operatur & velle & operari pro bona voluntate, sicut alibi Dominus noster locutus est:Non vos me elegistis,sed ego elegi vos. Alioquin homo Christum † inuenit. Beatus Paulus † *præuenit.* voluntatem habebat ad Christum, reuera cuius per Ecclesias populum deuastabat,sed quando redẽptor dignat° est in persecutore suo magis pius esse,quàm iustus vt ad meliora accederet, cum per cæcitatis amaritudinem castigauit, & corporale lumen obduxit, vt ei spiritales oculos aperiret. De quo dixit: Ego illi ostendam quãta cum pro me pati oporteat, vnde ipsam bonam voluntatem pietas Christi contulit, non fragilitas humana possedit. Audiamus ipsum Dominum Iesum Christum in infirmitate carnis positum quid dixerit:Pater si possibile est trãseat à me calix iste.Verum tamen non sicut ego volo,sed sicut tu,Filius Dei dicit:Verum non quod ego volo, sed sicut tu Pater, & homo quare tam superbus sit vt voluntatem sibi ex se esse dicat ad bonum &non potius Dei munus esse testetur.Quod si bona volũtas ex homine est, sine Dei inspiratione dicat. Ergo Christianus in oratione: Fiat voluntas mea,quando bona est.sed absit,vt hoc aliquis confiteri præsumat, immò magis deprecetur vt fiat voluntas Dei in homine,non hominis voluntas quæ bonum velle non habet,nisi Dominus inspiret,iuxta illud: Deus meus misericordia eius præueniet me. Ergo non hominis voluntas præuenit Deum,sed Dei misericordia præuenit hominem,non voluntatem,quando sicut scriptum est:Deus est qui iustificat impium. Item spiritus vbi

tus vbi vult spirat.Igitur,quare non vnusquisque recognoscit tenebras suas, ne illuminatus tanquàm lampas quæ aliunde succenditur, per ventositatem suæ superbiæ extinguatur,& subducto splẽdore maneat in cœcitatis caligine, dum si quis bonum velle habet, sui esse putet arbitrij, & non exinde gratias referat collatori,ne audiat quoddicitur: Qui autem non habet & quod habet auferetur ab eo, hoc est, per gratiam præuenitur,nisi Deo illud adscripserit, per superbiam hoc amittit, quando iuxta Scripturã ipsa voluntas à Domino præparatur. Audiamus in hac parte doctorem, vbi dixit : Qui loquitur mendacium,de suo loquitur. Quare non addidit : Et qui loquitur veritatem, de suo loquitur, nisi vt hoc exẽplo quando virtutẽ aliquis loquitur de Dei gratia non de suo habuisse hoc bonum specialiter cognoscatur, quando de nostro solum habemus mendacium. Nam cũ ipsa veritas Deus sit qui loquitur de Deo,vnde in homine mendace causaveritatis sit,nisi ipsa veritas se ministret, hoc est nisi in hominem ipsam bonam voluntatem Deus veritatis inspiret, qui & velle tribuit & posse compleuit. Sed si quis obiiciat quod Apostolus ait : Velle adiacet mihi, cũ & rursus ipse dicit : Deus qui in vobis operatur & velle & operari pro bona volũtate. Ergo quis dicat quod ad ipsam voluntatem Deus non inspirat, quãtum ad hanc intelligentiam B. Apostolus discrepat sentiendo diuersa, sed absit, vt ille vir pacificus qui vno eodemque locutus est spiritu, in his dictis Ecclesiæ generasset scandalum, vnde doctor gentium velle sibi adiacere dicebat. Quando non solum inspiratur, sed etiã vas electionis fulgebat, qui docuit dicens:Deus est qui in vobis operatur,& velle,dein de,quid habes quod nõ accepisti? Ac si diceret,quid boni est in te,nisi det ille qui fecit terram, si bonam voluntatem Deus non confert, sed ex te est quod tu habes,iste mentitus est : Quid est quod habes quod non acceperis, vnde tolle Dei voluntatem, mox agnosco,si tu per te ad bonum habes aliquam voluntatem,cum nisi à Christo velut lucerna illumineris, quotidie nescièdo quid eligeret diuina potestas excedis.Dicamus humiliter quia nihil boni habemus, nisi singulis diebus Domino largiente sumamus, iuxta quod legitur : Omne datum bonum,& omne donum perfectum desursum est, vt Domini Pauli teneãt dicta, concordiam, & nos omne bonum ad Dei referentes gratiam, fidelem consequimur doctrinam. Nam quicunque Apostolo Paulo,id est,oculo Ecclesiæ,& cum beato Augustino eius sequace consonat,in eo ignorãtiæ caligo non regnat. Quod autem de duabus viis id est spatiosa & angusta dicitur,vt quis per quam elegerit gradiatur, per spatiosam quidem laxatis frenis liber incedis,cum ei famulando peccas. In angusta autem consideremus Apostolum dicentem : vocatione qua vocati estis per Dominum nostrum Iesum Christum, & ideò non elegit aliquis, neque ad viam peruenit, nisi vocatus fuerit ab ipso qui via est & vita & veritas.Sed in hac via cum Apostoli verbis & præceptis Euangelicis excurramus, dicentes ad eos, qui iam ex Iudæis in Christo erant fide conuersi : Si vos Filius liberauerit,tunc liberi eritis,& quãdo sit istud attendite ipso Domino prædicante:Si manseritis in verbo meo,verè discipuli mei estis & cognoscetis veritatem,& veritas liberabit vos,ac per hoc hortatur vt sequendo illud quod dedit per gratiam nos ad veram liberationem perducat. Vnde tunc homo in bonum perfectè liberum possidebit arbitrium, quando omnino non poterit seruire peccato. Item fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra,id est sicut in cœlis Angeli,ita homines venerentur in terris,& quemadmodum illi concordia, inculpabili charitate deuoti, in laude Dei videntur iugiter inhærere, ita nos in suo timore & amore iubeat sine labe purgari. Item fiat volũtas tua,id est sicut spiritus qui de cœlis,& cœlestia cogitat:Ita caro quæ de terra est,terrena non cupiat,sed quæ sunt spiritus hæc intendat, & quasi facta concordia pariter ad cœlos ascendat, ergo sicut in cœlo, id est in spiritu, ita in terra, id est, in carne. Fiat Dei voluntas,vt iam post aduentum Christi nõ caro,quæ mater est criminis spiritum festinet, sicut Eua,decipere,Sed Adam qui est in typo spiritus,carnem habeat famulantem,nec Dominus ancillæ, sed ancilla seruiat dominanti. Sicut in cœlo & in terra, homo ante baptismum carnalis esse describitur,post baptismum spiritalis efficitur. Ideóque pro illis qui adhuc sine lauacro sunt à nobis oratur, vt sicut nos videmur facti esse cœlestes per baptismum, & illi qui adhuc ab Ecclesia peregrini sunt, tãto beneficio non fraudentur. Sed per munificentiam Domini no biscum dona similia consequantur. quia & cum illi consortes facti fuerint, nos facultatem non amittimus,sed augemus.quare autẽ non sit inuidia, vt homo non oret pro homine, cùm Christus, vt nos adquireret,suo sanguini non pepercit:Item fiat voluntas tua,voluntas Patris erat quod Filius prædicauit, quod operatus est,quod passus,& mortuus est & resurrexit,Sicut ait : Non veni voluntatem meam facere,sed voluntatem eius qui misit me Patris. Ergo orandum est, vt nos similiter mereamur ducere, agere,sustinere,& in ipso resurgere, vt possimus cum ipso regnare.Item fiat voluntas tua,deus incommutabiliter bonus, quid aliud, nisi semper vult bonũ, quamuis nos moles impediat peccatorum.Ergo bene videmur optare,vt nobis ea cõtingant,quæ deus vult,cum sciamus illum bonæ voluntatis haberi.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Considerandum est, quàm mirabiliter orationis huius ornatus sit textus, vt nominatis æternis temporalia peterentur, nam tria ista quæ poscimus, id est, Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua,propter æterna consequẽda hìc sunt necessaria & hic incipiunt, sed perfecta in futura vita possideri credenda sunt, & perpetua permanebunt. Ergo panem nostrum da nobis, quãtus animæ & carni est necessarius spiritaliter vel corporaliter.

Et dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Ad præsens vitæ opportunitates pertineri videntur,denique nominis eius sanctificatio & regni eius, in spiritu & corpore nostro post Resurrectionem perfectè manebunt.Item panem nostrum, quisquis ad veram salutem peruenire meruit, Christum esse panem vitæ perpetuæ non ignoret, quia dixit: Ego sum panis viuus qui cœlo descendi. Vnde iste panis non est communis cum reliquo,quia ille corpora protegit, iste nouit animas enutrire, & qui illum manducat, esurit : qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur,& ideò tanto magis iste cibus quærendus est,quanto plus reficit epulatus. Quod verò

quotidianum panẽ petimus, hoc insinuare videtur, vt communionem eius corporis, si est possibile omnibus diebus reuerenter sumamus, quia cùm ipse vita nostra sit, nutrimento nostro peregrinos nos facimus, si ad Eucharistiam tardi accedamus. Item dũ dicimus Panem nostrum da nobis hodie, Cognoscimus non nobis sufficere, quod præterito die Deũ rogauimus, nisi & eo qui in præsenti, oratione vacemus, propter illud sine intermissione orantes: siue sic aduertendum est, quod postquàm ad Christum peruenimus, mundum cum pompis suis reiecimus, non nobis necesse sit ad escam amplius quàm quotidianus vsus exigit, vt quæramus reuera cum aduentum Domini iugiter exspectemus. Nam impedimẽta mundi faciunt homines miseros, & sciamus panem illi sufficere, cui Deus non deficit. Quod Helia habitanti in eremo ministrauit. & Dimitte nobis debita. Benè post escam quæsitam postulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo pascitur, Deo viuat, si ei dimittantur peccata, & congruè, ne se humana extollat superbia, petendo veniam videtur confiteri delicta, cum tamen si purgari desiderat, sæpius ad orationem recurrat: Conuenienter autem debita peccata dicuntur, quę & debentur & requirenda sunt: Nam sicut debitor à creditore requiritur, ita peccatum à Deo in die iudicij necesse est, exigatur. Nisi hic dum viuimus per pietatem eius indulgentiæ, ista nobis exactio condonetur, & meritò hic remitti cuncta rogamus, vbi delicta committimus, quando in futuro, sicut peccare non licet: ita non vacat pœnitere, sed addendo, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, qui pium se ostendit & legem imposuit, vt nisi qui in peccantem culpas indulserit, sibi indulgeri à Domino non speret, propter illud. In qua mensura mensurati fueritis, remetietur vobis. Item misericordiam & iudicium cantabo tibi, quando qui in nobis pius est, vult nos esse aliis miserentes: vnde meritò de culpa vapulat, qui magistri verba declinat. Summa est eleemosyna alteri remittere, quod in te videatur peccasse: Dimitte nobis debitum: quid ergo de baptismi fonte surgentes, & corpore Christi communicantes, mox nobis dimitti peccata, sed fragilitas nostra conseruare puritatem lauacri non valet. Quam de fonte percipit, nisi dignetur Dei gratia custodire, & bene, sicut nos dimittimus debitoribus nostris: vt ostenderetur, quia Deus pacis cum omnibus vult nos concordes. Ne nos inducas in tentationem? Nunquid Deus aliquem in laqueum tentationis inducit? aut ab inimico cupiat supplantari? qui monet ne incidat.

EIVSDEM VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI IN EXEGESIN SYMBOLI APOSTOLICI, PRÆFATIO.

Fidei Catholicæ totius summã recensentes, in qua integritas credulitatis ostẽditur: & vnius Dei omnipotẽtis, id est sãctæ Trinitatis æqualitas declaratur, & mysterium incarnationis filij Dei, qui pro salute humani generis à Patre de cœlo descendens, de Virgine nasci dignatus est, quo ordine, vel quãdo protulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa cœlos ascendens, ad dexteram Patris consederit, iudexque venturus sit. Qualiter remissionem peccatorum sacro baptismate renatis contulerit, & resurrectionem humani generis in eadem carne in vitam aternam futura sit, quia multa in Symbolo paucis verbis complexa sunt, mediocriter nobis semper temperandus est: ne aut breuiter dicendo non aperiat intellectum, aut prolixitate verbi generetur fastidium. Itaque resurgente Christo, & ascendẽte in cœlum, misso sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum adhuc in vno positis, hoc est, inter symbolum vnus quisque quod sensit dicendo condiderẽt, vt discedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes æqualiter prædicarent. Denique symbolum Græcè collatio dicitur, quia hoc ipsi inter se per Spiritum sanctum salubriter condiderunt. dicitur & indicium quod per hoc, qui rectè crediderit, iudicetur. Ergo cunctis credentibus, quæ continentur in symbolo, salus animarum & vita perpetua bonis actibus præparetur.

CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM.

PRÆCLARE in primordio Ponitur fidelis testimonij fundamentum, quia saluus esse poterit, qui rectè salutẽ crediderit Apostolo prædicante: Credere oportet accedentem ad Deũ. Item: Corde creditur ad iustitiã. & credidi propter quod locutus sum, vel illud: Iustus ex fide viuit. & Nisi credideritis, nõ intelligetis. Ergo vel in rebus humanis nullum opus incipitur nisi labor omnis adesset cũ venire credatur. Vnde credendum est in Deũ, à quo tàm præsens vita, quàm futura tribuitur. Deus autem appellatio est substantiæ sempiternæ siue timoris diuini. Igitur Deus est sine principio, sine fine, simplex, incorporeus, incomprehensibilis. Patrem autem cum audis, agnosce quod habeat filium veraciter genitum. Quomodo possessor dicitur qui aliquid possidet, & Dominus qui alicui dominetur. Deus ergo Pater secreti sacramenti vocabulum est, cuius verè filius est verbum, & speculũ, & caracter, & imago viuẽtis Patris viuẽtis, in omnibus Patri similis, eiusdem naturæ, & in diuinitate genitus genitori per omnia coæqualis, nec quæratur, quomodo genuit Filium, quod & Angeli nesciunt, Prophetis est incognitum. Vnde illud dictum est: Generationem eius quis enarrabit, quam secretam originem cum proprio Filio nouit, ipse solus qui genuit. Nec à nobis Deus discutiendus est, sed credendus est, qui in nobisipsis nescimus quod sapimus. Quomodo sapientia, ingeniũ, aut intellectus, consilium, aut mens nostra generat verbum. Sed vt breuiter dicamus, sufficit nos scire, quia lux genuit splendorem, Propheta testante: In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. & illud: Hic Deus noster, & non reputabitur alter ad eum, & pòst in terris visus est, & inter homines conuersatus est. Omnipotens verò dicitur, eo quòd omnia possit, & omnium obtinet potentatũ, quia Pater omnia creauit per Filiũ.

Et in

Et in Iesum Christum.

Iesus Hebraicè saluator dicitur: hoc nomen dignè conuenit Principi, qui populo se sequenti posset salutem tribuere. Cuius figuram Iesus Naue gerens populum, de deserto in terram repromissionis certum est induxisse, & iste de tenebris & terra ignorantiæ se sequentes ad cœlos educit. Christus dicitur à chrismatis vnctione, & hoc nomen pontificale est vel regale, quando Reges vngebatur oleo corruptionis. Hic autem ab Spiritu sancto oleo exultationis diuinitus vnctus, Propheta dicente: Spiritus sanctus super me, propter quod vnxit me. Iesus ergo dicitur, eò quòd saluet populum. Christus, quòd sit vnctus pontifex in æternum.

Vnicum Filium.

Ideò vt nihil hoc intelligas terrenum siue corporeum, vbi de vno est vnus, de luce splendor, de corde verbum, de mente sensus, de forte virtus, de sapientia sapiens, de æterno natus est coæternus. Per omnia, id est, quod Pater, hoc Filius, nam vnicus, ideò, quia nec comparationem recipit cum reliquis creaturis. Per similitudinem, quia omnium Rex sum mus ipse creator est, homines cum filij Dei vocãtur, per gratiam: Ille solus Filius genitus, per naturam. hucusque de deitate Patris atque filij textus ordo secutus est.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

Ille qui de Patre ante sæcula natus est, postea de Spiritu sancto eius templum in virgine fabricatum intelligendum est. Nam sicut in sanctificatione Spiritus, nulla fragilitas extitit, Sic nec in partu eiusdẽ causa corruptionis apparuit. Qui in cœlis vnus, in terris vnicus, per portam Virginis ingredi mundum dignatus est: hinc plurima Prophetæ de Virginis conceptu & de partu locuti sunt, vnum tamen exẽplum pro breuitate proponemus. De quo Ezechiel dicit: Porta quæ respicit ad Orientem, clausa erit & non aperietur, & nemo transit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ipse transibit per eam, & clausa erit. Hoc tamen notandum est, quia dum Spiritus sanctus est dominicæ carnis creator, Spiritus sancti hinc maiestas ostenditur. Quod verò Deus maiestatis de Maria in carne natus est, non est sordidatus nascendo de virgine, qui non fuit pollutus, hominem condens de puluere. Denique sol aut ignis si lutum inspiciat, quod tetigerit purgat, & se tamen nõ inquinat: Nec fuit Deo iniuriæ causa misericordiæ, neque sit incredibile, quod est ipse natus de virgine, qui Adam de puluere, & primam mulierem potuit de costa formare.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Hinc multa Prophetæ qualiter confixus in Cruce foratis pedibus, acero vel felle, aut vino myrrhato: Spinis coronatus, lancea percussus, super veste eius sorte missa, & in cõspectu populi maligni, manibus extensis in die pependerit, prædixere: diligẽs lector inueniet. Tamen vt breuiter dicatur: in Cruce suspensus est, vt nos à damnatione ligni vetusti dissolueret. Felle verò potatur, vt amaritudinem præuaricati pomi & nimis acidi amputaret. Spinis coronatur, vt maledictæ terræ vetustum crimen eueret. Lancea percutitur, vt per plagam lateris aqua fluente & sanguine, baptismum vel mysterium martyrij promulgaret. Et vt dicatur aliquid altius, in costa Christus percutitur, vt vulnus nobis infixum per Euam quæ de costa viri formata fuerat, amputaret. Vt tamen adhuc intelligendum aliquantulum extendamus, sicut dicit scriptura: Cordis oculis apertis ad intelligendum, quid sit altitudo, latitudo & profundum, quæ est Crucis significatio, qua Dominus in patibulo se pati elegerit quæritur, ratio tamen hæc redditur. Crux species trophæi est, quod deuictis hostibus solet fieri triumphanti, & quia Dominus tria regna sibi subiecit. Suspensus in aëra, victoriam de cœlestibus & spiritalibus nequitiis est adeptus, expandens autem manus ad populos, palmam de terrenis. Quod verò sub terra Crux fixa est, ostendit eũ & de tartaro triumphare, & quia de aliis breuitatis causa prætericimus plurima: Non generemus fastidium, si pro honore sanctæ Crucis nobis hic sermo distenditur, vt vobis ædificatio & illi crescat præconium. Ergo quia nec ipsa sydera in conspectu Dei pro humano crimine erant pura, & erat tota polluta, ideò suspensus est Christus in aëra, vt simul terras & astra purgaret. Aut quia ipse dixerat: Sicut Moyses exaltauit serpẽtem, ideò Cruci suspenditur, vt adimplerentur verba, quæ creator prædixerat: Aut quia inter cœlum & terram grãdis erat discordia, vt tolleret reconciliator se mediante scãdalum. In aëra suspenditur, vt se in medio posito inter cœlum & terram, & inter hominem & Deum pax rediret post odium. Aut ideò quia antè grauis latro in Cruce cõfigebatur. Ergo ad hoc elegit Christus principale supplicium, vt hominem absolueret, originale peccatum, quod erat principale tormentum. Aut ideò Dominus in Cruce suspenditur, vt pro captiuitate nostra precium sui corporis mercator in statera pensaret. aut ideò crucifigitur, quia mortui eramus per pomum & arborem, vt denuò Crux & Christus, id est arbor & pomum, per ipsam similitudinem nos à morte liberarer, pomum dulce cum arbore.

Sub Pontio Pilato

Benè hoc est additum, vt iudice cum tempore designato, non esse videretur incertum sub Herode Rege, qui eo tempore Tetrarcha erat. Ad quem Pilatus misit Dominum vinctum, & per hoc inter iudices pax venit post odium, & ligatus Dominus magis legatarius pax inter partes extitit, & iudices à liuore dissoluit.

Descendit ad Infernum.

Hinc Prophetæ plura dixerunt, vnde est illud dictũ: Vita mea in inferno adpropiauit. Et factus sum inter mortuos liber. Et illud: Tu es qui venturus es, quod lector requirens inueniet. Sed descendens ad Infernum, iniuriam non pertulit, quod fecit causa clementiæ. Velut Rex intrans carcerem, non vt ipse teneretur, sed vt noxij soluerentur. *Psal. 87. Mat. 11.*

Tertia die resurrexit.

De Resurrectione eius iidem Prophetæ plura locuti sunt, quod & Ionas ipse triduo in ventre ceti permanens designauit. *Ionæ 2 Mat. 12.*

Ascendit in cœlum.

Hoc Psalmographus, Propheræ, & Apostolus meminit. Vnde illud dictum est: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Ergo post passionem omnes cœlos ascendit, non vbi non erat Deus Verbum, qui semper in cœlis est. Sed vbi adhuc Verbum caro factum, non fuerat. Vnde videntes Angeli carnis naturam cœlos intrare, stupuerũt dicentes: Quis est iste Rex gloriæ, nam & ipsum sedere, mysterium est carnis assumptæ, & proiectum sedis *Ephe. 4. Psal. 23.*

Psal. 92. non diuina ſed humana natura requirit, inde & hoc
Psal. 110 dictũ eſt: Parata ſedes tua Domine, &: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, & illud:

Iudicaturus viuos & mortuos.

Aliqui dicunt viuos iuſtos, mortuos verò iniuſtos. Aut certè viuos, quos in corpore inuenerit aduentus Dominicus: Et mortuos iam ſepultos. Nos tamẽ intelligamus viuos & mortuos, hoc eſt animas & corpora pariter iudicanda eſſe. Nam de aduentu Domini & Malachias ait: Ecce venit Dominus omnipotens, & Daniel: Ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis, & illud: Sicut fulgur ab oriente, ita
Mal. 3. *Dan.* 7. *Mat.* 24. etit aduentus filij hominis.

Credo in Spiritu ſancto.

In huiuſmodi commemoratione myſterium Trinitatis impletur. Vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus ſanctus, vt fiat diſtinctio perſonarum, vocabula
Mat. 26. ſecernuntur. A modo videbitis filium hominis, ſedẽtem à dextris virtutis. Pater ex quo omnia, & qui non habet Patrem, Filius ex Patre genitus, Spiritus ſanctus de Dei ore procedens, & cuncta ſanctificãs: ergo vna diuinitas in Trinitate, quia dixit ſymbolũ: Credo in Dominum patrem: & in Ieſum Chriſtum: & in Spiritu ſancto, ergo vbi, In, præpoſitio ponitur, ibi diuinitas approbatur, vt eſt: Credo in Patre, in Filio, in Spiritu ſancto. Nec dicitur, In ſancta Eccleſia: nec dicitur, In remiſſione peccatorũ: ſed remiſſionem peccatorũ credit ſancta Eccleſia eſſe ſancta,
Ephe. 4. quia vna eſt eccleſia ſine ruga, ſicut vna fides, vnum baptiſma, in qua vnus Deus, vnus Dñs, vnus Spiri-
Cant. 4. tus ſanctus creditur, de qua in Canticis legitur: Vna eſt columba mea. Nam hæretici congregant Eccleſiam, vbi ruga & perfidiæ macula comprobantur.

Remiſſionem peccatorum.

Nobis in hoc ſermone ſola credulitas ſufficit. Nec ratio requiritur, vbi principalis indulgentia comprobatur. Ipſe Rex terrenus à nullo diſcutitur, ſi quodcunque largitur. Nam ille qui potuit de luto hominem facere, idem potens eſt. & lutulentũ purgare, & valet innocentiam perditam reſtituere, qui ſepultos & membra perdita reuocat ad ſalutem.

Reſurrectionem carnis.

Summa perfectionis concluditur, & caro ipſa quæ cadit, reſurrectura erit, immortalis vt maneat, licet reſurrectio à paganis, & à quibuſdam hæreticis
Iſa. 26. non credatur. Tamen Eſaias dicit: Surgent mortui
Dan. 12. & ſuſcitabuntur, & Daniel ait: Reſurgent tunc qui
Mat. 22. ſunt in terræ puluere, Chriſtus dicit. Quod autem
1. *Cor.* 15 reſurgent mortui non legiſtis? & non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Item Apoſtolus dicit: Tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. & dicit ſcriptura: Poſt Reſurrectionem, erunt ſicut Angeli Dei. Ergo nec hoc credentibus impoſſibile iudicetur, quia qui potuit hominẽ de terra cõponere, poterit hunc ex homine in Angelum transformare, & poſt hanc vitam temporalem, vitam æternam tri-
C buere. Ergo moritur homo quaſi granum in ſulco, vt reſurgat cum ſpico, & multiplicetur in fructu, aſſimiletur & Angelo, quod ipſe ſalutis auctor nobis tribuere dignetur, qui triumphato tartaro, cum Patre & ſancto Spiritu glorioſo, principatum intrans victor regnat in cœlo, Amen.

DIVI ANDREAE HIEROSOLYMITANI IN S. MARIÆ DEIPARÆ SALVTATIONEM, SERMO.

SIXTVS SENENSIS LIB. IIII. BIBLIOT.

Andreas, Hieroſolymitanus Epiſcopus, ſcripſit græco ſermone in Annunciationem Deiparæ Virginis, ac ſalutationem ex Luc. 1. luculentiſſimam orationem: quæ incipit, Adeſt hodie gaudium. Interprete Marco Hoppero. Caniſius initio Catechiſmi, putat illum floruiſſe ſub Iuſtino 2. Imp. 550.

ADEST hodie gaudium omnium, priſtinã nobis noxam diluẽs. Adeſt, qui eſt vbique, D vt gaudio omnia impleat. Quomodo vero adeſt? Nullis certè ſtipatus ſatrapis: nõ Angelorum ſecum ducens exercitum: non ſuam iactãs expeditionem, ſed quietè ac ſubmiſsè id agẽs, quò tenebratum principem lateat: quò prudenter illaqueato ſerpente, captóque Aſſyrio illo dracone, qui ſeruituti ſuæ humanã libertatẽ
Luc. 11. omnem ſubiecit, ſpolia auferret. Quoniã immenſa eius erga nos miſericordia, tantũ condemnari opus, hominem dico, non ſuſtinuit, propter quem cœlos E condidit, terram firmauit, aëra expandit, maria dilatauit, ac omnem denique obtutui noſtro fabricam obiectam effecit. Propterea Deus ſuper terrã, Deus ex cœlo, Deus inter homines, Deus in vtero virginis geſtatus, quem totum vniuerſum non caperet. Hinc humana natura gaudij præludia percipit ac diuini initium conſortij capit: Hinc à ſuo purgata peccato, cum immenſarum diuitiarum ſponſo nuptias celebrat. Hinc prior noſtra effigies nouam figuram conſequitur, ac ſenio quaſi confectus mundus, peccatorum ſenectam exuit: At cœlum lætetur deſuper, D rorẽntque nubes iuſtitiã: Stillent montes dulcedi-
Eſa. 45. nem, & colles lætitiam, quoniam miſertus eſt Deus populiſui. Hodie emẽ, quod ante omnia ſæcula abſcõditum fuit, myſterium reuelatur, & in Chriſto tanquam capite omnia repetuntur. Hodie ſumma vniuerſi opifex potentia conceptum apud ſe iamdudũ de rerum creatione conſilium ad finem perducit: quò quod de nobis iam ab initio omnis mali princeps inſtituit conſilium irritum faceret. Ob id ſanè repudiant Angeli, congratulantur ſibi homines, ad E quod vniuerſus reſtitutus orbis cõcurrit. Quæ mẽs, aut quæ hæc concipiat lingua? Non equidem vllus ſermo eloqui, vel auditus percipere poſſit. Meritò ergo præſens hoc feſtum magna nobis ſolennitate *Feſtum* & lætitia hodie peragitur, quod pleniſſimam coin- *Annun-* quinationis noſtræ expiationem concelebrat, quæ- *ciationis.* dam quaſi exiſtens vniuerſæ quidem creaturæ læta feſtiuitas, humano verò generi reſtitutio. Hæ igitur

gaudij

gaudij hodiernæ annunciationes, hæc Dei reconciliationis indicia, exoptatiſſimæque ſalutis lęta vaticinia, vndenam & à quo, vel ad quem pertingunt? Ex cœlo, à Deo & ad virginem viro deſponſatam.
Luc. 1. Quę verò virgo? aut quisnam vir ille? quæve hiſce nomina ſunt? Illi quidem Mariæ, huic verò Ioſepho: Ambo de ſtirpe Dauid. Quo rerum harum miniſtro & vnde venerat? Archangelo Gabriele ex altiſſimis in huius ſtupendę rei miniſterium demiſſo. Decebat enim miniſtrum altiſſimi, ex altiſſimis ſuper terram deorſum volantem, inauditum illud atque ſui admiratione res admirandas cunctas longè ſuperans myſterium ſecum adferre. Quodnam illud? Domini ad nos deſcenſionem, illius incredibilis diſpenſationis manifeſtationem: diuini conſilij atque B decreti ab æterno abſconditi promulgationem con
Luc. 1. firmationemque. Vbi autem & quãdo cuiuſque gratia contigit iſta fieri? In Nazaret ciuitate Galilææ: menſe VI. à Ioanne concepto: vt venturum in vtero exiſtentem prædicaret. Nam Gabriel è ſublimi per æthera ad terreſtria loca demiſſus, Nazaret conſtitit, & ad virginem accedens inſcrutabilis illius diſpenſationis indiciũ ei placidè pro ſuo officio fecit. Hoc illud eſt diuinæ cum humano genere reconciliationis myſterium. Huius hodie feſtum celebramus, Dei, inquam, cum hominibus coniunctionem, adoptionis noſtræ dignitatem: imaginis noſtrę refor
C mationem: in melius emendationem, in cœlos exaltationem atque aſcenſionem. Quapropter magno hodie cuncta gaudio, ac vniuerſi cœleſtium poteſtatum ordines ſpirituales, ob Dei nobiſcum reconci-
Luc. 15. liationem, nobis quoque placantur. Iucundiſſima enim ipſis eſt noſtra ad Deum reuerſio, & ad ſtatum
Heb. 1. meliorem ingreſſus atque reditus. Quoniam valde ſunt noſtri cauſa ſoliciti atque benigni: ad eorum quippe miniſterium miſſi qui ſalutem ſortientur. Lætentur itaque cuncta hodie: vniuerſa exultet natura: Cœlum enim apertum eſt: Terra regem vniuerſi clanculum excipit: Nazaret Eden hortum æmulata
Nazaret hortum Paradiſi æmulata eſt. ipſius Eden conditorem ſinu ſuo complectitur: Mi-
D ſerationum pater humanam deformitatem vnico ſuo atque vnigenitó tibi Filio deſpondit: cuius Gabriel myſterij miniſter ſit ac virgini acclamat: *Aue*, quo gaudiũ quod auia perdiderat, filia Adam ex Da
Luc. 1. uide orta, per ſe recuperaret. Hodie pater omnis gloriæ humani generis calamitatem miſertus, corruptam in Adamo naturam propitiis oculis intuitus eſt. Hodie miſericordię largitor, viſcerum ſuorum optimorum abyſſum nobis reuelat, ac naturam noſtram miſericordia ſua inſtar marium perfundit, quæ multa aqua teguntur. Decebat quippe eum, à quo & per quem & in quo facta ſunt omnia, veteris noſtræ noxæ condemnationem miſericordia ſua commutare, propriáque ſua gloria glorioſam reddere corrup-
E tam in Adamo naturam, nec non veritate contunde re fallax illud fallacis patris conſilium, cuius opus fuit prima tranſgreſſio, protoplaſti, inquam, delictum. Hinc nimirum magnus ille rex Dauid in Pſalmis ſuis cecinit iam antea. Miſericordia & veritas
Pſal. 84. occurrére ſibi mutuo: Iuſtitia & pax ſe mutuo exoſculatæ ſunt. Quid ob aliud hæc dicens? quàm filij ſecundum patris beneplacitum, miſericordiam breui ſuper nos venturam, qua miſertus noſtri miſericordiæ largitor, nobis eſt ſimilis factus, abſque omni tamen peccato quò tranſgreſſionem noſtram ipſe tolleret, ac lapſos nos à caſu erigeret, confractum que vas de nouo iam ab omni immune contritione fingeret. Veritatem autem dixit eius, quæ non eſſet iuxta phantaſiam inter homines factam apparitio- *Veram eas-* nem. Non enim ſimulatam (quod videri alicui po- *nem aſſũ-* terat) carnem à nobis aſſumpſit, ſed in ipſa rei verita- *pſit Verbũ* te ſingulari ſimul erga genus humanum ſtudio, & ſecundum homines ex hominum ſubſtantia ſibi aſciuit, qui eſt altiſſimus, ac totam noſtram in ſemetipſo naturam ſanctificauit: nec diſpenſationem eam ſub ſpecie quadam finxit. Hanc ille carnis, inquam, veritatem cognouit, illæſa eius Deitate manente, ſtu pendę prorſus alterationis. Quoniam igitur miſericordia & veritas, vt habent Prophetarum oracula, mutuò ſibi occurrere, meritò ſanè iuſtitia & pax mu
B tuò quoque ſe exoſculatæ ſunt. Iuſtitia quidem, quæ eſt aduerſus cum, qui primos parentes decepit, prolata ſententia. Quando? & à quonam? Hodie, & à patre altiſſimo: Iuxta quam, qui natura ſua benignus eſt, iuſtiſsimè decreuit, vt filius eius proprius vnigenitus in noſtræ ſimili comparẽs forma aduerſarium illum condemnaret. Pacem verò dico, quam deſuper ſubitò Angelorum chorus, in ipſa ſtatim Irenarchæ filij, ſecundum carnem natiuitate vnanimiter
Luc. 2. concelebrauit dicens. Gloria in altiſſimis Deo, ac in
Eph. 2. terra pax, in hominibus bona voluntas. Gloria, qua per Chriſtum genus humanum eſt glorioſum factũ, ſupra cœlorum orbes euectum, ac omnem ſupra
C principatum, & poteſtatem virtutemque elatum, vt habet magnus ille Apoſtolus. Pacem autem quam ipſemet, interponendo ſe, nobis reſtituit, coniunctis cum terreſtribus arctè cœleſtibus, ac nouam redeundi in cœlos ſemitam terrigenis gratuitò donauit. Bonam autem voluntatem, qua ipſimet beneplacuit Patri, filium ſuum dilectum ad condemnatos nos mittere, vt probatam & acceptã patri per ipſum ſalutem, quaſi conſentiens patri, in nobis expleret. Hoc illud eſt cuius hodie feſtum celebramus: hoc Gabriel quoque demandatum ſibi officium exequitur, ac medius inter Deum & homines totius reconciliationis pignora, rem equidem lætiſſimam, virgini primus annunciet. Nam miſerationum Pater, noD ſtri miſertus generis tranſgreſſionis noxa iam deperditi, manuum ſuarum operum recordatus eſt. Nec noſtrum penitus interitum videre ſubſtinens, primum quidem legem in tabulas lapideas ſcriptam per Moſis manus tradidit. Poſtquam verò nihil ſcripta lex proficeret, viros diuino ſpiritu præditos miſit (Videntes & Prophetas appello) qui Dei vias omnes rectas docerent. Verùm, cum illi, ad quos miſſi hi erant, obſtructis ſenſibus ſuis, nihil minus quàm antea proprios affectus ſequerentur, *Filius pa-* nec ſic tamen nos fictionem ſuam plaſtes ille deſ- *triqualis* pexit, ſed ex benigniſſimo mitiſſimoque ſinu ſuo ſuũ eiuſdem ſecum maieſtatis, potentiæ & bonitatis fiE lium ad indignos nos miſit, ad quos fines ſæculorum pertinxere: ſatius fore exiſtimans, hoſtium ſuorum ſalutem perfiçere, quam tale ac tantum creationis ſuæ ſpecimen, ac perfectionis velut exemplar deſpicere. Vni ergo ex præcipuis Angelorũ, quẽhuius miniſterio myſterij præfeciſſet, taliavt puto, verę maieſtatis ſuæ nutu mandauit: heus inquiens, vade Gabriel Nazaret in ciuitatem Galileæ, in qua puella Virgo habitat, deſponſa viro, cui nomen eſt Ioſepho, virgini autem nomen eſt Mariæ. Vade, inquit, Nazaret. Curnam? Quo gratioſiſſimum virginitatis decus, veluti roſam ſuaue olentem ex loco

ſpinoſo ſibi omnipotens eligeret: tum etiam ob prophetiã, Quoniam Nazaræus vocabitur. Quiſnã quẽ Nathanael poſtea, Dei filiũ & regẽ Iſrael prędicat. Cęterũ conſueuit Gabriel circa Dei miniſtrando verſari myſteria, queadmodũ ex Daniele id cognouim⁹. Abi igitur Nazaret in ciuitatẽ Galilęę, quò cũ citò perueneris, illud primũ virgini nũcia, gaudij inq̃, Euãgeliũ, quod iã antea Eua amiſerat. Nec animam eius metu aliquo perturbes, nã gaudij non mœroris hoc indicium eſt: voluptatis, nõ triſtitię ſalutatio eſt. Quodnã vel fuit, vel contingat vnquã humano generi maius illo gaudiũ? dũ diuinã naturã participat, & arcta cũ Deo cõiunctione vnũ cũ eo fit, ſecũdũ vnitatis adeóque eſſentię rationẽ. quid verò dignũ magis admiratione, q̃ Dei videre deſcenſum ad vterum vſque mulieris pertingentẽ? orẽ incredibilẽ: Deus inter mẽbra mulieris, cuius cœlũ thron⁹ eſt, & terra ſcabellũ pedũ eius. *Iſa.66.* Deus in vtero, qui patri ſuo coæuus cœlos inhabitat. Ecquid aliud præter exiſtimationẽ magis, q̃ Deũ ſub hominis ſpecie apparere, vt tamẽ de propria Deitate nihil ei decedat? Tu etiã vniuerſam videre naturã humanã cũ Plaſte ſuo coniunctã, vt totus diuinus reddat' homo, qui primus ſub peccatũ cecidit? quid igitur Gabriel? Auditis his & cognito hoc mandato, diuina quidẽ voce ſibi denunciato, virib. autẽ eius longe ſuperiore exiſtẽte, inter metũ & gaudiũ cõſtitutus fuit. Nec.n. fiduciã inde manifeſtã habẽs, nec tutũ ſatis contradicere exiſtimans, diuinę obſecutus voci ad virginẽ ſe demiſit. Cũque Nazaret iam perueniſſet, ad domũ conſtitit: *Gabrielis cogitationes* meditabundo nimirũ ſimilis factus, ac ſecũ quaſi hæſitãs variis proculdubio cogitationib. diſtrahebatur: talia puto, apud ſe animo voluens: Vndenam Dei exequi conſilium aggrediar? veloci ne curſu ad thalamum contemdam.

At animum virginis ſic terrebo: Tardius ergo accedam? Verũ ceu animo furandi ingreſſus puellę iudicabor. Pulſabone igitur fores? ſed quõ? nec.n. illud conſuetũ Angelis eſt: nec quod corpore vacat, agere quicq̃ eorũ poteſt, q̃ vel apprehẽdunt vel apprehenduntur. Portamne prius aperiam? ſed & clauſa ea, ingredi poſſum. Nomine eã vocabo? ſed territabo iuuenculã. Hoc ergo faciam: admittentis me conſiliũ, impetũ moderabor. Intentio quippe eius eſt humanũ ſeruare genus. quod ſanè conſilium, & ſi pręter expectationem omniũ quodãmodo ſit, miſericordię tamẽ plenũ eſt, recõciliationis ſymbolũ. quõ aũt ad virginẽ accedã? aut q̃ aduẽtus mei cauſã primã dicã? nũ gaudij Euang. aut Dñi mei inhabitationẽ, ac Spũs inuaſionem? vel altiſſimi obũbrationẽ? ſic etenim virginẽ exhilarabo. *Aue.* Indicabo ei ſtatĩ rẽ illã admirandã, accedã propius & ſalutabo eã, acclamãdo ſubmiſſè, *Aue*. Cõmodus mihi liberioris ſermonis ingreſſus fuerit ſalutatio: Ipſũ, inq̃, *Aue* ceu pignus quoddam inſtituendi cũ ea colloquij permittatur mihi. Nã vnica hęc vox, Salue, nullũ apud puellã metus locũ relinquet ac mentẽ eius prius demulcebit. Ab ipſo igitur gaudio exordiũ ſumã, lętitię ſigna ſtatĩ ei annunciãs. Decet.n. lętis ita pręconiis reginã ſalutari. Hic etiam modus gaudiũ efficit: occaſio pręterea cõmoda eſt. Hoc quoq; mandatũ aĩæ voluptatẽ inducit: Salutis hoc conſiliũ eſt, & immẽſi gaudij prooemiũ. Hæc apud ſe aĩo voluens Archangelus, ad domũ acceſſit: Ac ad Thalamũ, in quo virgo erat, cum perueniſſet, aperto clam oſtio ad eam ingreſſus eſt, & manſueta admodum voce virginem compellauit dicens: *Aue gratioſa, Dominus tecum* : Qui ante te, hodie vnà tecum eſt, & ex te paulòpoſt naſcetur. Illud quidem ab ęterno, hoc verò ad tẽpus. Papę, imenſã illã humanitatẽ: Papę, illã bonitatẽ. Nõ fuit contentus gaudij ſigna prodidiſſe, niſi lętitię quoque autorẽ in vtero virginis depręedicaſſet. Hoc.n. ꝙ ait: Dñs tecũ, ipſũ adeſſe regẽ clare ſignificat: totũ, inquã, eũ in ipſa eſſe in corpus coactũ, vt etiã nihil de propria eius gloria ceſſerit. *Dominus tecum.* Aue gratioſa, Dñs tecũ. Salue lętitię organũ per quod delicti noſtri condemnatio expiata eſt, ac veri gaudij plena facta cõpenſatio eſt. Salue verè benedicta. Salue illuminata: Salue magnificum diuinæ gloriæ templum: Salue conſecratum regis Palatium. Salue Thalame, in quo Chriſto humanitas deſponſata eſt: Salue electa Deo antequam nata fueris: Salue diuina cum hominibns reconciliatio: Salue Theſaure vitæ immarceſſibilis: Salue cœlum, ſolis gloriæ cœleſte tabernaculum: Salue Dei ager ampliſſime, quem nullus alius locus, niſi tu ſola, comprehendere poteſt: Salue ſancta virginalis tellus, ex q̃ nouus Adam ineffabili fictione formatus eſt, qui veterem ſaluti reſtitueret. Salue ſanctum Dei fermentum, quo tota generis humani maſſa conſperſa eſt, & ex vnico Chriſti corpore ceu panis factus, in vnũ coiit incredibilis concretio. Aue gratioſa, Dominus tecũ, qui dicebat. fiat lux, fiat firmamentũ, ac reliqua deinceps magnificę creationis ei⁹ opera: *Gen.1.* Salua ſis immẽſi gaudij genitrix: Salua ſis noua gloriæ arca, in qua Dei Spũs delapſus quieuit? arca in qua nouæ ſanctificatio gloriæ. Qui ſuapte natura ſanctus, in vtero virginali, ceu naturæ officina, quoad incarnationẽ mirabiliter ſeipſum concluſit: non quidem vt quod eſſet, immutaret (mutari quippe non poteſt) ſed vt quod non erat, aſſumeret, humanitatis. n. ſtudioſus eſt. *Virginis Mariæ encomia.* Salue vrna aurea, quę eum fers, qui dulce Manna reddit, ac mel à petra ingrato Iſraeli elicuit: Salue Seraphica myſtici anthracis fibula: Salue contemplatiuę cognitionis intellectuale ſpeculũ, per quod celebres ſpiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos deſcenſionem myſticè adũbrauerunt: Salue dioptra perſpectiua, per quam qui in triſti peccatorum vmbra ſedebant, recipientes deſuper cum gloria veniẽtem ortũ iuſtitiæ ſolẽ, mirabiliter illuſtrati ſunt: Salue Prophetarum & Patriarcharũ omniũ ornamentum, necnon inueſtigabilium Dei oraculorũ pręconiũ veriſſimum. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ac verè quidem benedicta, nã benedixit te ſibiipſi Deus in tabernaculũ. q̃m paterna gloria ſuperabundantẽ hominẽ Chriſtũ Ieſum eundẽ quoq; Deũ, perfectiſſimũ iis naturis ex quibus & in quibus conſtitit, ineffabili quodam modo in vtero tuo geſſiſti. Benedicta tu in mulierib. q̃ cœleſtem theſaurum, *Coll.2.* in quo alij oẽs ſapientiæ & cognitionis theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta; cuius vẽter, aceruus quidam arcę, quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum inquam, ſine ſeminantis ac coloni opera perfectiſſimè produxiſti, meſſem copioſam infinita milia congratulantium ſibi de ſalutis noſtræ operatio, adduxiſti. Tu verè benedicta, quæ ſola præ matribus omnibus digna es habita mater conditoris tui: Ac ita quidẽ, vt quæ matrib. cõtingunt, ignora res, quippe quod ex te per partũ prodiit, virginitatẽ tuã haud corrupit, nã qui formauit, idẽ quoq; cõmuniuit caſtitatis tuę ſignacula. Reuera bñdicta tu, q̃ ſola ſine

ſine viro cõcẽpiſti & in vtero eũ geſſiſti, qui cœlos expãdit, ac virginitatis tuę terram cœleſtem reddidit. Bñdicta tu in mulierib. quæ ſola benedictionẽ es ſortita, *Gen.12.* q̃ Deus gentib. per Abrahamũ promiſerat. Verè tu bñdicta, vt quę bñdicti pueri Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri mater es nũcupata. *Math.21* Propter q̃ Gẽtes acclamant: Bñdictus qui venit in nomine Dñi & benedictũ nomẽ glorię eius ſẽpiternũ. Et implebitur gloria eius vniuerſa terra, fiat fiat. Bñdicta tu inter fœminas q̃ beatã oẽs generationes ꝑdicãt, reges glorificãt, q̃ Potẽtatus adorãt, cuius in conſpectu ditiſſimi ex populo dona litãt, quã & à tergo ſequẽtes & pereuntes virgines in regis tẽplũ comitãt'. Benedicta tu in mulierib. Quã Eſaias Propheticis oculis cõſpicatus prophetiſſã & virginẽ nuncupauit: Laterẽ inſuper & locũ viſioneq; & libri caput idque ſigillo cõſignatum manifeſtè appellauit. verè bñdicta tu, q̃ Ezechiel propheta verũ ſolis ortũ proclamauit, nec portã occluſam à ſolo Deo recluſã ac rurſus cõcluſã. Sola tu verè benedicta es, q̃ montẽ magnũ, vir ille deſiderabilis Daniel vidit: Ac montẽ obũbrãtẽ, Abacuc ille admirabilis: Montem pręterea Dei, & montẽ pinguẽ: mõtẽ quoque iucundũ, montem, inq̃, quẽ Deo inhabitare placuit, quo propater tuus, & rex diuino afflatus ſpiritu cecinit. Bñdicta tu inter mulieres, q̃ Zacharias vir diuiniſſimus aureũ ceu candelabrũ ſeptem vidit lichnis ornatũ, nimirũ ſeptẽ illis ſancti S. donis clarũ & lucidũ. Verè tu Bñdicta, ſenſu intellectuq; *Zach.4.* prędita, viuidi ſalutis noſtrę ligni Paradiſus, quę ipſũ horti Edẽ colonũ, Chriſtũ, inq̃, Dñm intra te habes, figuris in te adumbratum: qui ineffabili quadã potẽtia fluminis inſtar viuiparũ vterum tuum egreſſus, quatuor velut initiis per Euangelium ſuum orbis faciem irrigauit. *Gen.2.* benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. Fructus, quo de comedens Adam protoplaſtus, euomuit veterem illam deuorationem, qua deceptionis eſcam ſumpſerat. Fructus vnde ceu ex fonte defluit amarulentæ ligni deguſtationis quædam condulcoratio, humanam purgans naturam: qui fontes fluminum inſtar erranti in deſerto Iſraëli è petra elicuit, *Exod.15* & aquas amaras in Mara dulces reddidit: panem inſuper pluit, nouũ alimenti genus & inaratum. *4.Reg.2.* Benedictus fructus, qui ſteriles & amaras aquas per Eliſæum potabiles & fœcundas ſalis inſperſione effecit. Benedictus fructus ille qui ex incorrupto virginalis vteri ſurculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus enatus eſt. Benedictus fructus, ex quo fontes ſcaturiunt aquę in vitam ſalientis æternã. Fructus, ex quo vitalis ille panis corpus, inq̃, dominicũ ꝓducitur, & immortalitatis calix, ſalutaris potio exhibetur. Benedictus fructus, quẽ ſanctũ omnis lingua celebrat, cœleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ, in triplicitate ſacroſanctę q̃ in trinitate eſt, Deitatis: Vnum & idẽ quod ad eſſentiã confitentes, proprietate verò eorũ quę peculiariter ſibi quiſq, habet, in perſonas ſegregantes. Benedicta tu inter mulieres & bñdictus fructus vẽtris tui. *Hæc aũt, inquit, turbata eſt ſuper oratione eius, & cogitabat apud ſe dicẽs: qualis eſſet illa ſalutatio.* Turbata eſt, inquit. Nũ ex incredulitate aliqua mẽte fuit perculſa? abſit vt id dicamus, ſed pietate magis & reuerentia, propter inſuetũ alloquiũ: magni proculdubio faciens vaticiniũ hoc quo ibi apparuiſſet. Nec quẽadmodum Zacharias antea in interiore tẽpli parte incredulus extitit, vnde à genitalib. ad formandę vocis organa pœna ei translata, cum fandi impotẽtia ſterilitatem cõmutauit, ſed velut omni vacans reprehenſione, & à qualicũque cum viro concubitu, vel etiã conſuetudine libera, cœleſtiũ rerũ diligenti contemplatione aſſuefacta, animóque intenta, hãc mentis ſuæ perturbationẽ ex ſalutatione ſibi incuſſam ſenſit. *In muliere metus probatur.* Cõueniebat quippe eã meticuloſiorem (quod in muliere haud improbatur) exiſtentẽ, ſubitò quidẽ animo hęrere, ad ſe autẽ, ratione progreſſa, reuerſã, perpendẽtẽ ea quæ dicerẽtur, nõ leuiter, quo videri alicui poſſet, nec obiter aures loquenti pręebere. Quare diſertè valde Euãgeliſta adiecit dicẽs: Hæc autẽ cogitabat: Ratiocinatrice nimirũ purę mẽtis facultate probãs & examinãs id quod cogitaret, ne quod diceret' ſibi temere arriperet. Qualisnã illa, dicẽs, eſſet ſalutatio. Veriſimile.n. eſt ipſã, & de clara ſtirpe natã, & Dauidis filiã, *B. virgo erudita.* haud ignarã diuinorũ quę in ſcripturis habẽtur oraculorũ fuiſſe: vt cogitationes ſuas ſtatĩ cõuerterit ad primę parẽtis lapſũ, in aĩo ſecũ ſuo voluens deceptionis primę caſũ, ac reliqua huius generis à veterib. ſanctis hominũ memorię relicta. Nõ ergo immeritò Euangeliſta meditabundã illã fuiſſe ſcripſit. Cęterũ quo & ingeniũ quod ei eſſet, declararet: nec nõ cognitionis certitudinẽ firmitatẽq, poſuit etiam tãq̃ certũ. Nondũ.n. honeſti iudicio ad rationis cõſiderationisve metã probato, haud cõueniebat certã ſalutationẽ eã habere: Niſi quia animi illã perturbationẽ ſupprimere ſtudebat, verbũ nullũ fecerit, ſola autẽ quadã diſpoſitione, aliquantulũ meditabũda, mentis commotionẽ quandã ſignificauit, morũ decore pro ſermone vſa. Qualisnã illa eſſet ſalutatio. Quaſi diceret: Nũ ſola ego inter mulieres nouum naturę modũ inducã? *Virginis cogitata.* Mene ſolã poſſibile eſt fœtum in vtero geſtare cũ nullo cõgreſſã viro? qualisnã hęc ſit ſaluatio? Quis illa aut vnde ingreſſus, qui nũcium hoc mihi apportauit? Hominẽne eũ qui mihi loquit' putabo? ſed corpore ceu vacãs apparet: Angelũ ergo eũ cẽſebo? Verũ hominis inſtar loquit'. Quid, quod video, ſit ignoro, & ad ea q̃ mihi dicunt' hęſito. quid igitur Gabriel? Quãprimũ puellę terrorẽ cognouiſſet, nihil prorſus huiuſmodi cogitãs, voce ſtatĩ ad eã emiſſa, inquit: *Ne time Maria, nacta es.n. gratiã apud deũ.* Prius itaque metum eius ademit, poſtea ſic ad fiduciã eã excitauit. Ne timeas inquiens, nacta es.n. gratiã apud Deũ, quam Eua perdiderat. Eo quod dicit, gratiã, ſoluit omnẽ ſentẽtiæ ambiguitatẽ, & id quod antea videbatur ambiguũ. Quod.n. ſubiecit: Inueniſti gratiã apud Deũ, cõmodè omnẽ excuſſit virgini metũ: Ne timeas Maria. Nõ fraudulentus hic modus eſt: haud fallẽdi aĩo ad te venio: nõ impoſtor ſerpẽs rurſus tibi loquitur, non terrenus tibi nuncius adſũ. Ex altiſſimis veni lætũ tibi adportãs nũciũ: nec qualecũq; lętũ nũciũ, ſed plenũ gaudij lętũ nũciũ. Ne timeas Maria. Nõ fraudis hęc ſalutatio eſt, nõ triſtitiæ ſignificatio. Dñs tecũ, qui vn⁹ oĩs gaudij largitor, & vniuerſi mũdi cõſeruator eſt. Tecũ eſt, qui à ſinu patris auelli non poteſt: In tuo aũt cõceptus vtero eſt. Gratioſã te appellaui, vt myſterij ꝙ in te eſt gaudiũ ſignificarẽ: Gratioſã te dixi, quod oẽ in ventre tuo gaudiũ receptũ ſit: & ꝓſtola tua vere ſit gratioſa diuinorũ donorũ ſplẽdore. Dñs tecũ, acclamaui tibi, quo potẽtiã eius, q̃ in te eſt, manifeſtarẽ. Dñs.n. & Deus, prĩceps, pacis ipſe eſt & futuri ſęculi Pater, & tu⁹, nẽpe virginis fili⁹, ac in vniuerſũ omniũ Saluator. Dñs tecũ. Gaudiũ & veritas tecũ. Dominus quidẽ legis, Gratię autẽ pater, ac veritatis fons. *Iſa.9.* Ne timeas Maria, Dominus tecũ. Oĩs fati dominator: Patris luminũ filius ab

æterno ex ipso genitus: temporali verò natiuitate ex carne tua progressus: qui totus supernè in sinu patris est, inferné autē totius tecū in vtero tuo est, ille ipse tecū & extra te est: pueniēdo nāq; te insiliit, ac tuū superingressus corpus est: In re adeò locū inuenit, q̄ loco secundum propriam naturam comprehēdi nullo potest. *Ne timeas Maria, nacta es n. gratiam apud Deum.* Gratiā, quā non accepit Sara, quā non sensit Rebecca: quā nec Rachel cognouit. Inuenisti gratiā qua nō digna est habita nobilis illa Anna, nec Phenēna, hinc è regione posita: Quoniā hę quidē matres ex sterilib⁹ factę sunt, amittentes vna cū virginitate orbitatē: Tu aūt vt etiā mater fis, virginitate tamē frueris quoque illęsa. Quapropter ne metuas, inuenisti n. gratiā apud Deū. Gratiā qualem nō nactus est quisq̄ ab ęterno sicut tu. Quę etem talis sit gratia Dei, quę summū fauorem mereatur? Nacta es itaque gratiā apud Deū. *Et ecce concipies in vtero, et paries filiū, ac vocabis nomē eius Iesum.* Papę, rē admiratione dignā. Primo quęstionis ei dubium soluit: Postea mente quæ cōcineret, sermone sic aperuit vide quoq; quāta breui peragat, pellit timorem, gratiā indicat, interpretatur cōceptum, partū vaticinatur, nomē quo proles nata sit appellāda, subiicit. Non verò finem hic verborum facit, sed vt magnitudo quoq; potētię declararetur infātis, subiecit statī: *Is erit magn⁹ et filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedē Dauid patris ipsius, regnabitque super domū Iacob in ęternū, & regni eius non erit finis.* Vides qualiter virgini ademerit metum? Vides quātopere aīum eius fiducia cōfirmet? Nā filiū vocans altissimi & patrē pueri Dauidē nominās, erexit omnino mentē eius subitò, quēadmodū quę sequuntur, declarāt. Vide quo quevirginis quantus intellectus sit. Vt n. audiuit hęc, & eminentissimę diuinę voluntatis potentię cognouit cōstantiā, dixit ad Ang. Quō erit mihi istud, quando quidē virū non cognosco? Rē mihi nouā (inquit) polliceris: Quæ ipsā superant naturā mihi nuncias: Nuptias ego nullas expertus sū, desponsata cm̄ ac nupta cū viro nondū fui, sponsum futurū ego solū, at virū Ioseph nondū cognosco. Cōtuber nalis est tātū, μνηστεία, nō etiā idē cū desponsa ingreditur cubile. Vterus me⁹ genitali semine vacat, nec cultus est. Quō erit istud, quādoquidē virū non cognosco. Nū. n. inquit, me solā natura matrē sine nuptiis declarabit: An sola ego prętur naturā naturę incognitā generationē, pducā? Nō fiit peractæ nobis nuptię: virū nō experta sū, nō. n. cognoui Ioseph ū: Tutorme⁹ non maritus mihi cognitus est. quō ergo istud mihi erit? Respondit illicò Gabriel, & interrogationis huius crassitiē sublimitate contradictionis extenuauit, dicēs: Quid ô beatissima hæc dicis? Cur talia fundis verba? Cœlit⁹ ego aduenio nouū tibi cōceptionis modū nūciās: nō terren⁹ tibi loquor. Dñm esse tecū dixi, & tu quō hoc mihi cōtinget, ābigis? hūc ego anteuertisse aduentum meū & tuū subiisse vterū tibi nuncio, & tu de viro mihi disseris, ac terreno quodā partu, diciſque: *quō istud mihi erit?* Quō erit tibi? cogita quō virga floruit: quō aquā petra ediderit, vndenam ipsa fuit grauida? Quō rubi ignis arbusta peruaserit, vt tamē nō cremaret eū: Si hisce fidē habes, nec mihi diffidere debes. Qui. n. tā hęc q̄ illa fecit, vnus & idē est, nēpe qui in vtero nunc tuo gestatur. Nouo itaq; & prętornaturali modo ei⁹ quo tu grauida es, pueri mater eris. Nō sicut Elizabet, nec veluti Anna quę te peperit: Illæ. n. virili perfusæ semine matres factæ sunt. Tu verò absque viri opera filiū paries sine semine tibi cōcessū. Et si modū quoid fieri possit, ambigis, hūc quoq; tibi apertè dicam, *s. sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, obumbrabit tibi.* Nō em̄ ex viri voluntate, nec ex voluntate carnis, qui nascetur, proueniet. Nō carnis interueniet voluptas matris dei partui: Natura q̄ppe terminos superat. Et si naturali prorsus ratione destitutus est, eximiā igitur & naturali prestantiorē ort⁹ sui rationē habet. Nō igitur passio vlla circa partū deorsum: qm̄ nec circa generationē sursum subsecuta est. S. *sanctus superueniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Vide qualiter Trinitatis manifestetur misteriū: spiritū. n. sanctū, dicēs nō aliū q̄ Paracletū inquit. Per virtutē verò altissimi, apertè filiū innuit. Nā voce hac, altissimi, Patris infertur persona: hoc autē, obūbrabit tibi, illud dicere mihi videtur: q̄ vt puto Abacuc antea (pphetic⁹ oculis intuitus) mōtē obūbrante virgini nuncupauit: Tātū non spiritus potētiā subiungēs, q̄ obūbrarit eā: vmbraculū ineffabile, per se efficax in ipsa, p incarnationis ratione, secundū q̄ inuiolabiliter corporis tēplū in libero à passionib. virginis vtero, oī expurgata materiali molestia & affectione, quēadmodū, ex his q̄ sequuntur, patet. Ait. n. Quapropter & quod nascetur sanctū, vocabitur fili⁹ Dei. Nā qui ex S. spiritu per sanctū patrē inscrutabiliter, dū ante sęcula esset, formatus est infās, meritò sanct⁹ erit, & filius altissimi vocabit, velut altissimi prolat⁹ sermo coæuus. ostēsū igit̄ clarè est virgini quidnā & vnde, qualeve quod in ipsa cōceptū & ex ipsa proditurū esse. Filius quippe Dei nascetur. Quo verò manifestius etiānū certiusq; ei sermonis huius vī declararet, Elizabetæ quoq; cōceptionē introducit. Ac si dicat: q̄m̄ qui matricē pter omnem spē prolificam in senectute reddere potest, nimirum virginē quoque grauidā prēter rationem exhibebit palā. Vnde quoque infert: *quia non erit impossibile apud Deū omne verbū.* His ergo auditis, maximè verò spiritus inhabitantis lumine mente illustrata, nec nō animi mox quadā delectatione ob nūciū illud affecta, tota est quieta reddita: Et quēadmodū scriptura Dauidē commemorat. Gratiosa anima, in pulchritudine oculorū apparuit: Delectata quippe rē ob admirandā fuit, ac salutationem illam libenter agnouit. Fuit etem̄ gaudij ineffabilis plenū id quod ei dicebatur. valde & adeo planè persuasit Gabriel, Virgini, vt reciperet libenter admirabile illud nūciū, eo quod sub iiceret. *Non erit impossibile apud Deū omne verbū.* Quid ergo inquit Euangelista? *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Vides intellectū, vides amictus honesti excellentiā? posteaq̄ enim cognouisset, edocta de cōceptu, prolis generationē, quisnā & cuius futurus esset filius quove esset nomine appellandus, & cui throno successurus, quibusve regnaturus sit, ac deniq; regno eū, qui nasciturus esset, non fore, protinus lætitię nunciā vocem protulit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbū tuum. Illud nimirū palā dicens: Ecce prōpta me expono, nec quod prohibeat id quicquā est. Parata est anima mea, & venter meus opportunus: nam intactus etiamnū est, soli suo custoditus conditori. Ecce ancilla Domini. Ad obediendum facilis, ad seruiendum parata, ad suscipiendum prōpta: Fiat mihi secundum verbum tuum. Postquàm enim omnia (inquit) quomodo qualiterve sint, opportunè annunciasti, vniuersum illud perficiendum, gaudio & suprema gloria repletum est.

Virginis Tutor Ioseph us.

Num. 17.

Exod. 3.

Luc. 1. Anna mater virg. Mariæ.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secūdū verbū tuū. Euge admi-

ge, admirabilem dispensationem? Euge illius gratię? Vah liberæ illius & voluntatis & præsentiæ. Verè spiritus sanctus cohabitauit virgini, & virtus altissimi obumbrauit ei, secundum præfinitum Dei cō filium & præcognitionē. Ac discessit ab illa Angelus inquit. Quum commissum sibi executus esset sedulò ministerium, discessit ab ea Angelus. Verū Dominus non recessit ab ea. Ille enim comprehensibilis est, licet corpore vacet: hic verò comprehendi non potest, quantumuis in corpore & virginis vtero loco sit conclusus. Ille prēterea venientem prænuncia uit ob salutem hominum ex virgine natum, hic verò nostra assumpta substantia in semetipsum transformauit, restituens. Naturæ secundum imaginem ac primam dignitatem, quam ob primorum parentum inobedientiam amiserat. Quæ sanè rursus inducta consedit in cœlestibus supra omnem principatū, potestatem & virtutem, nec non supra omne nominatum tàm in presenti quā futuro sæculo. Ei sit gloria & imperium, & honor, & adoratio cum infinito Patre & sacrosancto viuificantéque Spiritu, nunc & semper & in sęcula sęculorum, Amen.

PANTOLEONTIS MAGNAE DEI ECCLESIAE DIACONI DE LVMINIBVS SANCTIS (ID EST, DE DOMINO CHRISTO ET SANCTO IOANNE eius pręcursore) sermo.

QVæ festi huius est gratia, nihil putō sermonis ea splendore indigere. Omni quippe orationis elegantia quæ in præsentiarū tractamus, pulchriora sūt nec sermo vllus tam venustus, atque nostra hęc per se est panegyris. quid etem̄ possit præsente nostra solennitate esse splendidius: ad quam & cœlestia ad celebrandum regna conueniūt: Ad quæ Regis desuper animus quoque accessit: In qua & terricolarum rex, absconditō diademate, cū populo cō uersatur: Immò qui Dñs est vniuersi, Christus ad captiuum ducendum Satanā delapsus, tecta per humanā speciē diuinitatis suæ maiestate, cum populo Iudaico cohabitat, & baptismi se vsui submittit, quum ipse sit baptizantis baptisma: Et sit, sicut foris apparet hominū vn⁹. Regum est secutus consuetudinē, qui dū prędę insidiantur, deposita regia maiestate, militari se habitu amiciūt. Sic vniuersi quoque rex Christus ad venandū Satanā accedens, & ad conflictum ferā incitans, absconditā quę à congressu bestiā deterreret, diuinitate sua (haud. n. si quidē cognouisset, accessisset) infirmā ostendit humanitatis naturam, q̄ quasi cū imbecillo & captu facili congressura, in laqueū incideret. Sed hoc dissimulandi studiūhaud lo annem latuit, Spiritus ei gratia absconditā in carne diuinitatē monstrante. Vide igitur qualiter ad eū exclamet: Mihi, inquit, opus est, vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Et si, inquit, hos lateas, mihi tamen factus es cognitus, noui tuam ô Domine, dissimulationē: cognosco qui intra te absconditus est, quoniam tuā cognoui maiestatē, dum in vtero adhuc matris gestater. Magnū mihi foret soluere corrigiā calciamentorū tuorū, & tu mandas vt dexterā meā capiti tuo admoueā? Tui ego veni aduentus pręco, nō carnis tuę, quę sine labe & macula est, sanctificator. Nō ego ex iis sū qui tuā ignorant eminentiā: nā ex materno vtero qua parente esses nasciturus, conspicat⁹ exclamauit: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Agnus tu accessisti, qui tollas noxā mūdi. Et ego vnà cū mundo tuum expectans donum, opus habeo vt abs te baptizer, tu verò ad me venis? Ad lutum aurum? ad lichnum sol? ad scintillam fax? Fons ad sitiētem? ad natum ex semine, qui ex virgine natus est? Satis est mihi, tuum me vocari pręcursorē, ob quod saltem nè ipsum adoro ministeriū. Quid igitur ad laudandum se quoque compellit iustitię Sol? Quid ergo Dominus Christus: *Omitte nunc inquit, sic. n. decet nos, vt compleamus omnem iustitiam.* Omitte nunc, mansuetudinis mihi nunc, non glorificationis tempus est, humano viuendi more, non imperiali potestate. Adueni. n. propter vos ô Ioannes: natus ex vtero humano, lacte nutritus, pro corporis lege auct⁹, statutorum ob seruantiam executus sum. Nulla mihi humanæ conditionis prętermissa ciuilitas est: Quare nunc quoque ceu homo baptisma suscipio. Perage ea me cum omnia, quę corporis naturæ conueniunt: Ne discat, per quæ dicat Diabolus absconditam meam diuinitatem, ne mysteriū metuens, congressum meū fugiat, atque auersam à se stragem lucretur. Omitte nunc, videbis meam paulo post ô Ioannes, gloriam: Videbis me demoniacæ phalangis victorem. Videbis satanæ à me regnum expoliatum: Videbis me ab Angelica cœlesti turba laudibus celebrari: Videbis me terrestris orbis iudicem præsidentem: Videbis me ab omnibus coli gentibus: Videbis omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum ad adorandum me flecti. Omitte nunc, sic. n. nos decet, vt compleamus omnem iustitiam. Hæc Christo & Ioanne inter se colloquentibus, Iudæorum audiētium astitit turba, qui attoniti de facto hoc admirabili dubitabāt: stupore videbatur dignū. Qui. n. Pharisæos baptizabat, ab hoc rogat baptizari: Qui Sadducæis erat formidabilis, ad illius nunc aspectum assurgit, flectens genua: Ieiunio clarus, ab eo qui non ieiunauit, benedictionem quærit: Qui veste ex pilis contexta erat tectus, ab eo qui eiusmodi nihil secum adfert, purgationem supplex petit: Qui apū in deserto laboribus & herbarum radicibus ac locustis à puero nutritus, huius nunc tanquam sanctionem constitutionem formidat. Quod ergo excellentię inter illos discrimen est? Quale de illo Deus fert suffragium? Interea dum omnes sic stupore sunt correpti, è cœlis ebuccinantis auditur vox. Inquirite, inquit, apud se quisque baptizati virtutem, discite potentiam eius, qui apud vos essentiam quæsiuit. Cognoscite quātū sit inter Ioannē & hunc discrimen. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Hinc quoque Ioannes non in Templo baptizat, nec in domo aliqua, quemadmodum aliorum vnusquisque cōsueuit: sed apud desertum, & dio expositum flumē, quo audientes omnes ex cœlesti illa per aërem audita voce pręsentē hunc discerent. Magnum videlicet magnę illius panegyris choragum, Dominum dominantium, & regem regum, ac humanitatis omnis fontem. Iugū. n. tuum suaue est, ô Rex humanissime, & onus tuum leue:

Luc. 1.

Christus quare baptizatur.

Matth. 3. Luc. 3. Mar. 3.

Vt deceat quoque hęc ad nos Domini verba exclamare: Tollite iugum meum super vos, iugum.n. meũ suaue est, & onus meum leue est: discite à me, quoniam mitis sum. Nec cõstitutionum onere nos grauat, non iugo opprimimur: non metu torquemur. Verum timuimus quidem, at liberi nunc à metu, nõ veluti sontes & damnati seruitutis iugum toleramꝰ: sed voluptati magis quam oneri nobis est. Sis igitur nobis multiplicatos seruatus in annos: diuturnitatis longitudini tu superaddas: Fias senex: Tu populum quem sortitus es, dirigas. Dicat ad te quoque Deus: Regnum eorum qui ex te nascentur, propagando, augebo te vehementer nimis, & ponam te in Gentes, & reges ex te prodibunt. In Christo Iesu Domino nostro, cui sit omnis gloria, honor & veneratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

CHROMATII PONT. ROMANI DE OCTO BEATITVDINIBVS, CONCIONES. 2.

ADDITIO SECVNDA IN TRITHEMIVM.

Chromatius, Episcopus Romanus, vir raræ probitatis, ac quod rarũ est, vt diuus testatur Hier. doctissimus Episcopus, in quintum & sextum Matthęi caput dissertationem composuit, atque in idem quintum declamationem elegantem. Ioannes Sichardus hoc scriptum commendans. Albini testimoniis γνήσιον esse prudenter collegit. Iacobus Grynæus putat illum vixisse circa annum Christi. 335. vel 370. Sixtus Senensis patria Romanum, sed Aquileiæ Episcopum eũ facit, & anno Domini 410. vult claruisse sub Theodosio.

DAt nobis fratres cõuentus hic populi & mercatus frequentia occasionem proponendi sermonis Euangelici, solent enim sæcularia esse spiritualibus exempla, & terrestria imaginem præbere cœlestibus. Nã & Dominus ac saluator noster [Matth. 13] frequenter admonet nos per terrestria de cœlestibus, cum dicit: Simile est regnum cœlorũ reti misso in mare. Vel certè: Simile est regnũ cœlorũ homini negotianti, quærenti bonam margaritã. Si ergo mercatus hanc ipse continet rationem, vt vnusquisque pro vtilitate sua, aut vendat quæ sibi superflua sunt, aut emat quę desunt, non incondite & ego proponam mercem quam mihi commisit Dominus, prædicationem vtique cœlestem, siquidem me minimũ quoque & si indignum, tamen de seruis illis quibus Dominus talenta distribuit ad negociandum, lucrũque faciendum elegit. Nec sanè deerunt mercatores vbi per gratiã Dei tales ac tanti auditores. Magis autẽ necesse est lucrum cœleste, captari [*captare.] vbi terrestre commodum non negligitur. Cupio fratres charissimi proponere vobis illas beatitudinum margaritas ex sancto preciosas Euangelio, aperite itaque cordis vestri thesauros, emite, percipite auide, fœliciter possidete. Dominus ac Deus noster, vnigenitus summi patris, qui de Deo homo, de Domino magister dignatus est fieri, cum turbæ multæ ex diuersis confluerent regionibus, assumptis discipulis suis, id est, Apostolis suis ascendit montem, & aperto ore suo docebat eos dicens. *Bati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c.* [Matth. 5.] Gradus quosdam firmissimos ex lapidibus preciosis sternit quodammodo Dominus saluator, per quos sanctæ animæ & fideles repere possint & ascendere ad summum illud bonum, id est, regnum cœlorum. Breuiter igitur, fratres charissimi, qualitates graduum cupio demonstrare, vestra modo mens tota & anima sit intenta, quia nõ sunt parua quæ Dei sunt. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Mirum principium fratres, doctrinæ cœlestis, non à terrore incipit, sed à beatitudine, non terrorem faciẽs, sed potius desiderium. Vice enim agnothetæ vel munerarij, certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande præponit: vt dum aspiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorrescant. [Nõ omnis paupertas est beata.] Beati ergo pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non simpliciter, neque confuse beatos pauperes dixit, sed addidit pauperes spiritu. Nec enim omnis paupertas fœlix est, quia fit sæpè ex necessitate, fit nonnunquã per pessimos mores, fit etiam ex indignatione diuina. Beata ergo paupertas est spiritalis, eorum scilicet hominum, qui spiritu & voluntate pauperes se faciunt propter Deum, renunciando sæculi bonis, substantiam suam vltrò erogando, quos meritò beatos appellat, quia pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, per voluntariam enim paupertatem cœlestis regni diuitias adsequuntur. *Deinde ait: Beati mites, quia ipse possidebunt terram.* Mirè post primum gradum secundus ostenditur: Beati, inquit, mites, quia ipsi possidebunt terram. Sed sicut impossibile est extra ordinem secundo sistere gradui, nisi ascenderis primum, sic homo mitis esse non poterit, nisi prius pauper spiritu fuerit factus. Quomodo ergò inter diuitias positus animus, inter curas & solicitudines sęculares, ex quibus negotia, lites, prouocationes, irę, exacerbationes sine intermissione nascuntur, quomodo inquam, inter hæc animus poterit esse mitis & lenis, nisi prius à se omnes causas iracundiæ, occasionesque rixarum abrenuntiando præciderit? Non fit mare tranquillum, nisi cessauerint venti, non extinguitur ignis, nisi materiam incendij, spinarúmque sarmenta detraxeris. Sic nec animus erit mitis & quietus, nisi ea quæ exuscitant & inflammãt, fuerint abdicata. Bene ergo gradus iungitur gradui, quia pauperes spiritu ipsi incipiũt iã esse mites. *Accedit & tertius: Beati qui lugẽt, quoniam ipsi cõsolabũtur.*

Quis nobis iste luctus intelligendus est? Salutaris vtique, non ille qui ex rerum nascitur detrimentis, non qui ex amissione charorum, nec qui ex iactura sęcularium dignitatum, quæ vtique omnia iam pauper factus spiritu non dolebit. Hic est luctus salutaris, qui agitur pro peccatis, pro recordatione diuini iudicij. Nam qui prius inter innumeras sęculi occupationes, & asperitates animus constitutus, de seipso cogitare non poterat, iam securus & mitis effectus,

effectus, incipit seipsum propius intueri, examinare actus suos diurnos atque nocturnos, & sic præteritorum criminum vulnera incipiunt apparere, & tũc luctus ac lachrymæ subsequuntur salutares, & adeò salubres, vt mox cœlestis consolatrix occurrat, verus enim qui dixit: Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur. *Accedamus fratres ad quartum: Beati, inquit, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Verè enim post pœnitentiam, post luctus & lachrymas peccatorum, quæ alia nascitur esuries, & quæ sitis, nisi iustitiæ? Sicut enim qui caliginem noctis emensus est, iam gestit †proximam lucem, & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit & potum: sic & mẽs hominis Christiani, postquàm per luctus & lachrymas sua peccata digesserit, iam sola Dei iustitiam esurit atque sitit, & meritò eius quam desiderat, satietate gaudebit. *Occurrat & quintus gradus: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nemo alteri præstare poterit, nisi prius ipse sibi pręstiterit, Postquàm sibi ergo misericordiam impetrauit, satietatémque iustitiæ, incipit iam dolere de miseris, incipit iam pro aliis peccatoribus exorare, factus misericors in ipsos etiam inimicos, maiorem sibi cumulum misericordiæ huiusmodi pietatem in aduentum Domini præparabit, ideò dicitur: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Adest ecce gradus sextus: Beati, inquit, mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* Planè iam mundo sunt corde, planè iam Deum videre poterunt, qui pauperes spiritu, qui mites, qui lamentati peccata, qui iustitia refecti, qui misericordes, in aduersariis quoque tàm syncerum oculum cordis & lucidum gerunt, vt sine aliqua malitiæ lippitudine inaccessibilem Dei claritatem sine impedimento conspiciãt. Munditia enim cordis, & conscientiæ puritas, nullam nubem ad intuendum dominum patietur. *Sequitur fratres: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Magna dignitas paci studentium, cum filiorum Dei appellatione censentur. Bona quidẽ & hæc pacificatio, quæ fit inter fratres, propter substantiam sæculi litigantes, aut propter vanam gloriam, aut simultates. Sed parua hæc merces, quia dixerat Dominus in exemplum nostri: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? [Luc. 12.] Iam enim præmiserat, ablata tua ne repetas. Et alio loco: Quomodo potestis credere, gloriã ab inuicem accipientes? Potior ergo & sublimior pacificatio intelligenda est à nobis, illam dicam, qua homines gentiles, qui inimici sunt Dei, per instantiam doctrinæ adducuntur ad pacem, qua peccatores emendantur, & Deo per pœnitentiam reconciliantur, qua rebelles hæretici corriguntur, qua Ecclesiæ discordantes ad vnitatem pacémque formantur. Verè enim qui tales sunt pacifici, non solum beati sunt, sed digni meritò filij Dei vocabuntur: ipsum enim Dei filium Christum imitantes, qui pax nostra & reconciliatio ab Apostolo prædicatus est, societatem nominis eius sortientur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum.* Non est dubium fratres, quia bono facto comes est semper inuidia. Nam salua persecutorum crudelitate, vbi cœperis rigidam tenere iustitiam, insolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare, vbi cœperis denique à mundanis hominibus & erroneis discrepare, statim persecutiones oriuntur, Necesse est surgant odia, æmulatio laceret. Sic denique ad illum summum gradum, ad ipsum caput atque fastigium suos Christus auditores adducit, non tantum vt sustineant patiendo, sed etiam vt moriendo congaudeant. *Beati, inquit, estis, cum vos persequuntur, & exprobrant, & dicunt omne malum aduersum vos, propter iustitiam, mentientes. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Perfecta virtus est, fratres, post tot iustitiæ ministrationes, propter veritatem opprobria ab hominibus sustinere, affligi cruciatibus, morte denique affici, nec terreri, proposito nobis exemplo Prophetarum, qui diuersis modis propter iustitiam lacerari, passionũ Christi conformes & præmij esse meruerunt. Hic gradus celsior est, in quo Christum Paulus aspiciẽs dicebat: [Philip. 3.] Vnum autem quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea quæ in primo sunt me extendens, sector ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Et adhuc apertius ad Timotheum: Certamen, inquit, bonum certaui, cursum consummaui. [2. Tim. 4.] Quasi qui omnes gradus ascenderat, addidit: Fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Verè enim vniuerso cursu completo hoc supererat, vt per tribulationes & passiones gaudens Paulus ad gradum sublimiorem martyrij perueniret. Dignè ergo dominicus sermo suadet: Gaudete, inquiens. & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis. Crescere per incrementa persecutionum euidenter ostendit.

Ostensi sunt, fratres, octo gradus Euangelici, extructi ex lapidibus, vt dixeram preciosis. Ostensa est illa scala Iacobi cuius cacumen de terra pertingebat ad cœlum, per quam qui ascendit, portam inuenit cœli, ac per eam ingressus sine fine in conspectu Domini lætus adstabit, laudaturus Dominum cum sanctis Angelis in æternum. Hic noster mercatus, hæc nundina spiritualis. Demus benedicti quæ habemus, offeramus spiritus paupertatem, vt accipiamus secundum promissionem regni cœlestis vbertatem. Offeramus mansuetudinem, vt terram possideamus, & paradisum. Defleamus peccata, & nostra & aliena, vt consolationem de Domini bonitate mereamur. Esuriamus & sitiamus iustitiam, vt copiosius saginemur. Demus misericordiam vt veram misericordiam consequamur. Viuamus pacifici, vt filij Dei vocemur. Mundum cor, & castum corpus offeramus, vt lucido sensu Deum videre possimus. Persecutiones propter iustitiam minimè timeamus, vt cœlestis regni efficiamur hęredes. Opprobria, cruciatus, mortem denique, si eueniat, propter Dei veritatem gaudentes amplectamur & læti, vt merces nobis cum Prophetis & Apostolis copiosa præstetur in cœlo. Vt autem verbi finis cum præfatione concordet, si est gaudium mercatoribus propter lucra præsentis & caduca, magis gaudeamus omnes pariter & lætemur, quia tales Domini hodie inuenimꝰ margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari. Quas vt acquirere, obtinere, possidere mereamur, auxiliũ nobis, & gratia cum virtute ab ipso domino postulanda est, cui sit gloria in sæcula seculorum. Amen.

CHROMATII EPISCOPI in V. Caput Matthæi, & in Partem sexti Concio. 2. eruditione pariter ac pietate insignis.

VIDENS autem, inquit, turbas, Iesus ascendit montem. Et sedente eo accesserũt ad eum, discipuli eius, & aperiens os suũ, docebat eos, dicens: *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, & cætera quæ sequuntur. De terrenis & humilibus ad alta & excelsa discipulos suos Dominus dicturus, montem conscẽdit, & quidem oliueti. vt per ipsius vocabuli significationem, diuinæ † misericordiæ suæ munus ostenderet. Ascendit igitur Dominus montem, vt discipulis suis terrena iam relinquentibus, & superna petentibus, velut in alto iam positis, præcepta traderet cœlestium mandatorũ, & prouisas olim benedictiones diuino munere largiretur, secundũ quod dauid ante testatus fuerat, dicendo: Etenim benedictiones dabit qui legem dedit. Et vt apertius & gratiam Apostolorum, & autorem tantæ huius benedictionis ostenderet, addit dicens: Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion: filius scilicet Dei, qui in Sion Apostolis benedictiones donauit. Idem enim in hoc mõte benedictiones Apostolis dedit, qui iamdudum in monte Sina Moysi legem tradiderat, probans se esse vtriusque legis autorem, secundum quod per Hieremiam ipse Dominus manifestat dicẽdo: Et dabo illis testamentum nouũ, non tale, quale iamdudum dedi patribus eorum, cũ educerem eos de terra Ægypti, sed hoc est testamentum quod dabo illis. Scribam leges meas in cordibus eorum, & in sensu eorum scribam illas. Et iamdudum quidem cum lex daretur, iuxta montem populus prohibebatur accedere, nunc Domino dicente in monte, nemo prohibetur. Imò potius omnes inuitantur vt audiant, quia in lege seueritas est, in Euangelio gratia, illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionum manus infunditur. Si vis ergo & tu benedictiones à Domino accipere, relinque terrenam conuersationem, pete vitam supernam. Ascende in altitudinem fidei, tanquam mõtem vt benedici iure à domino mereatis. Sed quæ iam ipsa verba benedictionum sint, videamus. *Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* Plures quidem nouimus pauperes. Sed non quia tãtum pauperes, idcirco beatos, quia vnumquémque nostrum non necessitas paupertatis facit esse beatũ, sed fides deuotæ paupertatis. Nam multos scimus egere quidem sæculi facultate, nihilominus tamen à peccatis non desinere, atque à fide Dei esse alienos, quos vtique manifestum est beatos dici non posse. Et ideò debemus requirere qui isti beati sint, de quibus ait Dominus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hos vtique pauperes significat esse beatos, qui contemptis mundi diuitiis, spretáque sæculi facultate vt † Deo fierent diuites, mundo esse pauperes noluerunt. Hi tales pauperes quidem sæculo videntur, sed Deo diuites sunt, egentes sæculo, sed Christo locupletes. Cuius beatæ paupertatis exemplum nobis primi in se Apostoli præbuerunt, qui contempta omni facultate, statim sequuti Domini vocem, ipsius esse discipuli meruerunt. Hos tales pauperes etiam Apostolorum temporibus inuenimus, qui primi credentes, vniuersis rebus suis possessionibúsque distractis, sub hac deuota paupertate Domini diuitias quæsierunt. Vnde & Apostolus in tali paupertate diuitias inesse cœlestes ostendit, dicens: Tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes. Inde denique Petrus, cum ascendens in templum à claudo eleemosynam peteretur, Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Domini nostri Iesu Christi surge & ambula. O verè beata paupertas, quæ cum nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur. Non dat quidem argentum vel aurum, sed quod plus est diuitiis omnibus, reddit corporis sanitatem. Imaginem Cæsaris in numo quam daret non habuit, sed Christi imaginem in homine reformauit. De huiusmodi pauperibus in præsenti loco Dominus loquitur, de quibus & Dauid multis locis testatur dicendo: Edent pauperes, & saturabũtur, & viuet cor eorum in sæculum sæculi. Et iterũ: Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum. Iste pauper clamauit & Dominus exaudiuit eum: Talium ergo pauperum Dominus docet esse regnum cœlorum, qui se causa religionis ac fidei sæculo † pauperauerunt, vt locupletem sanctum Spiritum possiderent. Vel certe beatos pauperes dicit, qui nulla superbia diaboli inflantur, nulla ambitione sæculi extolluntur, sed humilitatem spiritus cum fidei deuotione custodiunt. Vnde dicitur à Dauid in Psalmo: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Tales ergo pauperes spiritu, beati sunt apud Deum. *Deinde ait: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sicut de pauperibus superius, ita & hic de lugentibus loquitur, non eos beatos appellans, qui aut dilecti alicuius coniugis orbitatem, aut amissionem charorum pignorum filiorúmque grauiter lugent, sed eos potius beatos esse significat, qui aut propria cõmissa peccata iugi lachrymarum fletu expiare contendunt, aut qui pio legis affectu iniquitatem sæculi, ac peccantium delicta lugere non desinunt. His ergo tàm sancte lugentibus, non immeritò à Domino cõsolatio exultationis æternæ promittitur. Eum denique Dauid sanctus expectans, etiam stratum suum iugi lachrymarum fletu rigauit, dicendo: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum. Fuerunt mihi lachrymæ meæ † panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus? Et iterum: Quia cinerem sicut panem manducabam & potum meũ cum fletu temperabam. Et iterum: Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis in lachrymis in mensura. Vis autem scire pium luctum sanctorum? Audi dictum de Samuele Propheta, quia vsque ad diem mortis eius luxerit Regem Saülem. Hieremias quoque cum populi peccata defleret, ita ait: Vt flumina aquarum transierunt oculi mei, super contritionem plebis meæ. Et iterũ: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo hâc plebem die ac nocte? Daniel etiam graui luctu pro populi peccatis afficitur secundum quod ipse testatur dicens: Et eram, inquit, lugens tribus hebdomadis dierum, panem non manducans, & vinum non bibens. Sanctus quoque Apostolus quosdam Corinthiorum luctu simili deflet dicendo: Et veniam ad vos, vt lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam in immũditia quam gesserunt, & fornicatione. Huiusmodi ergo luctum Dominus perpetui gaudij consolatione compensat, secundum quod Esaias retulit: dicẽs: Date his qui lugent Sion, gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus, pro spiritu mœstitiæ, amictum gloriæ. Vnde & dauid ait: Conuertisti planctum

Montem cur Christus conscenderit.
† *diuinũ.*
Psal. 83.
Hier. 31.
Exod. 20
† *Domino*
2. Cor. 6.
Act. 4.
Psal. 33.
Psal. 50.
Psal. 6.

ctum meũ in gaudium mihi, discupisti saccum meũ, & præcinxisti me lætitia. Deinde ait: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Diuersæ sunt gratiæ promissionum diuinarũ, quia diuersi gradus meritorum. Ait ergo: Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Mites sunt homines mansueti, humiles & modesti, in fide simplices, & ad omnem iniuriam patientes, qui præceptis Euangelicis instituti, dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum, qui ait in Euangelio: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Denique Moyses iamdudum idcircò maximam gratiam apud Deum habuit, quia mitis erat. Hoc enim de eo scriptum est: Et erat Moyses mansuetus, præ omnibus qui erant super terram. Vnde Dauid in Psalmo ait: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Huiusmodi ergo mites beatos ostendit, quibus non in præsenti vita: sed in futura possessionem terræ illius fœlicis repromisit, de qua dictum legimus in Psalmo: Mansueti autem possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et iterum: Qui expectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram. De qua & per Salomonem Spiritus sanctus testatur, dicens: Quoniam recti habitabunt in terra, & sancti habitabunt in ea. Hos ergo mites Dominus beatos ostendit, qui lenitatem mansuetudinis Dominicæ sequentes, beatæ illius terræ hæreditate perpetua possessione fruẽtur. Maximè tamen de terra nostri corporis loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum, æterna fœlicitate regnabunt. *Deinde ait: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non facili desiderio, nec leui cupiditatis ardore, expetendam à nobis esse iustitiam docuit. Siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam esuriendi ac sitiendi modo interni desiderij cupiditatibus inardescunt. Quia si eam vnusquisque nostrum esuriens ac sitiens, desiderio concupiscat, non potest aliud semper, quàm iustitiam cogitare, iustitiam quærere, quia esuriens ac sitiens, necesse est, id quod sitit atque esurit, concupiscat. Meritò igitur his taliter esurientibus ac sitientibus, qui panis cœlestis ac fons aquæ viuæ est, satietatem refectionis illius perpetuæ repromittit dicendo: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Illam vtique iustitiam fidei, quæ Dei & Christi est, de qua & Apostolus retulit: Iustitia autẽ Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Vel certè ipsum Dominum ac Saluatorem nostrum, qui nobis secundum Apostolum, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio factus est, cuius desiderio, velut cibi ac potus, modò beati semper exæstuant, secundum quod ipse Dominus per Salomonem testatur: dicens ex persona sapientiæ: Qui me manducant adhuc esurient, & qui me bibent, adhuc sitient. Hanc ergo iustitiam etiam nos semper esurire ac sitire debemus, vt saturari cibo refectionis perpetuæ mereamur: Bene autem cũ additamento dictũ est in loco præsenti: Beati qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, quia qui non iustitiam, sed iniustitiam esuriũt, scilicet qui aurum & argentum desiderant, qui diuitias vel honores sæculi concupiscunt, & qui nunquam terrenis opibus, vel carnis desideriis satiantur, ij tales nõ beati: sed infœlices sunt, quia eis non spe promissæ gloriæ, sed damnationis pœna debetur. Deinde ait: *Beati misericordes, quoniam ipsis misebitur Deus.* Pluribus quidem testimoniis tàm in veteri Testamento, quàm etiam in nouo, ad faciendam misericordiam à Domino prouocamur, sed ad compendium fidei arbitramur satis supérque sufficere, id quod in præsenti loco ipse Dominus, propria voce depromit dicendo: Beati misericordes, quoniam ipsis misebitur Deus. Dominus misericordiarum misericordes dicit esse beatos, ostendens vnumquemque misericordiam Dei promereri non posse, nisi & ipse misericors fuerit. Vnde & alio loco ait: Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester, qui est in cœlis, misericors est. Deinde ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hos mundo corde esse significat qui deposita sorde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgauerint, & per opera fidei atque iustitiæ Deo placuerint, secundum quòd Dauid in Psalmo testatur, dicens: Quis ascendet in montem Dñi, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suã. Meritò & Dauid sciens Deum non nisi mundo corde posse videri, ita in Psalmo precatur, dicens: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Huiusmodi ergo mundo corde Dominus beatos esse ostendit, qui pura mente & integra conscientia sub fide Domini viuentes, Deum gloriæ in futuro cœlesti regno conspicere merebuntur, non iam per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem, vt Apostolus retulit. Modò enim licet oculis fidei Deum contemplemur, charitatem tamen eius præ infirmitate carnis videre non possumus. Tunc autem videbimus eum accepta immortalitate in cœlestem gloriam transformati, cùm immortalem Deum immortalibus oculis conspicere cœperimus. Et tunc verè implebitur in nobis illud quod scriptum est: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutũ. Non immeritò idé Dauid cum futuri temporis gloriam ostenderet, in qua sancti cum Deo habitabunt, ita retulit: Attamé iusti confitebuntur tibi, & habitabunt recti cum facie tua. *Deinde ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacifici sunt, qui à dissensionis, & discordiæ scandalo separati, dilectionem charitatis fraternæ, & pacem Ecclesiæ sub catholicæ fideivnitate custodiunt. Quam pacem tuendam discipulis suis Dominus in Euangelio peculiariter commendat, dicendo: Pacẽ meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quam pacẽ Dominum Ecclesiæ suæ daturum Dauid antè testatus est, dicẽs: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam: Et super sanctos suos, & in eos qui cõuertuntur ad ipsum. De qua pace custodiẽda & Apostolus cõmonet, dicens: In omnibus seruantes vnitatem spiritus cum vinculo pacis. Et iterum: Pax Dei quę superat omnẽ intellectum, custodiat cordaveſtra & corpora à malo. Nihil enim tàm necessarium seruis Dei, tàm salutare Ecclesiæ, quàm charitatem seruare, quàm pacẽ diligere, sine qua Deum videri nõ posse ad Hebræos Apostolus docet, dicendo: Ante omnia diligite pacem, sine qua nullus nostrum Deum videre poterit. Vnde omni studio ac deuotione pacem Ecclesiæ seruare nos conuenit, & eos qui à pace dissentiunt, ad Ecclesiæ charitatem, quantum in nobis est, pacis ac fidei studio reuocare, exemplo Propheræ, qui ait: Cum his qui oderant pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis. Meritò & in Euangelio, in exultatione Angelorum natiuitatem

Psal. 36.
Eccl. 24.
Rom. 3.
1. Cor. 1.
Luc. 6.
Psal. 15.
Psal. 50.
1. Cor. 13.
Psal. 47.
Psal. 139
Io. 14.
Psal. 84.
Ephe. 4.
Philip. 4.
charitatis necessitas.
Heb. 12.
Psal. 119

Luc. 2. Domini nunciantium, hæc vox sancta reperitur: Glo-
Psal. 118 ria in altissimis Deo, & pax in terra, hominibus bo-
næ voluntatis. De qua pace & Dauid retulit: Pax,
inquit, multa est diligentibus te, & non est illis scan-
dalum. Et Esaias similiter: Et ponã in multa pace fi-
lios tuos, & in æquitate ædificaberis. Si enim ad hoc
filius Dei carnem suscipere, & pati dignatus est, vt pa
cificaret nos Deo per sanguinem Crucis suæ, vtique
Col. 1. secundum quod Apostolus retulit, per omnia paci-
fici esse debemus, vt verè ipsum Deum pacis in no-
Psal. 75. bis habere mereamur. Hoc enim scriptũ est: Factus
est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Et sic
verè non solum filij Dei erimus, sed & hæredes Dei,
Rom. 8. cohæredes autem Christi. Hoc enim Apostolus re-
tulit: Si filij, inquit, Dei, & hæredes Dei, cohæredes
autem Christi. *Deinde ait: Beati qui persecutionem patiun-
tur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorũ.*
Non immeritò esuriendam ac sitiendam iustitiam
Dominus superius memorauit, cuius desiderio in
tantum sitire nos decet, vt propter eam & persecu-
tionem mundi, & pœnas corporis, & ipsam mortẽ
contemnere debeamus. In qua significatione mar-
tyres maximè declarantur, qui propter † iustitiam,
fidem & nomen Christi, persecutiones in sæculo su-
stinent quibus spes magna promittitur, id est, pos-
sessio regni cœlorum. Cuius beatitudinis Apostoli
principes extiterunt, & omnes iusti, qui propter iu-
stitiam legis diuersis persecutionibus afflicti merito
fidei suæ ad regna cœlestia peruenerunt. *Deinde ait:
Beati eritis cum vos persecuti fuerint homines, & ex-
probrabunt, & dicent omne malum contra vos. Gau-
dete in illa die, & exultate, dico enim vobis, quia merces
vestra multa est in cælis. Sic enim faciebant & Prophetis
patres eorum.* Omnia quæ tẽpore persecutionis pro-
pter nomen Christi aduersus iustos persecutorum
excogitare potest infanda perfidia, vel diuersa op-
probria ingerere, vel corpori pœnas inferre, non so-
lum patienter ferre debemus, sed etiam cum gaudio
Mat. 5. exultationis accipere, propter futuram gloriam. Hoc
enim ait: Gaudete in illa die, & exultate, dico vobis,
quia merces vestra multa est in cœlis. Quàm glo-
riosa est persecutionis huius tolerãtia, cuius merce-
dem Dominus repositam esse dicit in cœlis. Et id-
circò propositæ gloriæ præmium considerantes, ad
omnem tolerantiam passionis deuota fide parati es-
se debemus, vt consortes gloriæ Prophetarũ atque
Apostolorum effici mereamur, per Christũ Dñm
nostrum, qui est benedictus in secula. *Deinde ait: Vos
estis sal terræ. Sed si sal terræ infatuatum fuerit, ad nihilum
valet, nisi vt proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus.*
Dominus Apostolos suos sal terræ cognominat. Et
videamus quid sub huius vocabuli comparatione,
de Apostolis suis Dominus velit intelligi. Quod vt
plenius possimus aduertere, primùm solicitè requi-
rendum est, quid hoc sal sit, & cuius terræ: & in quã
deinde rem vtilitatémque proficiat. † Iam etiam sa-
lis ipsius naturã, vsũmque tractare debemus, vt his
cognitis, dominici dicti virtutem spiritali intelligẽ-
tia facilius adsequamur. Natura igitur salis per aquã,
per calorem solis, per flatum venti constat, & ex eo
quod fuit, in aliam speciem generatur. Sic & Apo-
stoli atque omnes credentes, per aquam baptismi,
per fidem Christi, qui in comparatione sol iustitiæ
dictus est, & per inspirationem sancti Spiritus Deo
renati, ex terrena in cœlestem natiuitatem transie-
runt. Vnde non immeritò sancti Apostoli sal terræ

A à Domino nuncupantur. Et cuius terræ? Promptum
est noscere, id est terræ corporis nostri, quam du-
dum insipientem, ac sensu vanitatis insulsam, Euan-
gelicæ prædicationis sapientia salierunt. Ipsi enim
sal terræ nostræ facti sunt, quia per ipsos & verba sa-
pientiæ accepimus, & per cœlestem natiuitatem, in
spiritalem sumus demutati naturam. Sicut igitur sal
hoc, id est, sal terræ indiscretè omnibus opus est, id
est, Regibus ac potentibus, diuitibus & pauperibus,
seruis ac dominis, sic & cœlestis sapientiæ verbum,
quod per Apostolos prædicatum est, necessarium
est cunctis ad vitam. Omnes enim, secundum Apo-
stolum egent gratia Dei. Quia † sicut præsentem † *sicut in*
hanc vitam non sine salis vsu habemus, ita quoque *præsenti,*
B illam vitam æternam, sine dono sapientiæ diuinæ a- *non sine*
dipisci non possumus. Sed quia de natura, vel gratia *salis vsu*
salis secundum intelligentiam spiritualem iam su- *vitam ha*
perius dictum est, nunc quoque de ipsa salis virtute *bemus.*
tractemus. Vos ergo, inquit, estis sal terræ. Itaque si-
cuti sales cum operantur in carne qualibet, corru-
ptelam non admittunt, fœtores auferunt, sordes ex-
purgant, vermes non sinunt generari, ita & cœlestis
gratia ac fides, quæ per Apostolos data est, simili ex-
emplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis con-
cupiscentiæ corruptelam, peccatorum sordes expur
gat, odorem malæ conuersationis excludit, vermes
delictorum non sinit generari, id est, de corpore li-
C bidinosas & mortiferas voluptates exurgere, con-
seruans corpora nostra etiam ab illo immortali ver-
me, qui indefessa pœna peccatores excruciat, de quo
scriptum est: Vermis eorum non morietur, & *Isa. 66.*
ignis eorum non extinguetur. Et sicuti sales à fo-
ris quidem apponuntur, intrinsecus verò ope-
rantur per virtutem naturæ suæ, ita & cœlestis
gratia exteriora hominis atque interiora per-
penetrat, & totum hominem integrum à peccato
incorruptúmque conseruat. Hos autem Deo dignos
esse, qui sale cœlestis sapientiæ condiuntur, etiam du
dum præcedente figura legis ostensum est, quia om-
ne sacrificium offerendum Deo sale saliebatur. *Leuit. 2.*
D Quod ipsum Euangelista commemorauit dicen-
do: Omne, inquit, sacrificium sale salietur. Osten- *Mar. 9.*
dens eum hominem dignum verè sacrificium Deo
fieri, qui cœlestis sapientiæ virtute esset infusus. Vn-
de non immeritò cum per Ezechielem Prophetam *Ezech. 16*
Dominus Ierusalem, imò potius synagogam incre-
paret, inter cætera ait: Aqua non est lota, neque sale
salita. Pronuntians quia neque gratiã baptismi salu-
taris ad abluenda peccata sua acceptura erat, neque
fidem cœlestis sapientiæ susceptura. Si quis itaque
hoc cœlesti sale vsus fuerit, condietur, qui autem no
luerit, infatuabitur. Non immeritò & Apostolus,
sermonem nostrum semper gratiæ sale conditum
E esse debere commonuit. Adhuc huius salis gratiam
ac virtutem, etiam in libris Regnorum inuenimus
præostensam. Cum in Hierico essent aquæ malignæ,
quæ steriles faciebant, petitus est sanctus Helisæus
Propheta, vt iisdem aquis remedium salutare præ- *Col. 4.*
beret. Tunc sanctus Helisæus cœlestis mysterij non
ignarus, dixit afferre sibi vas fictile, & mitti in eo sa-
lem. Et venit, & misit salem ad exitus aquarum, & *4. Reg. 2.*
sic sanata sterilis natura aquarum, in fœcunditatem
mutata est. Quod in Sacramentum futuræ veritatis
gestũ, manifesta ratione cognoscimus. Nã per aquas
Gentes significari euidenter Apocalypsis retulit di-
cendo: Aquæ quas vidisti, populi, & Gentes, & tur-
bæ,

Apoc. 17 bæ, & nationes sunt. Quæ aliter sanari, vel remediũ
A salutare accipere non poterant, nisi sal in vas fictile
mitteretur, id est, Dei sapientia humanũ corpus ac-
ciperet. Quæ postquàm ad exitus aquarum, id est, ad
exitum mortis humanæ, salutis nostræ causa perue-
nit, tunc omnium credẽtium natura, quæ fructu se-
minis sterilis erat, in fidem iustitiæ ac fœcũditatem
mutata est. Vnde non immeritò Dominus Aposto-
los suos sal terræ appellat, quos diuina ex se & cœ-
lesti sapientia repleuit: Sic autem eos sal terræ esse
testatus est, sicut & lucem mundi. Nam cum ipse lu-
Io. 8. cem mundi se esse professus sit: tamen etiam discipu-
los suos hoc nomine voluit nuncupare, non aufe-
rens sibi quod suum est lumen, sed largiens, quia lu-
B men verum & æternum, quod suum est, sine aliquo
detrimento propriæ naturæ largitur. Scimus sanè &
nonnullos sales de terra generari, sed & hæc simili-
tudo cõgruit Apostolorum personæ. Quia quamuis
nati de terra humani corporis viderentur, aliud ta-
men per fidẽ Christi esse iam cœperant: vt nõ iã ter-
ra, sed sal terræ haberentur, quia de carnalibus facti
sunt spirituales, idonei qui fide possent condire in-
sulsa corda credẽtiũ. Vos ergo, inquit, estis sal terræ.
Si autem sal infatuatũ fuerit, in quo cõdietur? Ad ni-
hilum valet, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur
ab hominibus. Infatuari autem eos ostendit, qui cũ
semel per fidem & sapientiam cœlestem eruditi, fi-
C deles ac stabiles debeant permanere, relicta fide &
sapientia diuina, aut in hæresim ruunt: aut ad stulti-
tiam Gentilium redeunt. Et idcircò ait: Si autem sal
infatuatum fuerit, in quo condietur? Quia infatuati
fraude diaboli huiusmodi homines, amissa fidei gra-
tia euanescunt. Qui cum potuissent etiam alios non
credentes, adhuc a fide alienos diuinæ prædicatio-
nis verbo condire, etiam sibi inutiles extiterunt. De-
nique Iudas Iscariothes de huiusmodi salibus fuerat,
sed posteaquàm diuinam sapientiam reprobauit, &
de Apostolo apostata factus est, non solum aliis pro-
desse non potuit, sed & sibi miser & inutilis factus
est. Et ideò addidit Dominus dicens. Ad nihilum va
D let, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab homi-
nibus. Quia huiusmodi iam non fideles, ac domesti-
ci, sed proiecti ab Ecclesia, vt extranei, & fidei hostes
habendi sunt. Vnde & Iudas de domestico fidei ini-
micus factus est veritatis. Proiecti itaque huiusmo-
di extra Ecclesiam, necesse est vt diuersis vitiis carnis
& variis voluptatibus sæculi conculcentur. Et hoc
est quod ait: Ad nihilum valet, nisi vt proiiciatur fo-
Eccl. 9. ras, & conculcetur ab hominibus. Quid sit autem
conculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro
suo retulit, cum de muliere meretrice loqueretur:
Mulier, inquit, fornicaria, quasi stercus in via ab ho-
minibus prætereuntibus conculcatur. Quia igitur
E conditi iam sale Apostolico sumus, in tali ac tanto
condimento gratiæ spiritualis permanere debemus,
vt ipsi quoque sal terræ nuncupari à Christo Domi-
no nostro mereamur, qui est benedictus in sæcula,
Amen. *Deinde ait: Vos estis † lux mundi. Non potest ciuitas*
† *Lumen.* *abscondi super montem posita, neque accẽdunt lucernam, vt
ponant eam sub modio, sed super cãdelabrum, vt luceat om-
nibus quæ in domo sunt.* Sal terræ Dominus discipulos
suos appellauit, quia infatuata à diabolo corda hu-
mani generis, per cœlestem sapientiam condierunt.
Nunc quoque lumen mundi eos nuncupat, quia à
seipso, qui verum & æternum lumen est illuminati,
ipsi quoque lumen facti sunt tenebrarum: Nã quia

ipse sol iustitiæ est, non immeritò etiam discipulos *Apostoli*
A suos lumen mundi cognominat, quia per ipsos, qua- *lumen mũ*
si per quasdam micãtes radios, vniuerso orbi cogni- *di.*
tionis suæ lumen infudit, fugauerunt enim à cordi-
bus hominum tenebras erroris, luce veritatis o-
stensa. Per ipsos namque illuminati etiam nos, ex te-
nebris lumen sumus effecti, dicente Apostolo: Era-
tis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Do- *Ephe. 5.*
mino, sicut filij lucis ambulate. Et iterum: Non estis
filij noctis, neque tenebrarum, sed estis filij luminis, *1. Thess. 5.*
& filij diei. Meritò & sanctus Ioannes in epistola sua
testatus est, dicẽs: Deus lux est. Et qui manet in Deo,
in lumine est, sicut & ipse est in lumine. Vnde quia *1. Ioan. 1.*
tenebris erroris liberatos nos esse gaudemus, sem-
B per quasi filij lucis in lumine ambulare debemus.
*Et addidit: Non potest: inquit, ciuitas abscondi supra montem
posita.* Ciuitatem hîc Ecclesiam significat, de qua *Psal. 86.*
multis locis diuinæ scripturæ testantur, & de qua Da *45. &*
uid maximè loquitur, dicens: Gloriosa dicta sunt de *47.*
te, ciuitas Dei. Et iterum: Flumen † impetus lætifi-
cant ciuitatem Dei. Et iterũ: Sicut audiuimus, ita & † τὰ ὁρμήματα ἐσφρασίνασι.
vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate
Dei nostri, Deus fundauit eam in æternum. Et vt ma
nifeste se de hac ciuitate loqui Spiritus sanctus ostẽ-
deret, etiam montis ipsius fecit mentionem dicen-
do: In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. De
qua per Esaiam Dominus loquitur dicens: Ecce ego *Isa. 54.*
C præparabo tibi carbũculum lapidem, & fundamẽta
tua Sapphyrum, & propugnacula tua Iaspidem, &
portas tuas lapidem Crystallum & circuitum tuum
lapides electos, & omnes filios tuos docibiles Dei.
Et multa similia, quæ prætermisimus, ne tædium le-
gentibus faceremus, maximè cum hæc quæ dicta
sunt, ad probationem ciuitatis huius satis abundé-
que sufficiant. Ciuitatem ergo supra montem posi-
tam, Ecclesiam ostendit, supra fidem Domini ac Sal-
uatoris nostri, in cœlesti gloria constitutam, quæ a-
ctu spirituali omnem humiditatem terrenæ infir-
mitatis excedens, vniuerso mundo conspicua facta
est & gloriosa, quæ iam non per annuntiationem
D legis obumbratur, sed per Euangelicam doctrinam
aperta prædicatione conspicitur. *Et addidit: Neque e-
nim accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed su-
pra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Vi-
deamus itaque & huius dicti dominici rationem.
Scimus lucernam ad hoc accendi, vt non modio, aut
aliquo operimento tegatur, quod si fiat, vsus eius
nulli rei proderit: sed ideò accẽditur in candelabro,
vt in edito loco posita, cecitatem obscuræ noctis
abiiciat, & lucis suæ vsus in domo constitutis im-
pertiat. Quod ideò Dominus commemorat, quò
sciremus & nos idcircò gratia fidei accensos, & luce
spiritus illuminatos, vt & ipsi per opera fidei atque
E iustitiæ velut lucerna spiritualiter luceremus, &
hos qui in tenebris erroris sunt positi, ignorantiæ
nocte depulsa, veritatis ipsius lumine illustraremus,
Vnde Apostolus ait: Inter quos lucetis sicut lumi- *Philip. 2.*
naria, in hoc mundo verba vitæ continentes. Quod
si nõ faciamus, videbimur tàm necessarij luminis v-
tilitatem ad damnum tàm nostrum, quàm aliorum,
infidelitate nostra velut quodam velamine obtege-
re & obumbrare. Quapropter & illum qui talentũ
ad lucrum cœlestis negociationis acceptum, abscõ-
dere magis voluit, quàm ad mensam numulariis da-
re, debitam pœnam incurrisse scimus & legimus. Et
idcircò lucerna illa † spiritualis, quæ ad vsum salutis † *splendẽs*

*Pſal.*118 noſtræ accenſa eſt, ſemper lucere debet in nobis. Habemus enim lucernam cœleſtis mandati, & gratiæ ſpiritalis, de qua Dauid retulit: Mandatum
Prouer. 6 tuum lucerna pedibus meis, & lux ſemitis meis, De qua & Salomon ait: Quoniam lucerna eſt præceptum legis. De qua per Sophoniam quoque Prophetam Dominus teſtatur: Et ſcrutabor
Soph. 3. Hieruſalem cum lucerna. In hac enim lucerna inextinguibile legis ac gratiæ ſuæ lumen oſtendit, quod non aliquo cæcæ mentis velamine operiendum eſt, vel obſcurandum, vt Iudæi, vel hæretici faciunt, qui perſpicuam lucem prædicationis diuinæ prauis interpretationibus obtegere & occultare nituntur, pro fide perfidiam prædicando, & lumen veritatis
† *erroribus tenebrosis.* † erroris tenebris obuelando. Vnde lucerna hæc legis ac fidei non occultanda nobis eſt, ſed ad ſalutem multorum ſemper in Eccleſia, velut in candelabro conſtituenda, vt veritatis ipſius luce & nos fruamur, & omnes credentes illuminentur. Ad cuius luminis cõtemplationem etiam per Eſaiam nos ſanctus Spiritus adhortatur, dicendo: Venite ambulemus in luce Domini, dimiſit enim populum ſuum domus Iſraël. De qua luce & B. Petrus in Epiſtola ſua teſta-
1. *Pet.* 2. tus eſt, dicens: Qui eripuit nos de tenebris, & aduocauit nos in admirabilem lucem. Vnde & Zacharias
Zac. 4. Propheta, vt ſpiritalis huius luminis, & cœleſtis candelabri, quo in figura Eccleſiæ oſtenſum eſt, manifeſtaret myſteria, inter cætera quæ ei pro merito prophetiæ monſtrata ſunt, etiam candelabrum aureum cum lampadibus ſuis ſe vidiſſe teſtatus eſt. Nam & in tabernaculo teſtimonij, ad futuræ veritatis exemplum, candelabrum cum lucernis indefeſſo lumine populo lucebat. Cuius rei ratio Iudæis quidem occulta eſt, ſicuti & omnia ſacramenta legis, ſed nobis
Exod. 25 *&* 40. iam manifeſta. Scimus enim in candelabro illo typum veri & æterni luminis oſtenſum, id eſt, Spiritus ſancti, qui per multiformem gratiam omne Eccleſiæ corpus ſemper illuminat. Vnde & Dominus in Euangelio inter cætera diſcipulos ſuos, vt lucernas in manibus ardentes habeant, adhortatur dicendo: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.
Luc. 12. Quod vtique Dominum præcepiſſe non corporali ſenſu, ſed ratione ſpiritali, intelligendum eſt. Nam quia in lucerna mandatum Dei, ſiue lumen legis ſignificatur, idcircò lucernam in manibus portare iu-
Prou. 4. bemur, vt illuminati gratia Spiritus ſancti, operibus iuſtitiæ ac fidei luceamus, ſecundum quod Salomon
† *dirigat.* retulit: Viæ, inquit, iuſtorum ſimiliter vt lux fulgebunt, præcedunt enim & illuminant donec † corrigat dies: Meritò ergo cum in præſenti loco Dominus lucernæ mentionem feciſſet, dicendo: Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus quæ in domo ſunt, addidit dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Magnificatur enim Deus
1. *Cor.* 6. in nobis apud incredulos & infideles ſi ſecundum præcepta diuina viuamus, ſi bonis operibus luceamus. Vnde & ſanctus Apoſtolus ait: Magnificate &
1. *Pet.* 3. portate Deum in corpore veſtro. Et B. Petrus in epiſtola ſua ſimiliter commonet: vt cum detractauerint de vobis, opera iuſtitiæ magnificent Deum noſtrũ. Poteſt autem & aliter intelligi, quia multiplex intelligentia ſpiritalis eſt, vt in lucerna ipſum Dominum ſignificare noſcamus, propter aſſumpti corporis humilitatem. Hic quidem non ſolum ſecundum gloriã diuinitatis ſol iuſtitiæ nuncupatur, ſed ſecundum aſſumpti corporis ſacramẽtum etiam lucerna oſtenditur, quia cum Deus eſſet gloriæ & maieſtatis æternæ, humilis in hoc mundo tanquàm lucerna apparuit. Et non ſine cauſa tanquàm lucerna, quia lucerna per noctem lucere conſueuit. Idcirco itaque in hoc mundo humilis tanquàm lucerna apparuit, vt tenebras erroris de cordibus noſtris, & ignorantiæ noctem depelleret, qui in hoc mundo velut in nocte poſiti degebamus. Huiuſmodi ergo lucerna, id eſt, incarnatio Chriſti oſtenſa à lege ac Prophetis, iam non obſcura prædicatione legis tanquã modio tegitur, nec infidelitate ſcribarum ac Phariſæorum, velut quodam vaſe perfidiæ operitur, ſed in Cruce velut in candelabro conſtituta, omnem Eccleſiæ domum illuminat. Secundum myſterium itaque incarnationis lucerna eſt, ſecundum gloriam verò diuinitatis ſol iuſtitiæ eſt. Denique in ipſo Crucis candelabro, tanquàm ſol reſplenduit, cum per Apoſtolorum prædicationem, quaſi per quoſdam radios vniuerſo orbi clariſſimum ſuæ cognitionis lumen inuexit Dominus & Saluator noſter, qui eſt benedictus in ſæcula. Deinde ait: *Nolite putare, quia veni ſoluere legem aut Prophetas. Non veni ſoluere: ſed adimplere.* Non ad diſſoluendam legem, vel Prophetas filius Dei venit, qui autor eſt legis, & Prophetarum, quia ipſe Moyſen ad tradendam legem populo dedit, & Prophetas ad prædicationem futurorum ſancto Spiritu mundauit. Non ergo, inquit, veni ſoluere legem aut Prophetas, ſed adimplere. Implenit autem legẽ & prophetas hoc modo, dum ea quę ſcripta erant in lege & Prophetis ipſe cõſummat. Vnde cum acetum in Cruce oblatum ſibi bibiſſet, ait: Adimpletum eſt, *Io.* 19. vt euidenter oſtenderet, omnia quę de ſe in lege, ac Prophetis ſcripta erant, etiam vſque ad aceti potum eſſe cõpleta. Adimplet legem omni modo, dum myſterium paſchæ vel agni olim in figura monſtratum, 1. *Cor.* 5. paſſionis ſuæ ſacramento compleuit. Vnde ait Apoſtolus: Nam & paſcha noſtra immolatus eſt Chriſtus. Adimplet legem, dum ſacrificia legis, omniáque exempla in ſe præfigurata, accipiendo corpus veritatis ratione compleuit. Vel certè adimplet legem, dum præcepta legis quæ dederat, Euangelicę gratiæ ſuæ ſupplemento confirmat. Quam autem legem venit adimplere, in ſequenti demonſtrat dicendo: *Donec cœlum & terra tranſeant, iota vnum, vel vnus apex à lege non cadunt, donec omnia fiant.* Quam vera igitur ac diuina ſit prædicatio legis, ex hoc ipſo cognoſcimus, de qua ne iota quidem vel vnum apicem poſſe cadere Dominus manifeſtat. Quanquam in hoc iota vel apice legis, etiam ſacramentum Crucis poſſit intelligi, quia iota & apex quãdam in ſe imaginẽ Crucis oſtendunt, quæ à lege ac Prophetis prædicata, nulla ratione poterat præteriri. *Deinde ait: Qui ſoluerit, inquiens, vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Cum mã- *Eccl.* 19. data minima ſoluere impium ſit, multo magis magna & maxima. Vnde per Salomonem idipſum Spiritus ſanctus conteſtatur, dicens: Qui modica ſpernit, paulatim decidet. Et idcircò nihil eſt de præceptis diuinis ſoluendum, nihil mutilandum, ſed totum fideli ac deuota mẽte ſeruandum atque docendum, ne cœleſtis regni gloria amittatur. Quia quę iudicio infidelium, vel hominum ſæculi minima putantur & parua, hæc apud Deum non ſunt parua, ſed neceſſaria. Qui autem docuerit & fecerit, hunc magnum futurum

futurum Dominus oſtendit in regno cœlorum. Quapropter non ſolum verbis operandum eſt, ſed & factis, nec vt doceas tantùm, ſed vt quod docueris, facias. Et audiamus ipſum Dominum, huiuſmodi doctores qui dicunt & non faciunt, in Euangelio increpantem: Væ, inquit, vobis Scribæ & Phariſæi
Mat. 23. hypocritæ, quia oneratis homines oneribus, quæ portari non poſſunt, ipſi autem non tangitis digito
Rom. 2. veſtro ſarcinas ipſas. Vnde & Apoſtolus ait, Non, inquit, auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabũtur. Si hoc etiam ab audientibus dicit, quid de doctoribus intelligendum eſt? Inde &
Eccl. 4. Salomon ait. Noli eſſe citatus in lingua tua, & ſegnis, ac remiſſus in operibus tuis. Et ideò oportet eũ qui docet, exemplum ex ſe præbere puræ fidei, & honeſtatem conuerſationis ſuæ, vt Apoſtolus Timo
1. *Tim.* 4. theo ſcribit. Forma, inquit, eſto fidelium. Et iterum: Exemplum teipſum præbens operum bonorum, in iuſtitia, in caſtitate, in ſobrietate, per doctrinam ſanam. Vnde & ipſe Filius Dei, qui magiſter & Dominus legis eſt, ad exemplum noſtrum, cuncta quæ docuit, voluit rebus ipſis implere. Et addidit. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Reprehenditur iuſtitia Scribarum & Phariſæorum, quia non fidem promiſſionis diuinæ, ſed humanam laudem, &
Luc. 18. ſæculi gloriam quærebant, ſicuti habemus exemplũ de illo Phariſæo ſuperbo & elato, qui vt ſibi videbatur, iuſtitiæ ſuæ merita præferens, impudenter ſe elato animo, ac ſuperbis vocibus in conſpectu Dei iactabat. Retinebant ergo ſpeciem iuſtitiæ Scribæ & Phariſæi, non vt Deo placerent, ſed vt famam humanæ gloriæ quærerent, vt lucra terrena, & temporalia commoda mercarentur. Et ideò hortatur Dominus, vt hanc † famoſam iuſtitiam laudis huma-
† *famoſã* næ, operibus iuſtitiæ cœleſtis ac fidei meritis præcedamus, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Dehinc ſequitur: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Si quis iraſcitur fratri ſui, reus erit iudicio.* Hoc eſt quod dixit Dominus: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Hoc eſt, quod minus erat addere, præcepta ſcilicet legis in melius reformare. Vnde & ſanctus Apoſtolus ait: Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit,
Rom. 3. ſed legem conſtituimus. Rudi & duro populo legis tradita ſunt mandata iuſtitiæ, perfecto autem & fideli populo Euangelica traduntur præcepta cõſummatæ fidei, & cœleſtis iuſtitiæ. Lex præcipit non occidendum, Euangelium verò nec iraſcendum, vt
† *auferat* omnem radicem peccati † auferret de cordibus noſtris, quia per iracundiam poteſt etiam vſque ad homicidium peruenire. Vnde non immeritò beatus
Iob. 5. Iob in libro ſuo ita teſtatus eſt dicẽs: Stultum interficit iracundia, ſeductum autem occidit æmulatio. Dauid quoque ita ait: Iraſcimini, & nolite peccare, dicite in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris cõpungimini. Quod teſtimonium ſanctus Apoſtolus
Pſal. 4. interpretatus eſt, dicens: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, neque detis locum diabolo. Cum
Ephe. 4. ergo iraſci non liceat, multo minus homicidij crimen admittere. Et cum iracundia teneatur in futuro iudicio, quam putamus pœnam habiturũ ipſius ſceleris factorem? *Qui autem dixerit, inquit, fratri ſuo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehẽnæ ignis.* Ita docet nos Dominus per omnia eſſe perfectos, vt ne leuibus quidem, vel vanis ſermonibus futuro iudicio rei teneamur. Vetat namque dici fratri, racha, id eſt vacue & inanis: non enim debet dici vacuus & inanis, qui fide & Spiritu ſancto plenus eſt. Neque enim debet frater fatuus appellari, qui credendo in Chriſto, diuinæ ſapientiæ gratiam conſecutus eſt. Vnde & cum per Salomonem Spiritus ſanctus de viro Euangelico loqueretur, ita teſtatus eſt, dicens: Beatus qui non eſt lapſus verbo otis ſui, & non eſt ſtimulatus triſtitia delicti. Et idcircò alio *Eccl.* 19. loco idẽ Salomõ ait: Fac ori tuo ſeras, & linguæ tuę & verbis tuis fac ſtateram. Et iterum: Circuncide à te prauum os, & iniqua labia longè expelle à te. Et iterum: Indiſciplinatæ loquelę non adſueſcat os tuũ, eſt enim in illa triſtitia delicti.* Vnde & Dauid ait: * *Inde.*
B Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circũ- *Pſal.* 140
ſtantiæ labiis meis. Et iterum in alio Pſalmo, dixit, *&* 38.
Domine cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Quia vt Salomon ait: Labia imprudentum ſtulta narrabunt, & ſtatera appenditur verbum prudentis. Et ideò Dominus in Euangelo, etiam, pro
Mat. 12. ocioſo ſermone rationem nos reddituros eſſe teſtatus eſt. Hinc & Apoſtolus ita hortatur, dicens: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non exeat, niſi qui bo *Ephe.* 4.
nus eſt ad ædificationem fidei. Et iterum: Sermo veſter ſit ſemper in gratia ſale conditus, vt ſciatis quo- *Col.* 4.
modo oporteat vos vnicuique reſpondere. Ob quã rem in omnibus cautos nos eſſe conuenit, ne per fa-
C miliaritatem inutilium verborum * damnum ſaluti * *damnã*
acquiramus. *Dehinc ait: Si offers munus tuum ante altare, & ibi rememoratus fueris, quia habet aliquid frater tuus aduerſum te, relinque illic munus tuum, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc offer munus tuum.* Quanti habeat Dominus fraternam dilectionem, ex hoc ipſo cognoſcimus, cum oblatum Deo munus oſtẽdit acceptè non offerri, niſi prius oblator muneris fratri ſuo, iracundia * ſepoſita, reconcilietur. Inuenimus * *depoſita*
denique offerentis Cain munera idcircò à Deo re- *Gen.* 4.
pudiata, quia charitatis iura non ſeruans, aduerſus fratrem iram animo retinebat. Vnde non immeritò Dominus in Euangelio multis locis charitatis fra *Io.* 14.
ternæ dilectionem præcipuè cuſtodiendam eſſe in- *&* 15.
ſinuat, dicendo: Mandatum nouum do vobis, vt dilectionem habeatis ad alterutrum: Et iterum: In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem ad alterutrum habueritis. Non immeritò etiam per Zachariam Prophetam ita Dominus loquitur: Iudicium iuſtum & pacificum iudicate, & no lite retinere malitiam fratris veſtri in cordibus veſtris. Per Dauid quoque ſimiliter teſtatur: Deſine ab ira, & derelinque indignationem. Pari modo etiam *Pſal.* 36.
per Salomonem Spiritus ſanctus loquitur, dicens: Homo homini reſeruas iram, & à Deo quæris me- *Eccl.* 28.
delam? Ipſe in hominem ſimilem tibi non habes miſericordiam, & Deum exoras pro peccatis? Et ipſe cum ſis caro retines iram, & propitiationem petis à
E deo? Et quis orabit pro delictis tuis? Et ſuper addidit, dicens: Memento nouiſſima, & deſine inimicari. Vnde & ſanctus Dauid, tuãgelici præcepti per Spiritũ ſanctum non ignarus, de ſe ita teſtatus eſt, dicens: Si *Pſal.* 65.
iniquitatem, inquit, conſpexi in corde meo, non ex audiat Dominus. Quid enim tàm gratum Deo, tàm neceſſariũ noſtræ ſaluti, quàm quòd Dominus præcipit, iram nõ retinere, pacifico animo ac ſimplici cõſcientia deo munus offerre, ſicut obtulit primus Abel? Et ideò munera ipſius ſuſcepta ſunt à Deo, Cain reprobata, quia Abel pura ac ſimplici mẽte munera do

mino offerebat, Cain verò iram aduersus fratrem tenebat in corde. Quapropter si volumus † munera nostra Deo placere, excludere iracundiam de corde debemus, interficere malitiam contra fratrem susceptam, tenere verò pacem fraternam, seruare charitatem, diligere vnanimitatē, custodire concordiā, vt placare Dominum mereamur, qui est benedictus in sæcula. *Posthinc sequitur: Esto, inquit, cōsentiens aduersario tuo, dum es cum illo in via, ne forte aduersarius tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* De hoc Domini dicto, quidam ita existimant intelligendum, asserentes huiusmodi aduersarium, qui culpa sua vel aliena inimicus extiterit, citò ad pacem & amicitias esse reuocandum, dum cum illo sumus in via, id est, in cursu vitæ præsentis, ne cū de sæculo fuerit recessum, vnusquisque vt charitatis immemor, & inimicitiarum reus, incipiat Deo iudici offerri, & tradi à iudice ministro, id est, Præposito tormentorum, vt missus in carcerem gehennæ, debitas peccati pœnas exsoluat. Sed assertio ista non plenam videtur habere rationem. Quid enim si aliquis è fratribus ob causam fidei aduersarius existat? Nunquid perfidiæ ipsius cōsensus † commodandus est, ne cum tali religiosa discordia maneat? Habemus aduersarios & Gentiles, qui fidei nostræ aduersantur, qui nos interdum tempore persecutionis ad nefanda sacrificia cogunt. Nunquid & propter huiusmodi aduersarios hoc agendum est, quemadmodum voluntati ipsorum consensum sacrilegum cōmodemus, ne inimici permaneant? quorum sacrilegæ persuasioni, non modò consentiendum non est, verum etiam inuicta fide resistendum. Quidam etiā apertè aduersarium hîc diabolum intelligendum existimant, quod qua ratione astruant, non * animaduerto. In quo enim debet consensus diabolo commodari? Cuius hoc opus est vt totum contra fidem, cōtra salutem, cōtra diuinam religionem suadeat, hortetur, extorqueat. Nisi forsitan hoc sensu intelligi debeat, vt si fortè persecutor aliquis inimicus existens, vel diabolus, quia autor persecutionis est, voluerit causa nominis Christi, Christiano mortem inferre, libenter consensum accommodet, vt morti pro Christo tradatur, ne idem diabolus, qui accusator noster est, reos nos apud Deum constituat de fidei præuaricatione, & pœnæ obnoxios faciat: quia diabolus quamuis omnis criminis autor sit, ipse tamen & accusator est. Hoc enim dictum de eo in Apocalypsi legimus. Et præcipitatus est, inquit, draco, accusator fratrum nostrorum, qui † accusat eos in conspectu Dei die ac nocte. Ipse suasor, ipse accusator, suadet, vt decipiat, accusat, vt damnet. Alij verò, quorum assertio plenior mihi videtur, aduersariū hic Spiritum sanctum existimant intelligendum, qui aduersatur vitiis & desideriis carnis, secundum quod Apostolus manifestat dicendo: Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcūque vultis illa faciatis: Spiritus enim cœlestia desiderat, caro terrena concupiscit. Spiritus donis spiritalibus gaudet, caro vitiis corporalibus oblectatur. Vnde & Apostolus ait: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Huic, credo, aduersario peccati & erroris humani, suadenti quæ iusta & sancta sunt, in omnibus obedire nos Dominus præcepit,

*[Margin: † muneribus nostris. — De aduersario variæ sunt sententiæ. Prima. — † accōmodandus. — Secunda. — * aduerto. — Apoc. 12. — † accusabat. — Tertia. — Gal. 5. — Ephe. 1.]*

A dum cum illo sumus in via, id est, in comitatu vitæ præsentis, vt æternam pacem, & perpetuam societatem cum eo habere, possimus. Verū si quis voluntati Spiritus sancti dicto * non audiens, & contrarius extiterit, non dubium est huiusmodi hominem post excessum vitæ, Dei filio, qui iudex viuorum ac mortuorum est, offerendum, à quo tradetur ministro, id est, Angelo tormentorum, mittendus in carcerem gehennæ. Vnde non dimittetur, nisi etiam nouissimum quadrantem reddat, id est, omnem pœnā debiti, etiam vsque ad nouissimum peccatum exoluat. De hoc igitur aduersario Dominus in præsenti loco loqui intelligitur, qui aduersans peccatis nostris, salutem nostram desiderat, qui nos idcircò cu- B pit sibi esse consentaneos, vt & pœnas inferni euadere, & regna cœlestia consequi mereamur. De quo & Salomon in libro suo testari videtur, cum dicit: Est vnus, & non est secundus. Et quidē nec filius, nec frater est ei, & non est finis omni labori suo. Et optimi sunt duo, quàm vnus, quibus est merces bona labor ipsorum. Quia si ceciderit vnus, alter erigit socium suum. Væ illi vni cum ceciderit, quia non habet qui erigat illum, ostendens quia caro quæ concordiā & societatem sancti Spiritus habere meruerit, cum in mortem ceciderit, ab eodem spiritu erigatur in vitam, & in gloriam sempiternam. Et ideò væ vni illi dixit, quia cum ceciderit, non habet, qui C erigat eum, id est, quia caro, quæ consortium spiritus per infidelitatem suam nō meruerit habere, non in vitam æternam erigitur, sed in pœnam perpetuā suscitatur, ab eo qui iudex viuorum & mortuorū est, cui est laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Deinde ait: Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis, Ego autem dico vobis: Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Non immeritò sanctus Dauid ait dicendo: Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis. Adeò nimis, quia non solū adulterium, sed etiā concupiscentia rea teneatur ad crimen. Lex adulterium damnat: Euangelium verò etiam concupiscentiam punit, quæ radix D est adulterij. Vnde per Salomonem multis locis idipsum Spiritus sanctus contestatur dicendo: Post cōcupiscentias tuas non eas, & à voluptate tua vetare. Quia si dederis animæ tuæ concupiscentiam, tradet te in gaudium inimicis tuis, & inuidis tuis. Et iterū: Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam. Noli circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspexeris speciem alienam. Et postea addidit: Speciem alienæ mulieris multi admirantes reprobati sunt, colloquium enim illius quasi ignis ardescit. Benè dixit, quasi ignis ardescit, quia in huiusmodi mulieris col- E loquio, desiderium libidinis quasi ignis accenditur. Vnde vitare debes talem mulierem, ne te flamma cupiditatis exurat. Ideò & Salomon ait: Non te vincat formæ desiderium, neque capiaris oculis tuis, neque rapiaris palpebris tuis. Et iterum ait: Aufer à me ventris concupiscentiam, & concubitus concupiscentiæ non apprehendat me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradideris me. Audiamus & beatum Iob, qui se in omnibus virum Euangelicum præbuit, & mandatum Domini, antequàm audiret, impleuit, idipsum de se contestari, cum dicit: Si deflexit pes meus de via, & sequutum est cor meum oculū meū. Si manibus meis tetigi munera, alij fru-

*[Margin: * obaudiens. — Eccl. 4. — Psal. 118. — Eccl. 18. — Eccl. 9. — Iob. 31.]*

ctus meos edant. Si secutum est cor meum vxorem alienam, aut si assiduus fui ad illam, placeat & vxor mea alteri. Ira enim furoris est & immundi spiritus, commaculare mulierem viri, ignis est ardens. Vnde, quia graue peccatum adulterium, ad extirpandam radicem peccati ipsius, ne conscientia nostra maculetur, etiam concupiscentiam interdixit, quæ est adulterij origo, secundum quod beatus Iacobus in epistola sua refert. Concupiscentia, inquit, parit peccatum, peccati autem concupiscentia adquirit mortem. Idcircò & per Dauid Spiritus sanctus de hoc ipso ita loquitur: Beatus, inquit, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram. Hunc beatum & verè Euangelicum virum ostendens, qui desideria & concupiscentias carnis per infirmitatem humanam nascentes, statim antequàm crescant, in ipso natiuitatis exordio per fidem Christi, qui petra dictus est, enecauerit. *Deinde ait: Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus eat in gehennam. Et si manus tua, inquit, scandalizat te, abscide eam, & proiice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Oculum mihi vel manum non corporis humani significat, sed oculum vel manum cordis, id est, sensum malæ concupiscentiæ carnalis desiderij abscidi de cordibus præcipit, vnde omnia mala procedere ipse Dominus in Euangelio manifestat, dicendo: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, blasphemiæ, falsa testimonia, & cætera quæ coinquinant hominem. Verum corpus deliberare nihil proficit ad malæ mentis emendationem, in qua totus gurges est vitiorum. Denique videmus multos orbatos oculis, vel corpore debilitatos, à vitiis tamen non cessare. Vnde hæc magis membra vitiorum, malæ mentis & prauæ cogitationis, excidere nos Dominus præcipit propter regnum cœlorū, ne dominantibus vitiis, & corpus & anima, id est, totus homo reus efficiatur ignis æterni. Quidam autem hoc de filiis, vel proximis intelligendum esse existimant, qui nobis velut oculi capitis chari sunt ac dilecti, vt si forte aliqui de huiusmodi fidei ac spei nostræ contrarij existētes, scandalum generauerint, abiiciantur à nobis, & vt inimici salutis habeantur, ne cum eiusmodi hominibus perfidis ac blasphemis vnusquisque nostrum sociatus, pari pœna damnetur. Sed quia corporis mentio facta est, rectius id magis de corpore Ecclesiæ potest intelligi, in quo oculus velut preciosum membrum Episcopus significatus agnoscitur, qui lumine mandati diuini totum corpus illuminat. De hoc ergo dictum rectè intelligitur. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam, vt si forte huiusmodi oculus, id est, Episcopus per prauam fidem & turpem conuersationem Ecclesiæ scandalum fuerit, eruendum eum esse, id est, abiiciendum à corpore Ecclesiæ præcipit, ne peccato ipsius reus populus teneatur. Scriptū est enim, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Et iterum: Auferte malum de vobis ipsis. In manu verò presbyter significatus intelligitur, qui si & ipse prauam fidem tenens, aut non rectè viuens, scandalum populo fecerit, abscidi eum Dominus iubet, id est abiici, ne peccato ipsius Ecclesia maculetur, cùm Ecclesia iuxta Apostolum sancta & imma-

[Margin: Adulterium graue est peccatum. — Iacob. 1. — Psal. 19. — Mat. 18. — Mat. 15. — Ecclesia corpus est. — 1. Cor. 5. — Ephe. 4.]

culata esse debeat, per Christum Dominum nostrū, A qui est benedictus in sæcula, Amen. *Dehinc sequitur: Audistis quia dictum est antiquis: Qui dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis: Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* In omnibus Dominus ac Saluator noster legis antiquæ iura reformat in melius. Iamdudum quidem populo Iudaico illicitè viuenti, ac suis voluptatibus seruienti, per Moysen repudij dandi quacunque de causa indulta videbatur licentia, non quòd ita legis ratio postularet, sed quia populi carnalis effrenata voluptas, secundum rigorem disciplinæ iustitiam legis tenere non posset. Idcircò hæc permissa facultas est, secundum quod alio in loco B ipse Dominus responso suo adhuc eis requirentibus manifestat. Nam cum dicerent: Cur Moyses permisisset dari librum repudij? Respōdit Dominus dicēs: Ad duritiam cordis vestri scripsit hoc Moyses dari librum repudij: ab initio autem non fuit sic. Vnde nunc non immeritò Dominus ac Saluator noster sublata illa licentia, antiquæ constitutionis suæ præcepta restaurat. Iubet namque matrimonij castum coniugium indissolubili lege seruari, ostendens coniugij legem à se esse primitùs institutam. Ipse enim ait: Quod ergo Deus coniunxit in vnum, homo non separet. Quo dicto & † passiuam Iudæorum licentiam, & stultā ac miserabilem Manichæo- C rum præsumptionem, qui negant à Deo esse coniugia, huius sententiæ pronunciatione damnauit, dicens: Excepta causa fornicationis vxorem non licere dimitti. Aperte demonstrans, cum contra Dei agere voluntatem, qui matrimonium à Deo iunctū, illicita diuortij separatione temerare præsumpserit. Vnde non ignorent, quàm graue apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluptatem, absque fornicationis causa, dimissis vxoribus, in alia volunt transire coniugia. Quod idcircò se credunt impunè committere, quia humanis & sæculi legibus id videtur permissum, nescientes in hoc se grauius magis delinquere, quia huma- D nas leges diuinis legibus præferant, vt quod illicitū Deus esse constituit, ideò licitum credant, quia ab homine sit † libere permissum. Sed sicuti vxorem castè ac purè viuentem dimittere fas non est, ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa se mariti consortio fecit indignam, quæ in corpus suū peccando Dei templum ausa est violare. *Dehinc ait: Audistis quia dictum est antiquis: Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus est Dei, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est Regis magni. Neque per caput tuū iurabis, quia non potes vnū capillum album facere aut nigrū. Sit* E *autem sermo vester, est, est, non, non. Quod aūt abundantius est, à malo est.* Per gratiā doctrinæ Euangelicæ, lex per Moysen data profectum accepit. In lege præceptum est, non esse peierandum, in Euangelio verò, nec iurandū. Quod ipsum olim per Salomonē pręcipere Spiritussanctus præmeditabatur, dicēdo. Iurationi non adsuescat os tuum. Et iterū: Sicut autē seruus flagellatus assiduè, à liuore nō minuitur, sic omnis iurās & negocians, à peccato nō purgabitur. Vnde iurare nos prorsus nō cōuenit. Quid em̄ vnicuique nostrûm iurare necesse est, cùm nobis mētiri omnino nō liceat? Quorū verba ita vera semper, ita debēt esse fidelissima, vt ꝑ iuramēto habeātur. Et idcircò Domi

[Margin: Mat. 19. — † forte prauam. — caute lege — † licere. — caute lege — Eccl. 23.]

nus non ſolum peierare,ſed etiam iurare nos prohibet:ne tunc tantum videamur verum dicere,cum iuramus,ne quos veraces in omni ſermone eſſe cõſtituit,putaremus ſine iuramento licitum eſſe mentiri. Iuramenti enim hæc cauſa eſt, quia omnis qui iurat,ad hoc iurat, vt quod verum eſt,eloquatur. Et ideò Dominus inter iuramentum & loquelam noſtram nullam vult eſſe diſtantiam, quia ſicut in iuramento nullam cõuenit eſſe perfidiam, ita quoduis in verbis noſtris nullum debet eſſe mẽdacium, quia vtrumque,& periurium & mendacium,diuini iudicij pœna damnatur, dicente Scriptura: Os quod mentitur, occidit animam. Quiſquis ergo verum *Sap.1.* loquitur, iurat, quia ſcriptum eſt: teſtis fidelis non mentitur. Vnde non immeritò Deum noſtrum iurare ſæpe Scriptura diuina commemorat, quia à Deo qui verax eſt, & mentiri neſcit, quicquid dicitur, pro iuramento habetur, quia verum eſt omne quod loquitur. Inuenimus quidem aliquoties deũ iurantem,ſed propter iudaicæ infidelitatis perfidiã, qui putant omne verum nonniſi in fide iuramenti conſiſtere.Idcircò ergo etiam Deus iurare voluit,vt *Deus cur aliquãdo iurauerit.* qui loquenti Deo non credebant, crederent vel iuranti. Ait ergo Dominus: Audiſtis quia dictum eſt antiquis:Non peierabis,Ego autem dico vobis,non iurare omnino,neque per cœlum, quia thronus eſt Dei: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius:neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis. In his Domini dictis, quibus per huiuſmodi elementa iurare nos prohibet, duplex intelligentia eſt. Primum enim voluit à nobis & vſum iurationis, & conſuetudinem humani erroris auferre, ne vnuſquiſque noſtrũm per hæc elementa iurando, aut creaturam in honore diuinæ venerationis haberet, aut idcircò impunitatem periurij habere ſe crederet, ſi per mundi elementa iuraret,cum ſcriptum ſit: Nec iurauit proximo ſuo in dolum. In quo etiam errorem tàm Iudaicæ infidelitatis, quàm etiam generis humani condemnat,qui relicto creatore creaturam ſub diui *Rom. 1.* na veneratione habuerunt,ſecundum quod Apoſtolus retulit: Et coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius,quàm creatori. Deinde etiam hoc modo poteſt intelligi.Quia cum iurarut per cœlum & terram,iu- *Mat. 23.* ratur per eum qui cœlum & terram conſtituit,ſecũdum quod ipſe Dominus alio loco manifeſtauit,dicendo: Qui iurat in altari,iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et qui iurat in throno Dei,iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et qui iurat in throno Dei,iurat in eo & in eo qui habitat in ipſo.Neque,inquit,per Hieroſolymam,quia ciuitas eſt magni Regis. Id eſt typus corporis Chriſti, quod eſt ſpiritalis illa & cœleſtis Eccleſia. Neque, inquit,per caput tuum iurabis,quia ſecundum Apo- *1.Cor.11.* ſtolũ:Caput viri Chriſtus eſt.Vnde qui per hęc iurat. per eum qui omniũ horum autor eſt,iurat.Sit ergo, inquit,ſermo veſter,eſt,eſt: non,non. Quod autem abundantius eſt,à malo eſt.Docens quod omnis ſermo à nobis prolatus,nihil aliud q̃ quod verũ eſt,debeat continere,cum omne mendacium, id eſt,quod amplius eſt, ad authorem diabolum reuocetur, qui ſemper ab initio mendax eſt,ſicut & pater eius. Vnde ſemper quod verum eſt loqui & meditari debemus,vt diſcipulos nos eſſe eius qui veritas eſt, oſtẽdamus, qui eſt benedictus in ſæcula, Dehinc ſequitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis:Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* A *Sed ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram,præbe illi & ſiniſtram:& ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere,dimitte ei & pallium.* Ad omne nos exẽplum patientiæ & humilitatis, Dominus per Euangelica præcepta conformat. Iamdudum iuſſum fuerat in lege, vt ſi qui iracundiæ furore commotus,vel oculum,vel dentem alterius eruiſſet,ipſe quoque ſimili pœnæ,atque eidem damno ſubiaceret. In quo *Lex talionis cum olim permiſſa.* præcepto & iuſtitia legis oſtenſa eſt,& inſolentis populi ſub hoc terrore temeritas refrenata eſt, vt quia metum futuri iudicij non habebãt,ſalutem vel præſentis vindictæ pœna eos à ſcelere prohiberet.Hi verò qui ſecundum fidem Euangelicam viuunt, retri- B butionẽ vindictæ iſtius non requirũt,quibus oĩs ſpes retributionis & vindictæ in futuro ſeruatur.Et idcircò Dominus in Euangelio non ſolũ vicẽ nos iniuriæ reddere non iubet, ſed percuſſos in dexteram maxillam,etiam aliam præcipit præbere, ſi hoc ira percutientis exegerit.Hoc enim ait:*Qui te percutit in dex-* †*Verè.* *teram maxillam,præbe ei & ſiniſtram.*Hoc eſt enim †verè fide viuere,non præſentem vltionem, ſed futurã *Deut.32.* vindictam expectare ab eo qui ait: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus. Hunc talem Euangelicum virum, qui percuſſus in maxillam, libenter alteram præbet,Hieremias euidenter oſtendit, cum *Thren. 3.* dicit:Bonum eſt viro,cum portauerit iugum graue C in iuuentute ſua.Sedebit ſingulariter,& tacebit,quia portauit iugum graue. Dabit percutiendam maxillã ſuam, & ſatiabitur in opprobrio. In quo manifeſte eum vtique oſtendit beatum virum,qui ſub hoc iugo Euangelicæ legis viuens,ab omni ſe perſequentis iniuria non auertit. Huiuſmodi enim meditatio tolerantiæ, ducit ad paſſionem martyrij. Facile enim etiã perſecutionis tẽpore pœnas corporis poterit ſuſtinere, ſi in pace antè exercitatus, huiuſmodi iniurias æquanimiter ac libenter ſuſcipiat. Nec ſanè cõuenit Chriſtiano vicem iniuriæ reddere, ne ſimilis ei cui vicem reſtituit iudicetur. Si enim malum eſt iniuriam facere, non eſt alienus à culpa qui vicem D malam rependit, ac per hoc non poteſt bonus haberi qui malum imitatur. Non ſolum autem maxillam præbendam percutienti Dominus præcipit,ſed & damna ſubiri. Hoc enim addidit: Et qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium. Poſt corporalis enim iniuriæ tolerantiam,vult nos Dominus etiam rerum ſæcularium habere contemptum, & vſque adeò ab omni lite vel contentione iudicij eſſe ſummotos,vt ſi fortè calumniator vel tentator exiſtens, ad probandam fidem noſtram litem moueat, volens auferre quæ noſtra ſunt, non ſolum hæc quæ iniuſtè expetit,ſed etiam illa quæ non poſtulat ſponte nos Dominus iubet offerre. Quia ſi vnuſquiſque propter E calumniam litigantis hæc quæ ſunt parua contemſerit, per eiuſmodi exercitationem eruditus, facilè poterit etiam in perſecutione vniuerſa quæ ſunt †huiuſmodi contemnere, perfecta enim fides iſta, †*huius mundi.* & perfecta victoria eſt, contra iniuriam facientem, ſi etiam ea quæ non poſtulat offerantur. *Deinde ait: Quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo adhuc alia duo.* Ad omne deuotionis opus,impigros nos eſſe præcipit Dominus ac paratos. Bonum enim noſtrum vult non tàm neceſſitatis eſſe, quàm †propriæ voluntatis, vt dum amplius ex nobis fa- †*propte* cimus, quàm ab aliis poſtulamur, maioris mercedis

Liberum Arbitrium. dis gloriam conſequamur. Integræ enim charitatis ac perfectæ deuotionis officium eſt,plus ſponte præ- A ſtare quàm petieris.Hunc ſenſum quidam etiam ſpiritualiter intelligendum crediderunt, vt qui angariatus fuerit mille paſſus, vadat cum eo adhuc alia duo. Id eſt,vt quicunque infidelis, vel necdum cognitionem veritatis conſecutus, de vno Deo Patre rerum omnium conditore, velut per iter legis ingreſſus fecerit mentionem,vadas cum illo adhuc alia duo,id eſt,vt poſt Patris profeſſionem,per viam veritatis hunc eundem vſque ad cognitionem Filij, & Spiritus ſancti perducas,oſtendens illi non ſolum Patrem,ſed & Filium,& Spiritum ſanctum eſſe credendum.*Denique ſequitur: Et qui petit à te,da ei.* Id eſt, vt poſt cognitionem Trinitatis, donum gratiæ cœ- B leſtis prompto animo tribuamus. Vel certe miſericordiam poſtulantibus tribuamus ſecundum quod poſſumus,vt ipſi quod à Deo †petimus, præcedente merito facilius impetrare poſſimus ab eo qui ait: †*petierimus.* Petite,& dabitur vobis. Verum ſi eos qui nos petũt deſpiciamus,qua fiducia Deum nobis quod petimus *Mat. 7.* præſtare credimus? dicente Scriptura: Vide ne auertas faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet vt nec à te *Thob. 4.* auertatur facies Dei, *Et omni,inquit, volenti mutuari à te,ne auerteris à te.* Iubemur per omnia religionem pietatis ac fidei cuſtodire, vt neceſſitatem tribulationis alterius quaſi propriam cõputemus, nec plus facultatem quàm fratrem faciamus. Et ideò vel pe- C tentibus fratribus, vel mutuo in neceſſitate poſtulantibus,religioſo animo, & pio affectu communicare debemus, exſpectantes mercedem retributionis æternæ,ſecundum quod Dauid ait:Iucundus vir, *Pſal.111.* qui miſeretur & cõmodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio. Et iterũ: Sparſit,dedit pauperibus,iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Vnde & ſanctus Iob, cuius exemplum ſequi nos conuenit,hæc ipſa Euan- †*ſeſe.* gelica præcepta implens † eſſe ita commemorat, dicendo:Quod ſi miſſum feci inopem,exire ianuam *Iob. 31.* meam nudo ſinu. Quod ſi cautionem cuiuſquam habui,& non diſrupi.Et ſi credidi, nihil accepi à debitore meo.Aut ſi mei cauſa vnquam terra gemuit, D aut ſulci eius plorauerunt ſimul, aut ſi fructus eius manducaui ſolus ſine precio, aut ſi animam Domini terræ decipiens contriſtaui. Quæ omnia Iob idcircò fideliter impleuit,quia mercedem ab eo exſpectabat,qui retributor eſt æternorum bonorum, cui laus & gloria in ſæcula,Amẽ. *Dehinc ſequitur:Audiſtis,quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum.Ego autem dico vobis:Diligite inimicos veſtros,benefacite iis qui vos oderunt, & orate pro calũniantibus & perſequentibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri iubet ſupra bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui vos diligũt,* E *quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutatis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti,ſicut & Pater veſter qui in cœlis eſt,perfectus eſt.* Per omnia vult nos Dominus in præceptis ſuis eſſe perfectos. Iamdudũ quidem in lege præceptũ eſt: Diliges amicos, & odies inimicos, ſed populo terreno, & carnali ſecundum tempus data iſta præcepta ſunt,ſicuti & illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente. *Exod.21* Nunc autem Euangelico populo traduntur præce- *Leuit.24* pta cœleſtis ac perfectæ iuſtitiæ, vt inimicos diliga- *Deut.19.* mus,odientes amemus,pro calumniantibus ac perſequentibus nos oremus, vt verè filij Dei eſſe me- F reamur, qui pro miſericordia ſua indiſcrete ſuper bonos ac malos, iuſtos atque iniuſtos, vitæ præſentis beneficia cœleſtia ac dona largitur. Ad huiuſmodi præcepta Euangelica cuſtodienda, etiam per *Iſa.56.* Eſaiam hortatur nos Spiritus ſanctus: Audite verbũ Domini,qui timetis nomen eius. Dicite,fratres noſtri eſtis,his qui vos oderunt, & abominantur. Nomen Domini magnificetur,& appareat illis in iucũditate eorum, & illi cõfundantur. Vnde non immeritò Dauid in Pſalmo ita teſtatur, dicens: Domine *Pſal 7.* Deus meus,ſi feci hæc,ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Beatus quoque Iob idipſum ita commemorat, di- *Iob.31.* cens: Quod ſi gauiſus ſum in delicto inimici mei,ſi dixi in corde meo,beneſactum eſt,audiat auris mea maledictionem.Hæc autem Euangelicæ gratiæ præcepta,quæ nunc ad ſalutem hominum data ſunt,inuenimus per mandata legis in animalibus formata cum dicitur:Si,inquit,videris boues inimici tibi ſub onere ruiſſe, non tranſies,ſed eleuabis cum eo. Vt iam nunc in lege Moyſis vnuſquiſque in animalibus *Exod.23* diſceret, quod quandoque ſecundum Euangelium facturus eſſet in homine. Et meritò ſequitur. *Si diligitis eos qui vos diligunt,quam mercedem habebitis? Nõne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutatis fratres veſtros tantum, quid amplius faciatis? Nõne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter, qui in cœlis* G *eſt,perfectus eſt.* Oſtẽdit Dominus meritum nos perfectæ dilectionis habere non poſſe,ſi eos tantum diligamus, à quibus vicem nobis rependi dilectionis mutuæ nouerimus, cum huiuſmodi dilectionem etiam gentibus ac peccatoribus ſciamus eſſe communem. Vnde vult nos Dominus communem legem dilectionis humanæ, lege dilectionis Euangelicæ ſuperare,vt non ſolum circa eos, qui nos diligunt,ſed etiam circa inimicos & obedientes amoris noſtri oſtendamus affectum,vt veræ pietatis ac bonitatis paternæ in hoc imitemur exemplum. Et addidit: *Attendite ne iuſtitiã veſtrã coram hominibus faciatis, alioquin mercedem non habebitis à Patre veſtro qui in cœlis* H *eſt.* Ab omni iactantia inanis gloriæ, atque humanæ cupiditatis vult nos eſſe Dominus alienos, vt opus iuſtitiæ noſtræ non hoc ſtudio faciamus, † quo hominibus placere velimus,ſed ſoli Deo, à quo exſpectamus meriti noſtri mercedem. Amittit enim meritum iuſtitiæ apud Deum, qui idcircò iuſtè vult viuere, vt gloriam humanæ laudis acquirat. Vnde Apoſtolus ait: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti *Gal.4.* ſeruus non eſſem. *Dehinc ait:Cum autem facis eleemoſynam,noli tuba canere ante te,ſicut hypocritæ faciunt, qui amãt ſtare in ſynagogis, & in plateis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam,neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſconſo, & Pater tuus qui videt in abſconſo, reddet tibi.* In omnibus nos Dominus ad perfectæ fidei gloriam doctrina cœleſti conformat. Superius docuit opus iuſtitiæ nõ propter homines, ſed propter Deum eſſe faciendum. Nunc quoque iubemur eleemoſynam facientes, tuba canere non debere, id eſt, non promulgare quod facimus, quia non eſt deuotæ mentis idcircò in Dei rebus aliquid operari, vt gloriam humanæ laudis expectet. Plerique enim ideò aliquid in vſus pauperum largiuntur, vt inanem laudem hominum, & famam ſæculi de facultate mercentur. Quos operis ſui mercedẽ in hoc ſæculo recepiſ-

se Dominus manifestat: quia dum hanc gloriam sæculi quærunt, mercedem futuræ promissionis amittunt, & ideò addidit Dominus: *Vt sit eleemosyna tua in abscondo, & Pater tuus qui videt in abscondo reddet tibi.* Volens opus misericordiæ non esse publicum, sed occultum, id est, vt non propter hominum laudem, sed propter Deum tantum operemur, à quo expectamus gloriam & futuræ benedictionis mercedem. Huius autem fidelis operis eleemosynam, sub religiosæ taciturnitatis silentio Salomon Ecclesiam col
Cant.4. laudans olim † protestatus est, dicens: Speciosæ sunt genæ tuæ, præter taciturnitatem tuam. Hanc scilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Sed non hic Dominus de humani corporis manibus loquitur, quibus nec videndi, nec loquendi vllus est sensus, sed in manu dextera vel sinistra, aut opus aut homines significatur. Denique scriptum legimus in libris regnorum, manu homines significari, cum dicitur. Nonne decem mihi manus sunt in Israël? Id est, decem tribus Israël. Vnde non dubium est in dextera manu iustos significari, in sinistra verò peccatores intelligi, secùndum quod Salomon retulit: Partes dexteriores nouit Dominus: Peruersæ autem sunt, quæ sunt à sinistris. Huius autem dexteræ ac sinistræ intelligẽtiam, Dominus in Euangelio apertissimè manifestat, cum iustos à dexteris, peccatores verò à sinistris collocandos esse declarat. Hæc ergo dextera iustorum si quid secundum præceptum Domini operatur, iubetur sinistra nescire, id est, vt quod religiosè ac fideliter operamur, in conspectu peccatorum & infidelium hominum non iactemus. Verum si quid non humanæ laudis studio, etiam coram religiosis fratribus fideliter faceremus, non potest opus deuotionis ac fidei à fratribus iactantia iudicari, ante Dominũ ac Saluatorem nostrum, qui est benedictus in sæcula, Amen. *Deinde ait: Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant stare in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum, & Pater tuus qui videt in abscondo reddet tibi.* Ad omnem nos iustitiæ cœlestis, ac fidei perfectionem Dominus † instruit. Vult enim nos sine hypocrisi, sine aliquo studio laudis humanæ omne opus diuinæ religionis
Meritum gratiæ. implere. Prohibemur namque hypocritarum more orationes nostras omnibus iactanter ostendere, ne meritum gratiæ amittamus. Dominus enim non simulatam ac iactantem, sed simplicem ac fidelem orationem requirit. Et ideò clauso ostio, id est, intra cordis ac conscientiæ ipsius secretum à Domino iubemur orare, vt ab eo qui secretorum & occultorũ est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedẽ. Religiosæ enim mentis est, Deum non clamore vel sono vocis, sed deuotione animi, ac fide cordis
Psal.4. orare, secundum quod Dauid in Psalmo testatur dicens: Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Inuenimus denique in li-
1.Reg.2. bris Regnorum, Annam illam sanctissimam huius Euangelicæ doctrinæ præcepta complentem. Nam cum sine aliquo vocis sono in cordis sui secreto, in conspectu Domini fideliter orans, desiderij sui preces effunderet, statim exaudiri à Domino meruit.
Dan.2. Sic & Daniel, cum tribus pueris occultè semper orantibus, interpretationes somnij & reuelationum secreta Dominus scire concessit. Cornelius quoque necdum præceptis Euangelicis eruditus, *Act.10.*
A dum in cubiculo suo secrete ac fideliter orat, meruit vocem Angeli sancti loquentis audire. Quid de Iona dicemus? Quj non modo cubiculo, sed vtero be- *Ion.3.*
luæ clausus, in tantum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tàm immanis beluæ incolumis ac viuus euaderet. Exauditus autem à Deo est, non quia voce sed quia fide clamabat. Et ideò clamor vocis non est opus in oratione ad Deum, quem scimus secreta cordis intueri, sed clamor fidei, ac religiosæ mentis † deuotio, Vnde non immeritò *†intentio.*
in sequentibus Dominus ait: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo similari eis. Scit enim Pa*
B *ter vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum.* Ethnici enim homines, putant multiloquentia verborũ facilius se à Domino impetrare posse quod postulãt, sed hoc à nobis Dominus non exspectat. Vult potius vt orationem nostram non verbositate sermonis, sed fide cordis ac iustitiæ meritis commendemus ei vtique, qui melius nouit omnia quæ nobis necessaria sunt: & vniuersa quæ postulaturi sumus antequàm loquamur agnoscit. Quantum denique distet inter multiloquacem, & humilem ac simplicem orationem, in Pharisæo illo & Publicano habemus exemplum. Nam Phatisæi iactantis se in multilo- *Luc.18.*
quentia verborum, reprobatur oratio: Publicanus
C verò humilis ac submissus, pro peccatis suis veniam *Eccl.35.*
postulans, iustificatior iactante se Pharisæo descendit. In quo completum inuenimus id quod scriptũ est: Oratio humilis nubes penetrauit, peruenit ad Deum: qui orantis precem audire consueuit, qui est benedictus in sæcula, Amen. *Deinde ait: Sic ergo orabitis.* Dominus noster, qui orantes se exaudire consueuit, quibus verbis orare debeamus ostendit. O quàm fidelis hæc & beata nobis oratio est, cuius ordinẽ nobis doctor vitæ, ac magister cœlestis instituit. Quàm beati etiam nos esse possumus, si hæc orationis Dominicæ verba non tantum officio oris, sed fidelissimo conuersationis actu seruemus! Hanc itaque for-
D mam Dominus discipulis suis, ad spem salutis humanæ, orandi cõstituit dicendo: *Pater noster qui in cœlis es.* Quanta Domini circa nos dilectio. Quanta misericordia eius & pietas, quę nobis tantæ gratiæ mu- *Deum Patrem nostrum vocare admonemur.*
nus indulsit, vt licenter Dominum ac Deum nostrum serui Patrem dicere audeamus. Quo vocabulo, non iam tantum seruos, sed etiam filios nos Dei esse demonstrat. Et cum ad gratiam satis supérque sufficeret, vt vel serui dici tantummodo mereremur, in tantum charitas Dei exabundauit, vt non solum serui, sed & filij Dei per adoptionem vocemur. Cuius nominis gratiam per fidem credentibus Christo donatam in Euangelio Ioannes
E ostendit, dicendo: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui cre- *Io.1.*
dunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Vnde & Apostolus ait: Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater: Quia igitur tanti muneris gratiam consecuti sumus, vt *Rom.8.*
non solum serui, sed & filij efficeremur, quasi filij Dei agere & conuersari debemus, vt id nos esse quod dicimur spiritali actu probemus, secundum quod Ioannes in Epistola sua ait: Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia natiuitas Dei custo- *1.Io.3.*
dit

dit illum, & Diabolus non tangit illum. Qui autem
Isa.63. peccatum facit, non ex Deo, sed à Diabolo est, quia
A Diabolus ab initio peccat. Et idcirco sacramentum cœlestis natiuitatis nostræ custodientes, ab omni peccato alieni esse debemus, vt verè filij Dei dici vel esse mereamur. Sciunt & sancti Prophetæ huius diuinæ misericordiæ gratiam, in qua nobis Deum, Patrem nuncupare permissum est, dicente Esaia: Tu es enim Pater noster, quia Abraham non cognouit nos, & Israel non cognouit nos. Sed tu Domine Pater noster, ab initio nomen tuum super nos est. Similiter & Hieremias in libro suo testatur, dicens. Vnus est enim Pater omnium nostrũm. Quanta Domini misericordia. Qui iamdudum nobis patrem Diabolũ voluntate propria adsciueramus, nunc renati per a-
B quam & spiritum sanctum, Patrem Deum habere iam cœpimus. Ipse enim Deus Pater vnus est nobis, qui regenerat Spiritu suo, quos facit ad æternam hæreditatem filios. Et ideò quasi filij Dei ambulare debemus, ne aliter agentes quàm filios Dei conuenit, rei sub vsurpatione tanti nominis teneamur. Ait ergo. *Pater noster qui in cœlis es: sanctificetur nomen tuũ.* Non quòd ab aliquo nomen Dei sanctificari possit, cum
Leuit.19 & 20. omnes ipse sanctificet, qui ait per Prophetam: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum, dicit Dominus. Sed idcirco nomen ipsius sanctificari postulamus, vt in nobis sanctificetur per opera iustitiæ, per fidei meritum, per gratiam Spiritus sancti: Quam sanctificationem, vt per huiusmodi dona accipere possimus, misericordiæ ipsius auxilium necessarium est.
Veniat. Verum non eget aliqua sanctificatione, ille qui fons est sanctitatis æternæ. Deinde ait: *Adueniat regnum tuum.* Similiter & hic non Deo optamus vt regnet, qui rex est æternorum sæculorum, cuius regnum nec initium habet, nec finem, sed vt illud regnum, id est, cœleste quod nobis promisit, adueniat. Sed magnæ fiduciæ & syncerę conscientiæ est, hoc Domini re-
adueniat. gnum, vt adueniat, confidenter optare. Et idcircò, quia vt regnum Dei veniat semper oramus, tales nos in fide Domini & in mandatis eius exhibere debemus, vt futuro regno digni esse possimus.

Dehinc ait: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Par quoque & hic intellgentiæ ratio est. Non enim quisquam est, qui obsistere & contradicere Deo possit, ne quod velit faciat, cum voluntate eius & in cœlo & in terra cuncta consistant, sed vt in nobis voluntas eius fiat oramus. Voluntas autem Dei est,
1.Thes.4 Io.5. vt toto corde ei credentes, hæc quæ fieri præcipit, impleamus. De qua voluntate Dei Apostolus testatur, dicens: Voluntas Dei est sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à carnalibus concupiscentiis. De quo & Dominus in Euangelio locutus est dicens: Hæc autem voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis
E qui videt filium & credit in eo, habet vitam æternã. Cum ergo dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, hoc oramus, id est, vt sicuti Dei voluntas ab Angelis fideliter custoditur in cœlis, ita quoque à nobis religiosa ac fideli deuotione diuinę dignationis auxilium postulandum est. Vel certè: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: vt sicut in cœlo, id est, in sanctis ac cœlestibus hominibus Dei voluntas impleatur: ita quoque in terra, id est, in his qui nec dum crediderunt, per credulitatem fidei, & veritatis cognitionem,, vt Dei fiat voluntas, oramus.

Dehinc ait: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Duplici modo hoc Domini dictum intelligimus. Primum, vt non aliud quàm quotidianum victum
A postulemus. Non enim iubemur diuitias petere, aut affluentiam sæcularium rerum, sed panem quotidianum, quod Christianis fide viuentibus, ad præsentẽ *1.Tim.6.*
vitam solummodo necessarium est, dicente Apostolo: Habentes victum & tegumentum, his contenti sumus. Idipsum quoque & Salomon cuidenter ostẽdit: Vsus, inquit, hominis, panis, aqua & vestimentũ. Sedcum dicimus hodie, docemur de præsenti tantũ die, non de omni vitę tempore cogitare, ne mens nostra sæculari solicitudine occupetur, secundum quod ipse Dominus alio loco apertè demonstrat, dicendo: Nolite cogitare de crastino, crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Hoc autem spiritaliter no
B bis præceptum esse debemus aduertere, vt panem quotidianum petamus, id est, panem illum cœlestẽ & spiritalem, quem quotidie ad medelam animæ, & spem æternæ salutis accipimus, de quo ait Dominus in Euangelio: Panis cœlestis caro mea est, quam *Io.6.*
ego dabo pro mundi huius vita. Et hunc ergo panẽ *1.Cor.11*
quotidie postulare iubemur, id est, vt præstante Domini misericordia, quotidie panem corporis accipere Domini mereamur. Ait enim sanctus Apostolus: Probet se homo & sic de pane Domini manducet, & de calice bibat. Et iterum: Qui manducat panem Domini indignus, & calicẽ bibit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Vnde nõ immeritò semper ora
C re debemus, vt hunc panem cœlestem quotidie mereamur accipere, ne aliquo interueniente peccato à corpore Domini separemur. *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Iusta pla- *dimitte Remittimus.*
nè ac necessaria omnibus hæc vox est. Primum, vt peccatores nos esse cõfiteamur, dehinc, vt sic à Deo nobis oremus dimitti peccata, quẽadmodũ peccantibus in nobis ipsis dimittimus. Quod si minimè faciamus, ipsi nos apud Deum reos verbis nostris efficimus, dicente Scriptura. Laqueus fortis est viro, propria labia. Vnde non immeritò & Salomon dominicæ huius orationis formam per spiritum sanctum non ignorans, antè prẽmonuit dicendo: Non men-
D tieris verbum in tua oratione. Quis enim audeat, aut quomodo potest Deo in oratione mentiri? Nisi forte is, qui secundum dominicam orationem à Deo peccatorum veniam postulans, ipse in se peccantib⁹ non dimittit, non retinens dictum diuinum: Homo homini reseruas iram, & à Deo quæris propitiationem? Et ipse in hominem similem tibi non habes misericordiam, & Deum pro peccatis exoras? Hoc autem alio in loco ipse Dominus apertissimè manifestat, proferens seruj illius debitoris exemplum, cui plurimum debenti, rogatus dominus debitum omne concesserat, qui cum post indultum debitum cõseruo suo debẽti sibi nollet ipse dimittere in carcerẽ
E traditus, & damnatus in pœnã est. *Debinc ait: Et ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* Tentationis *Tentationis ratio duplex.*
huius duplex ratio, & causa diuersa est, quia aliis per peccatum tentatio infertur ad emendationem, aliis ad fidei probationẽ, aliis infertur ad gloriã, secundũ quod beatus Iacobus in Epistola sua testatus est dicens: Beatus qui subsstinuerit tentationem, quoniam *Iacob.1. Psal.26.*
beatus factus accipiet coronam vitæ, quam promittit deus iis qui eum diligunt. Non enim sic oramus vt tentationem quam scimus esse vtilem penitus recusemus, dicente sancto Dauid: Proba me domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum. Cum etiam sanctum Abraham sciamus per tentationem

perfectę fidei gloriam cõſecutum, beatum quoque *1.Cor.12.* Apoſtolum ad profectum fidei ſuæ traditum tentationibus legerimus. qui cum repelli à ſe tentationis autorem à Domino poſtularet, reſponſum eſt illi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Non ergo ne in toto tentemur oramus, ſed ne ſuprà quàm virtus fidei patitur tentationi tradamur. Quod ipſum in alio libro Euangelij euidenter oſtenſum eſt, ſic enim ſcriptum eſt: Et ne nos inferas in tentationem, quam ſufferre non poſſumus. *Prouentũ* Apoſtolus quoque vt idipſum oſtenderet, ita teſtatus eſt dicendo: Fidelis autem Deus, qui non patitur tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam tranſgreſſum, vt poſſitis tolerare. Et ideò non illam tentationem à nobis auferri, quæ eſſe poteſt vtilis deprecamur: ſed illam, quæ ad fidei noſtræ euerſionem modum infirmitatis excedit. Et idcircò congruę, neceſſarie in fine orationis, etiam *Congruè ac neceſſariè.* liberari nos poſtulamus à malo, qui fidem noſtram diuerſis tentationibus quotidie expugnare non deſinit, à qua nos non immeritò quotidiana oratione *oppugnare* deprecamur, ne immiſſionibus ipſius impediti, pręcepta diuina minimè poſſim⁹ implere. *quo* Vniuerſa igitur quæ fidei ac ſaluti noſtræ ſunt neceſſaria in hac breuitate orationis dominicæ continentur, dum profeſſionem nominis paterni confitemur, dum ſignificationem ineſſe in nobis ipſius nominis poſtulamus, *venire* dum aduenire regnum Dei petimus, dum voluntatem ei⁹ in nobis fieri deprecamur, dum panem vel terrenum vel cœleſtem, ad ſpem ſalutis noſtrę quotidie exoramus, dum peccatorum veniam imploramus, dum grauem tentationem auferri à nobis oramus, poſtremò dum à malo nos liberari, qui eſt autor omnis peccati, indeſinenter à Domino poſtulamus. Quod ipſum futurum olim per Eſaiam ſpiritus ſanctus prænunciauerat dicendo. Quoniam verbũ breuiatum faciet Dominus per vniuerſum orbem terræ. *Rom.9.* Vnde non immeritò ſequitur. *Si dimiſeritis omnibus peccata eorum, remittet vobis Pater veſter qui eſt in cœlis delicta veſtra. Si autem non remiſeritis hominibus, nec Pater veſter remittet vobis peccata veſtra.* In hoc quod *Remitte.* oramus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſequitur Domini iuſta ſententia, qua ait: Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter remittet vobis, qui eſt in cœlis. Et idcircò vt de remittendis nobis peccatis Dominum confidenter orare poſſimus, ipſi prius in nobis peccantibus remittamus. Vnde & Salomon ait: Remitte proximo tuo peccata, & tunc tibi peccata ſoluentur. Quod ſi infideli animo ac perdurata mente, delinquentium in nos peccata teneamus, nos quoque peccatorum veniam accipere non mereri apertè Dominus manifeſtat, cui eſt honor, laus & gloria, vnà cum ſpiritu ſancto ante omnia ſæcula, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde ait: Cum ieiunatis, inquit, nolite fieri ſicut Hypocrytæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuã. Vos autem cum ieiunatis, vngite caput veſtrum, & faciem veſtram lauate, ne pareatis hominibus ieiunantes, ſed Patri veſtro qui eſt in abſconſo, & Pater veſter qui eſt in abſconſo, reddet vobis. *Meritum perfectæ fidei.* Sicuti in ſuperioribus præceptis, ita quoque circa ieiunij obſeruationem, ad perfectæ nos fidei meritum Dominus doctrinę ſuę mandatis inſtituit, vt non propter humanam gloriam, ſicut hypocrytę faciunt, ſed propter futuram ſpem ſoli Domino ieiunemus, à quo exſpectamus humiliatis huius deuotę mercedem. Verùm qui ita ieiunant, vt magis hominibus quàm Deo placeant, habent quidem laborem de corporis afflictione, ſed per inanem gloriam mercedem laboris apud Deum habere nõ poſſunt, quia cum ſolummodo, id eſt, cauſa religionis ac fidei agere debeant, humanæ potius laudis gloriam quærere malunt, & ideò ait Dominus: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Et vnum quidem propoſitum videtur eſſe ieiunij, tàm eius qui Deo tantum deuota mente ieiunat, quàm etiam illius qui ieiunans hominibus placere deſiderat, ſed diſtás gratia ieiunãtum. Quia quamuis vtriuſque ſimile propoſitum videatur, atque ieiunij labor, non tamen idem fructus eſt, nec eadem retributio meritorum. Longe enim differt ille, qui propter Deum ieiunat, ab eo qui propter homines ieiunare proponit, quia huic pro mercede laboris compenſatio fit laudis humanæ, illi pro deuotione humilitatis meritum gloriæ in futuro ſeruatur. Sic quoque & orantium habitus, ſecundum propoſitum quidem non differre videtur, ſed ſecundum animi fidem, & mentis affectum magna diſtantia meritorum eſt. Aliud eſt ẽm, vt ſuperius dictum eſt, ſub exſpectatione humanæ laudis orare, aliud ad hoc tantum orare, vt orationis ſuæ à Deo retributore exſpectet mercedem. Similis cauſa eſt, & circa omnem obſeruantiam diuinæ religionis. Vnde non immeritò Dominus, omne ſtudiũ laudis, atque humanæ iactantię, volens à nobis abeſſe, docet nos quemadmodum ipſi religioſo animo ac deuota mente placeamus dicendo: Vos autem cũ ieiunatis, vngite caput veſtrum, & faciem veſtram lauate, ne pareatis hominibus ieiunantes, ſed Patri veſtro qui eſt in abſconſo, vt ſi fieri poteſt, opus ieiunij, & ipſius corporis atque animę afflictionem, vultus hilaritate velemus. Cuius rei exempla, etiam ſecundum hiſtoriam in ſanctis pręterito tempore legimus pręoſtenſa. Nam ſanctiſſima Iudith, cum magno mœrore pro populo eſſet afflicta, poſt ſolennitatem triduani ieiunij, capite vncto & lota facie, ita in ęternę afflictionis triſtitiam texit, vt ſimulato gaudio lętari hoſtibus videretur: ac ſic Deum per lętitiam vultus ieiunium texit, ab hoſte triumphum victorię reportauit. Similiter Heſter ſanctiſſima, dum lota facie, & capite vncto, poſt triduanum ieiunium *Heſter* intelligi à rege non potuit: Aman illum populi ſui inimicum nequiſſimum interemit. Quid de Daniele ac tribus pueris dicemus? *Dan.2.* Qui in tanta abſtinentia, inter tot adoleſcentes qui cibis regalibus paſcebantur, ſoli vultu cęteris gratiores inuenti ſunt. Sed quia id ſecundum literam diximus, quid etiam ſecũdum ſpiritualem intelligentiam ſentiendum ſit debemus aduertere. In vnctione capitis miſericordiam ſignificari cognoſcimus. Vnde vngere caput proximo, eſt miſericordiam facere, quę miſericordia in pauperem facta, refertur ad Dominum, qui caput viri ſecundum Apoſtolum intelligitur, ipſo Domino dicente: Quamdiu vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. In cuius miſericordię vice, diuina retributione velut quodam oleo cœleſti perfundimur ab eo qui ait: Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus. Nouit hanc cœleſtis olei in capite vnctionem *Matt.25.* etiam ſanctus Dauid, cum dicit: *Pſal.132* Sicut vnguentum in capite, quod deſcẽdit in barbam. In facie verò lauanda, emundatio corporis, ac ſyncerę conſcientię puritas ſignificata cognoſcitur. Vnde lauare faciem,

hoc eſt, ab omni ſorde peccatorum, & ſqualore delicti & faciem cordis noſtri, & ipſam conſcientiam mundam referre, vt verè lętitiam cœleſtis gaudij, & hilaritatem ſancti Spiritus in nobis habere poſſimus. Ac ſic fit, vt dum ſub hac fidei deuotione Deo potius quàm hominibus ieiunamus, à Deo, qui occultorum eſt cognitor, accipiamus retributionis mercedem. Hoc enim ait Dominus: Ne pareatis hominibus ieiunãtes, ſed Patri veſtro, qui eſt in abſconſo, & Pater veſter qui eſt in abſconſo, reddet vobis. Si ergo vis caput ſemper vnctum gerere, & mundam faciem cordis habere, iuxta Domini dictum, inſiſte fideliter operibus miſericordiæ, inſiſte deuotioni ieiunij, vt placere Domino merearis, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. *Operibus bonis inſiſtendum. Deuotè ieiuniis.*

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea exterminant, & vbi fures effodiunt, & inuolant. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea exterminant, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim erit theſaurus tuus, illic erit & cor tuum. Prohibet nos Dominus in terra theſaurizate, vbi omnia infirma ſunt & caduca. Contrarium eſt enim fidei ac ſaluti, hos terrenos theſauros expetere, diuitias ſæculi quęrere, facultates mundi ſectari, quas poſſunt & tineæ corrumpere, & ęrugo abſumere, & fures rapere. Quia quicunque magis in terra theſaurizare voluerint, quàm in cœlo, theſauros illos ęternæ & cœleſtis vitæ habere non poſſunt, *Matt.19.* dicente ipſo Domino. *1.Tim.6.* quoniam diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Similiter & Apoſtolus: Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & muſcipulam diaboli. *Luc.12.* Recordemur illius diuitis, *Pſal.38.* qui omnem gloriam ſuam in ſæculi theſauris, atque in redituum ſuorum vbertate conſtituit. Qui cum propter affluentiam frugum, de ampliandis horreis cogitaret, atque animæ ſuæ delitias opum, & ſecuritatem longę vitæ promitteret, non dicam ſubripiente fure hæc quę congregauerat perdidit, ſed ipſam animam ſub eadem nocte, cui theſaurizabat, amiſit. Vnde nõ immeritò Dauid ipſe teſtatus eſt, dicens: Theſaurizat & ignorat cui congregabit ea. Cogitemus & illum adoleſcentem, qui cum propè omnia pręcepta legis impleſſet, quia theſauros magis terrenos habuit quã cœleſtes, vitæ æternæ theſauros obtinere nõ potuit. *Pſal.61.* Et idcirco bene Dauid ait: Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere, diuitię ſi affluant, nolite cor apponere. Quapropter vult nos Dominus theſauros noſtros non in terra, vbi perire poſſunt, ſed in cœlo recondere, vbi nulla aduerſa dominantur, vbi fures non effodiunt, id eſt, Diabolus & Angeli eius, nec ærugo exterminant, id eſt, peccata dominantur. Quemadmodum autem hunc theſaurum in cœlo reponere debeamus, ipſe Dominus in Euangelio manifeſtat, dicendo ad illum adoleſcentem: *Matt.19.* Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus & habebis theſaurum in cœlo. Huiuſmodi ergo theſauros, qui ęterni ſunt & incorrupti, qui perire non poſſunt, per opera iuſtitiæ, per pietatis ac miſericordiæ merita iubemur in cœlo recondere. In cœlo ẽm reconditur, quicquid ſecundum fidem Scripturæ in *Prou.19.* vſum pauperum fideliter erogatur, dicente Scriptura: qui dat pauperi, Deo fœnerat. Vnde & ſub Apoſtolis credentes memores, huius dominici pręcepti, theſaurizaſſe ſibi inuenimus in cœlo, quia venditis vniuerſis rebus ſuis terrenos theſauros ad regna cœleſtia tranſtulerunt. Et ideo addidit Dominus, dicens: *Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Quia ſi in cœlo ſemper bonis operibus theſaurizemus, vbi omnis ſpes & ſalus eſt noſtra, vbi nobis vita ęterna repoſita eſt, in terra licet poſiti, cor tamen in cœlo ſemper habemus. Verum non poteſt cor in cœlis habere, qui cupiditate ſęculi captus, theſaurizare ſibi magis in terra maluerit. Meritò & ſanctus Apoſtolus etiam diuites ſęculi, *1.Tim.6.* quemadmodum hunc theſaurum cœleſtem conſequi poſſint, hortatur, dicens: Diuitibus huius ſęculi pręcipe, non ſuperbè ſapere, neque ponere in incertum diuitiarum ſpem ſuam, ſed in Deum viuum, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum. Bene faciant, diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi in futurum vt apprehendant veram vitam, ab eo qui autor eſt vitę, & immortalitatis ęternę, cui eſt laus & gloria in ſęcula ſęculorum, Amẽ. Deinde ait: *Lucerna, inquit, corporis tui eſt oculus tuus. Si ocul⁹ tu⁹ ſimplex eſt, totum corpus tuũ lucidũ eſt. Si autẽ oculus tuus nequã eſt, totũ corpus* *erit.* *tuum tenebroſum eſt. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, tenebrę ipſæ quantæ ſunt.* Lucerna corporis ſenſus mentis & fides cordis intelligitur. Quę ſi in nobis pura & lucida fuerit, ſine dubio omne corpus noſtrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur, quia ſicut lucerna incedentiũ in *Lucernæ comparatur fides.* nocte greſſus illuminat, ne aut in foueas, aut in offẽdicula quęque ambulantes incurrant, ita in hac ſęculi nocte, ſplendor fidei omnes vitę noſtrę greſſus, pręeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foueas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus. Hoc eſt ergo quod ait Dominus: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum eſt. Oſtendens, quia ſi hęc fides noſtra, quę lucerna corporis, vel oculus ſignificatur, in nobis aut peccatorum tenebris aut perfidię obſcuritate cæcetur, ſine dubio, omne corpus noſtrum obſcurum tenebroſumque redditur. Quod ipſum S. Ioannes oſtendit, dicens: Deus lux eſt. *1.Io.1.* Et qui charũ habet fratrẽ ſuũ, in lumine manet, ipſe eſt in lumine. qui autẽ odit fratrẽ ſuũ, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit vbi ambulat, quia tenebrę occęcauerũt oculos eius. Et ſi hoc de eo qui fratrem ſuum odit, ſecundum dictũ Ioannis intelligitur, in quibus tenebris hęreticus demoretur, qui amiſſo lumine catholicę veritatis, perfidus ac blaſphemus exiſtit, debemus aduertere.

Et ideo ait Dominus: Si lumen, inquit, quod in te eſt, tenebræ ſunt, tenebrę ipſæ quantæ ſunt? In eo ſcilicet, qui veritatem in mendacium, & fidem in perfidiam demutauerit. Alio autem ſenſu, oculum corporis, quod eſt membris omnibus pulchrius ac precioſius, Epiſcopum aduertimus ſignificatum, qui clara fidei ſuę ac doctrinę prędicatione, velut oculus quidam, Eccleſię corpus illuminat. qui ſi per ſimplicem fidem ac ſanctam conuerſationem, Catholicus & fidelis doctor extiterit, poteſt populus cui pręeſt, doctrinę ac formę ipſius exemplo in lumine ſemper veritatis manere. Verum ſi is qui lumen cęteris prębere videtur, per prauam fidem, aut per turpem conuerſationem nequam & perfidus doctor extiterit, ſine dubio, vitę ac perfidię ſuę exemplo totum corpus poteſt tenebroſum efficere. Vnde non immeritò de tali oculo Dominus dicit: Si lumen quod in te eſt, tenebrę ſunt, tenebrę ipſę quantę ſunt? Hoc eſt, ſi hu-

iusmodi doctor,qui lumen fidei ex se prębere cęteris debet,per hęresim occæcatus tenebrosus extiterit,quantę in populo illo possint esse tenebrę peccatorum,debemus aduertere.Et addidit:*Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum amabit,aut vnum patietur,& alterum contemnet: Non potestis Deo seruire & mammonæ.*Non posse vnumquemque nostrum duobus dominis seruire,id est, Deo & diabolo,Dominus manifestè declarat.Et Deus quidem quamuis Dominus omnium sit,quia omnia ab ipso creata sunt,& in omnibus ipse dominetur, potestate,virtute,natura,horum tamen præcipuè Dominus esse dignatur,qui Dominum ac Deum suum conditorem vniuersitatis cognoscentes, præcepta eius fideli seruitute custodiunt. Diabolus verò horum tamen Dominus intelligitur, quos à vero Domino ac parente seducens per peccatum, nequissimę suæ subiugat seruituti,& quibus per iniquitatis suæ operam, illicito iure dominatur. Hac ergo de causa & ipse suo loco Dominus appellatur,quia huiuscemodi stultis hominibus per peccatum domina
Io.8. tur.Et idcirco scriptum est:Qui facit peccatum,seruus est peccati.Sed quia iam perDei misericordiam visitati, liberati de diaboli dominatione, verum Dominum recognouimus,à quo creati & redempti sumus,priori domino,id est,diabolo, qui nobis more tyrannico dominabatur,seruire prohibemur,vel potius auaritiæ & cupiditati,quam mammonam nuncupat,quę interdum etiam religiosas mentes captiuare consueuit.Vnde fugere ac vitare debemus cupiditatem pecunię,auaritiam sęculi, ne nos indignæ seruituti eius,vel diabolo,qui autor est auaritiæ subiugemus.Et hoc est quod ait Dominus: Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum amabit, aut vnum patietur & alterum contemnet.Quia quicunque ex toto corde Dominum ac Deum suum diligit, necesse est diabolum cũ suis actibus oderit,quia in dilectione manifestum est diabolum semper in execrationem haberi. Verũ qui per iniqua opera peccatorum, mammonam vel diabolum diligit,faciendo ipsius voluntatem,Deum amare nõ potest,cuius præcepta contemnit.Et ideò qui deum diligit, seruus diaboli non potest nuncupari,cui iam ipse per fidem cœlestis gratiæ dominatur.Similiter & qui peccatis deseruiens,dominationi se diabolicę subdit, huiusmodi Deum habere Dominum non meretur.Et ideò ait Dominus:Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ostendens nos nõ posse & Deo seruire & diabolo, id est, Deo misericordiæ autori,& diabolo,mammonæ &auaritiæ do
2.Cor. 6. minatori. Hoc & Apostolus ostendit, cum, dicit: Quę societas lucis ad tenebras? Mammona,id est, Diabolus qui autor est mammonæ.Ille nos ad misericordiam prouocat,hic ad auaritiam.Ille ad vitam, hic ad mortem.Ille ad salurem,hic ad perditionem. Cui de duobus obtemperare debemus?Eivtique qui nos ad vitam inuitat, non ei qui nos tradit ad mortem. *Hunc tractatui finis deesse videtur. Quod verò sequitur,fragmentum est tractatus alterius, eiusdem Chromatij,*
Matth. 3. *qui nondum totus in lucem prodiit.* Quapropter respondens Dominus Iesus dixit ei: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Iesus igitur ad consummanda legis omnia sacramenta, vt baptizaretur à Ioanne,à Galilæa in Iordanem descendit. Sed Ioannes Deum suum per Spiritum sanctum recognoscens,cuius ne calceamenta quidem dignum se fuisse portare professus,implere quod iubebatur, excusat,quia non credebat ei baptismum necessariũ esse,quem sciret ad hoc venisse,vt baptismo suo mũdi peccata deleret, & idcirco baptizari se ab eo potius oportere testatur dicendo:Ego à te debeo baptizari,& tu venis ad me? Tanquam si diceret:Ego homo sum,tu Deus:Ego peccator,quia homo, tu sine peccato,quia Deus.quid vis à me baptizari?Non recuso obsequium,sed ignoro mysterium. Ego peccatores baptizo in pœnitentiam,Tu quid vis baptizari,qui non habes causam peccati?Immo potius quid vis baptizari vt peccator, qui venisti peccata tollere?Quid est ergo quod ait Ioannes: A te debeo ego baptizari,& tu venis ad me? quidam famuli sui fidele seruitutis,sed dispensationis suę mysterium dicendo:Sine modo,sic. n.oportet nos implere omnem iustitiam,ostendens hoc esse omnem iustitiam,vt ipse Dominus & magister in salutis nostræ sacramentum compleret.Non ergo sui causa baptizari Dominus venit,sed causa nostri,vt impleret omnem iustitiam.Iustum est.n.vt quod quis docet alterum facere,prior incipiat. Quia igitur magister & dominus humani generis venerat,exemplo suo docere voluit quid esset faciendum,vt discipuli magistrum, serui Dominum, sequerentur. Quia ergo nouum baptismum daturus erat, ad generis humani salutem, & remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est,non vt peccata deponeret,qui peccatum solus non fecerat: sed vt aquas baptismi sanctificaret ad diluenda peccata credentium.Nunquam. n.aquę baptismi purgare peccata credentium potuisset,nisi tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent. Ille ergo baptizatus est,vt nos lauaremur à peccatis.Ille tinctus est in aqua, vt nos à delictorum sordibus purgaremur.Ille lauacrum regenerationis accepit,vt nos ex aqua&Spiritu sancto renasceremur, *Io.3.*
sicut ipse alio in loco ait:Nisi quis renatus fuerit ex *Gal.3.*
aqua & spiritu sancto,non intrabit in regnum cœlorum .Baptismum ergo Christi, ablutio est delictorũ nostrorum,& renouatio est vitæ salutaris. Audi hoc ipsum Apostolum demonstrantem,cum dicit:Quot quot enim in christo baptizati estis,Christum induistis. Et addidit:Consepulti ergo illi estis per baptismum in mortem vt quemadmodum Christus surrexit à mortuis,sic & vos in nouitate vitę ambuletis. Per baptismum itaque peccato morimur, sed Christo conuiuimus,vitę pristinę sepelimur,sed nouę vitę resurgimus,veteris hominis errore exuimur, sed noui hominis indumenta suscipimus. Impleuit ergo Dominus etiam in baptismo omnem iustitiam, quia ad hoc baptizari voluit,vt baptizaremur, ad hoc lauacrũ regenerationis accepit, vt renasceremur in vita.Et baptizauit quidem Ioannes Dominum,ac Saluatorem nostrum,sed potius ille baptizatus à Christo est,quia ille aquas sanctificauit,hic aquis sanctificatus est,ille gratiã donauit, hic accepit,hic peccata deposuit, ille remisit, quia hic homo,ille Deus.Dei est enim peccata remittere,vt scriptũ est:quis potest peccata dimittere,nisi solus Deus? Et ideo ait Ioannes ad Christum:Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?Ioannes enim baptismo egebat, quia sine peccato esse non poterat:Verum Christus baptismo egere non poterat,quia peccata nõ fecerat. vnde in baptismo illo dominus ac Saluator noster primum Ioannis, dehinc totius mundi peccata purgauit. Et ideò ait, Sine modo,sic enim oportet nos implere

Christus cur baptizatus.

omnem

omnem iustitiam. Cuius baptismi gratia dudum mystice pręostensa est,cum populus per fluuium Iordanis in terram promissionis inductus est. Sicut ergo tunc populo ad terram promissionis eundi per Iordanem via fuit Domino præcedente, ita nunc per easdem aquas fluuij Iordanis primum iter viæ cœlestis apertum est,per quod ad beatam illam terram promissionis,id.est, promissionem regni cœlestis deducimur.Illis Iesus Filius Naue in Iordane dux fuit; nobis verus Iesus ChristusDominus per baptismum dux extitit salutis æternæ,vnigenitus Dei Filius,qui est benedictus in sæcula sæculorum,Amen, Dehinc
Matth. 3. *Luc. 2.* *Mar. 1.* sequitur: *Et baptizatus Iesus;confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem quasi columbam;& ecce vox de cœlo dicens:Hic est filius meus dilectus in quo bene complacui.* Vt in Domini corporea natiuitate,ita quoque in baptismo eius omni admiratione digna,& maiestati eius congrua paruerunt.
Psal. 28. Cœli igitur,de aquis ascendent Domino, post baptismum paruerunt,sanctus Spiritus in habitu columbæ specie corporali descendit, testimonium Patris supra Filium deferẽs,vox etiam Patris statim de cœlis auditur,dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui.Cuius sacræ vocis auditum super aquas Dauid quoque ante prænunciauerat, dicendo: Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit.In hoc vtique, in quo vox paternæ maiestatis testimonium filio perhibens, quasi quoddam tonitru sonuit. Quis igitur hic contra fidem hæreticis locus est? quæ in hac patris professione blasphemandi occasio relicta est? cum etiam expressa proprietate verborum,sacramentum sit perfectæ Trinitatis ostensum. In mysterio enim baptismi & filius manens videtur in corpore, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit,& vox Patris de cœlis auditur,vt Trinitatis vnitas declaretur, quia nec Pater sine filio intelligi potest,nec filius sine Spiritu sancto cognosci. Vide igitur quale Patris de filio testimonium sit dicentis:Hic est filius meus. Suus vtique,nõ per adoptionem gratiæ,neque per religionem creaturæ,vt hæretici volunt, sed sui proprietate generis & veritate naturæ. Multi enim sanctorum filij Dei dicuntur,& sunt;sed hic sine compassione vnus Deo Patri filius vnigenitus,& verus,& proprius, non aliunde quam de Patre natus. Quia tàm verus Pater Pater est,& Deus est,sicuti etiam verus filius, filius est,quàm verus & Dominus est. Perfecta ergo fides est Trinitatis ostensa,cum & Pater Christum Dominum,ac Deum nostrum,filium suum esse testatur, & Spiritus sanctus,id est, Paracletus in tanto fidei sacramẽto Patri filioq; cõiungitur,vt Verũ patrẽ,verũ Filium, verum etiam Spiritum sanctum crederemus, tres personas,sed vnam diuinitatem Trinitatis, vnãque substantiam. Hæc transitoriè de Trinitatis mysterio dicta sunt. Verum quia omnia quæ pro nobis Dominus egit,in sacramentum salutis nostræ ostensa cognoscimus,in eo quod baptizato Domino cæli aperti sunt,Idem mõstratur,quia renatis in baptismo,cœlorum regna paterent,quæ nobis Filius Dei in corpore ad cœlum ascendens primus aperuit. Vnde & statim in eo quod sanctus Spiritus in specie columbæ descendit,& vox Patris de cœlis auditur, dicentis: Hic est Filius meus. In quo cœleste mysterium,& salutis nostræ ordo reuelatur, quia per salutare baptismum aquæ essemus & filij Dei futuri, & donis sancti Spiritus munerandi, per quem est Patri,& filio laus & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

D. ALCHIMI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI.

D. ALCHIMI AVITI VIENNEN. ARCHIEPISC. VITA EX GENNADIO, ADDONE, ET ALIIS.

Alchimo Auito pater fuit Isycius vir primum senatorij ordinis, deinde in Episcopum assumptus: Mater Audentia, quemadmodum ipse in libel. de consolatoria virginitatis laude ad sororem Fuscinam ostendit: frater Apollinaris Valentinen. Episcopus miraculis adhuc viuens celeberrimus. Auitus igitur à puero humanis literis apprimè & supra quàm illa ætas Vuandalorum & Gothorum incursionibus prope infecta ferre posset, institutus, quum illi amplissimum alioqui & locuples maneret patrimonium, valefacto mundo monasticen professus est in cœnobio Diuorum Petri & Pauli ad Vrbis Viennen. mœnia: Inde patri Isycio in Episcopatu succedens, totum se aduersum sui temporis hæreses contulit. Primum enim Gundebaldum Burgundionum regem in Arrianorum hæresim lapsum in Catholicæ Ecclesiæ consensionem restituit. Deinde eius hortatu aduers. Arrianam factionem quæ Aphricam omnem cum Sardinia, ac magnam partem Galliæ & Italiæ occupauerat, Dialogos aliquot, & aduersum Nestorianos, Eutychianos, Sabellianos libellos duos conscripsit. Et cum Faustus ex abbate Lyrienses monasterij apud Regiũ Gallię Episcopus factus, in Pelagij errorem (vt Ado Viennen. refert) lapsus esset, asserens liberi arbitrij illuminationem, virtutem, non à Christo sed natura esse, aduersus hunc errorem librum edidit. Epist. lib. 9. scripsit, ad imperatores, reges, populos, & diuersas personas. Libellum quoque de subitanea pœnitentia, Homil. libros plures & poemata variaę quibus sequentia tantum superant opuscula. Nec dubito reliqua ab Arrianis aliisque hæreticis aduersum quos scripserat, asportata esse, quorum insaniam & furorem sæpè expertus est, plerumque illorum insidiis ad mortẽ vsque & exilium periclitatus. Nam id ætatis imperatorum, regum, principumque animos ferè occupauerant hæretici. Valebat autẽ Auitus, & scribendi & extemporanea dicendi declamandique facultate egregiè, ferunt nonnulli extare longè plures tanti viri lucubrationes apud Pictauos & Tauuenses, quos obsecro vos lectores optimi, si quando in manus vestras venerint, tanto fructu publicam vtilitatem ne frustremini. Quantæ verò & pietatis & eruditionis fuerit, Alchimus, abundè testatur vetustum & elegans in eius commendationem epitaphium, quod idcirco adiungi curauimus.

EPITAPHIVM DIVI ALCHIMI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI.

QVisquis mœstificum tumuli dum cernis honorem
Cespite concludi, totum deflebis Auitum,
Exue sollicitas tristi de pectore curas.
Nam quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet: quin prospice sancti
Gesta viri: primum florescens indole quanta
Spreuerit antiquos dimisso stemmate fasces,
Maturum ueneris animum dum præstat in annis:
Et licitum mundi uoti uirtute relegat.
Nec mora: pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat vt solita fœlicia cœpta laboris:
Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris
Erigitur, seque ipse aliis plus æstimat: immò
Subiicitur magnus, seruat mediocria summus,
Distribuit parcus, pascit ieiunus, amando
Terret, & austeris indulgentissima miscet.
A *Cunctantes suasu iunxit, solamine mœstos,*
Iurgia dissoluit, certantes fœdere iunxit.
Dissona veridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritisque subegit.
Vnus in arce fuit quo quolibet ordine fandi,
Orator nullus similis, nullusque Poeta,
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, viuit per quæ omnia secula viuet.
Claruit Zenone & Anastasio imperatoribus, anno domini
quingentesimo, sepultus in monasterio Diuorum Petri &
Pauli apud senatoriam Viennensium vrbem.

DIVI ALCHIMI AVITI, VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI,

LIBER PRIMVS DE INITIO MVNDI, ET PRIMORVM parentum creatione.

CAPVT PRIMVM.

Originalis peccati effectus.

VOd varij eueniunt humana in gente labores,
Vnde breuem capiunt mortalia tempora vitam:
Vel quod polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena, premunt priscorum facta parentum:
Addatur quanquam nostra de parte reatus,
Quodquectiam amisso dudum peccatur honore,
Adscribam tibi prime pater: qui semine mortis
Tollis succiduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persoluerit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago:
Peccatum originale. Attamen auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbosque suis, ac funera misit,
Terræ & aquarum diuisio. Viuit peccati moribunda in carne cicatrix.
Iam pater omnipotens librantis pondere verbi
Vndique collectis discreuerat arida lymphis,
Gen. 2. Littoribus pontum, constringens, flumina ripis,
Solis & Lunæ creatio. Et proprias monstrans educto lumine formas,
Cedebat iam obscura dies: varióque colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum:
Gen. 1. Temporibus sortita vices: tum lumina cœlo
Omnium germinantium creatio. Fulsere, alterno solis lunæque meatu.
Quin & sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras.
Actutum suaui producens omnia fœtu,
Gen. 1. Pulchra repentino vestita est gramine tellus.
Ipse dixit & facta sunt, man dauit & creata sut. Accepere genus sine germine iussa creari:
Et semen voluisse fuit. Sic vbere verbi
Frondescunt syluæ: teneris radicibus arbor
Durauit vastos paruo sub tempore ramos.

CAPVT II.

Psal. 148 Brutorũ creatio. PRotinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, & vacuum discurrunt bruta per orbẽ. D
Gen. 1. Elatę in cœlum volucres, motuque citato
Pendentes secuere vias, & in aere sudo
Auium creatio. Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Gen. 1. Post etiam claudi vasto sub gurgite pisces
Piscium creatio. Respirãt lymphis, flatuque sub æquore ducunt:
Gen. 1. Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.
Nec minus in pelago viuiscunt grandia cete:
Accipiuntque cauis habitacula digna latebris.
Et quę monstra solet rarus producere pontus
Aptat ad informes condens solertia formas.
Quodque hominum falso credit mens nescia fœdũ
Per propriam speciem natura iudice pulchrum est.

CAPVT III.

B ERgo vbi completis fulserunt omnia rebus
Ornatúque suo perfectus constitit orbis:
Tum pater omnipotens ęterno lumine lętum
Contulit ad terras sublimi ex ęthere vultum
Illustrans quodcunque videt: placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudátque creator
Dispositum pulchro quẽ condidit ordine mundum
Tum demum tali sapientia voce locuta est,
En præclara nitet mundano machina cultu.
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid iuuat vlterius nullo cultore teneri?
Ergo longua nouam ne fœdent ocia terram,
Nunc formetur homo, summi quem tangat imago
Numinis, & nostram, celso donatus honore,
C Induat interius formosa mente figuram,
Hunc libet erectis sublimem incedere plantis:
Qui regat ætherno subiectum pondere mundum,
Bruta domet, legem cunctis & nomina ponat,
Astra noret, cœlique vias & sidera norit:
Discat & inspectis discernere tempora signis:
Subiiciat pelagus sæuum, ingenioque tenaci
Possideat quęcunque videt: cui bestia frendens
Seruiat, & posito discant mansueta furore
Imperium iumenta pati: iussique ligari
Festinent trepidi consueta in vincla iuuenci.
Quodque etiam natura hominis sublimior extet,
Incipiat rectos in cœlum tollere vultus:
Factorem quętat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longæuo in tempore vitam.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1.
Potestas homini à Deo concessa.

CAPVT IIII.

Adæ formatio. HÆc ait, & fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem consperso puluere limũ: D
Moliturque nouum diues sapientia corpus.
Non aliter quàm opifex diuturno exercitus vsu
Flectere laxatas, per cuncta sequacia ceras:
Et vultus complere rudes, aut corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massa.
Sic pater omnipotens victurum protinus aruum
Tractat, & in lento meditatur viscera cœno.
Caput. Dehinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Quinque sensus. Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.

Tactus

Tactus ad hæc, solus toto qui corpore iudex
Lingua. Sentiat, & proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis arctatur recauo sic lingua palato,
Pressus vt in cameram pulsantis verbere plectri
Pectus, brachia et manus. Percusso resonet modulatus in aëre sermo.
Ex in succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Venter. Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter vtrumque latus foueat vitalia venter.
Diuiduam partem femur excipit, aptius vt se
Femur. Alternus moueat duplicato poplite gressus.

CAPVT V.

AT parte ex alia fingit quam conditor idem.
Ceruix. Occipit submissa suo descendere ceruix
Incipit, & vastos compagibus addere neruos.
Dorsum. Spina rigens crebris inter commercia nodis.
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna nouos vitæ formatur ad vsus.
Cor. Viuifico primum cordi vitalia tegmen
Naturale parant, plagam ne sentiat vllam.
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Pulmo. Additur & tenui pascendus ab aere pulmo:
Vt concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens reddat quas sumpserat auras.
Perque vices crebro pellatur anhelitus haustu.
Dextra tenet iecoris vegetandum sanguine fontem:
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Læua in parte lien mansura sede quieuit:
Qua crines perhibent vnguesque recrescere sectos.
Nec concisa dolent, quæ mox argumenta resumũt,
Et viuunt, sensuque carent in corporis vsu.

CAPVT VI.

POstquàm perfectæ iacuit nouitatis imago.
Formatumque lutũ speciẽ peruenit in omnem:
Vertitur in carnem limus, duratáque moles.
Medulla. Hinc dura è mediis traxerunt ossa medullas
Viscetibus lunæ augendas crescentis ad instar.
Inseritur venis sanguis, viuóque calore
Sanguis in venis. Inficit ora rubor, toto tum corpore pallor
Pellitur & niueos depingit purpura vultus.
Animæ creatio. Inde vbi perfectis consuescit viuere membris
Totus homo, & fumant calefacta vt viscera solam
Expectant animam: puro quam fonte creator
Promit & erectos recturam mittit in artus.
Nam lenem suaui flatum profundit ab ore,
Inspiratque homini: quem protinus ille receptum,
Attrahit: & crebri discit spiraminis auras.

CAPVT VII.

POstquam nascentem solers prudentia sensum
Imbuit, & puro rationis lumine fulsit:
Surgit: & erectis firmat vestigia plantis.
Tum varias cœli species, mundíque figuras
Mirantem, tali compellat voce creator.
Hæc quæ mundani coram pulcherrima cultus
Ornamenta vides, ornatum extensa per orbem,
Solus habe: solusque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur: maximus ordo
Te parere pio tibi qui dedit omnia patri.
Non species vllę nec numina vana colantur:
Non quę vel cœlo sublime nouumque coruscant:
Non quæ vel terris viuunt formata vel vndis:
Nec quod forte premens prohibet natura videri:
Vsibus ista tuis, non cultibus esse memento.
Præcellis factis, factorem pronus adora.

CAPVT VIII.

Interea sextus noctis primordia vesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem. A
Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem, *Gen. 2.*
Soluitur è somno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens pressum per corda soporem
Misit, & immenso tardauit pondere sensus:
Vis vt nulla queat sopitas soluere mentes:
Non si forte fragor securas verberet aures:
Nec si commoto cœlum tunc intonet axe:
Quin nec pressa suam rupissent membra quietem.
Tunc verò cunctis costarum ex ossibus, vnam
Euæ formatio. Subducit leuo lateri, carnemque reponit.
Hinc pulchro erigitur genialis forma decore,
Inque nouum subito procedit fœmina cultum.
B Quam Deus æterna coniungens lege marito,
Coniugiis pensat fructu dispendia membri.
Somnus adæ Christi mortẽ præfigurauit. Istius indicium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subiit posito quam corpore Christus.
Qui quum passurus ligno sublimis in alto
Penderet, nexusque & culpas penderet orbis:
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exiliens fluxit cum sanguine lympha:
Qua viuum populis iam tunc spondente lauachrũ,
Fluxit martyrium, simul & baptismatis vnda.
Inde resurgenti cœlestiaque astra petenti
De Lateris membro surgens Ecclesia nupsit.
Principio rector tanti sacrare figuram.
C Disponens vincli, hoc nectit connubia verbo.
Viuite concordi studio, mundumque repletę:
Crescat longęuum fœlici semine germen:
Non annis numerus, vitę nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.
Porrò nepos ductus spargens per secla nepotes
Viuentes numeret proauos: inque ora parentum
Ducant annosos natorum pignora natos.
Tum lex coniugij toto venerabilis æuo
Matrimonij lex. Gen. 2. Intemerata suo seruabitur ordine cunctis.
Fœmina persistat de semine sumpta virili
Coniugio seruare fidem: nec separet alter
D Quod iungit, sociatque Deus, cum patre relinquat
Et matrem, iusto constrictus amore maritus.
Nec iam vllos propter rumpant hęc vincla parẽtes:
Vita sed amborum carnem teneatur ad vnam.
Taliter ęterno coniungens fœdere vota
Festiuum ducebat hymen, castóque pudori
Concinit Angelicum iuncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem: & lætis gaudebant sidera flammis.

CAPVT IX.

EST locus Eoo mundi seruatus in axe
Secretis natura tuis: vbi solis ab ortu
Vicinos nascens aurora repercutit Indos.
E Hic gens ardentem cœli subteriacet axem,
Quam candor feruens albenti ex ęthere fuscat.
Huc semper lux pura venit, cœloque propinquo
Natiuam seruant nigrantia corpora noctem.
Attamen in terris splendentia lumina membris
Captiuo fulgore micant: visuque nitente
Certior accrescit pullatis vultibus horror.
Cæsaries incompta riget, quæ crine supino
Stringitur, vt refugo careat frons nuda capillo.
Sed quidquid magnum nostros defertur ad vsus
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratu pulchrum est, adlabitur inde.
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus

Surgit,& hic eboris munus quod porrigit orbis
Informis pulchros deponit belua dentes.
Paradiſus terreſtris. Ergo vbi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia iungere cœlo:
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet,ęterno concluſus limite:poſtquam hic
Decidit expulſus primęui criminis auctor.
Proque reis dignę fœlici ab ſede reuulſis
Cœleſtes hęc ſancta capit nunc terra miniſtros.
Non hic alterni ſuccedit,temporis vnquàm
Bruma,nec ęſtiui redeunt poſt frigora ſoles,
Excelſus calidum quum reddit circulus annum:
Vel denſante gelu caneſcunt arua pruinis:
Hic ver aſſiduum cœli clementia ſeruat,
Turbidus auſter abeſt,ſemperque ſub aëre ſudo
Nubila diffugiunt iugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci,quos non habet imbres:
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum,terręque nitentis
Blanda nitet facies:ſtant ſemper collibus herbę
Arboribuſque comę:quę quum ſe flore frequenti
Diffundunt,celeri ſolidant ſua germina ſucco,
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole:
Nec tactus violat violas,roſeumque ruborem.
Seruans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic quum deſit Hiems,nec torrida ferueat Aeſtas,
Fructibus Autumnus,Ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabęis
Phœnix. Cynnama naſcuntur,viuax quæ colligit ales
Natali quum fine perit,nidoque peruſto
Succedens ſibimet quęſita morte reſurgit:
Nec contenta ſuo tantum ſemel ordine naſci
Longa veternoſi renouatur corporis ętas:
Incenſamque leuant incendia crebra ſenectam.
Illic deſudans fragrantia balſama ramus,
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum.
Tum ſi forte leuis mouit ſpiramina ventus,
Flatibus exiguis,lenique impulſa ſuſurro,
Fons aſcendebat de terra. Gen.2. Diues ſylua tremet foliis,& flore ſalubri:
Qui ſparſus terris ſuaues diſpenſat odores.
Hic fons perpetuo reſplendens gurgite ſurgit.
Talis in argento non fulget gratia:tantam
Nec chryſtalla trahunt nitido de frigore lucem.
Negligit hic virides riparum margo lapillos:
Et quas miratur mundi iactantia gemmas,
Illic ſaxa iacent:varios dant arua colores,
Et naturali campos diademate pingunt
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quatuor in largos confeſtim ſcinditur amnes:
Euphratem Tygrimque vocant,qui limite certo
Longa ſagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon,Latio qui nomine Nilus
Dicitur ignoto cunctis illuſtrior ortu:
Cuius in Ægypto Lenis perlabitur vnda,
Ditatura ſuam certo ſub tempore terram:
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alueus,& nigris campos perfundit arenis:
Vbertas laxatur aqua,cœloque vacante
Terreſtrem pluuiam diffuſus porrigit amnis,
Tunc incluſa latet lato ſub gurgite Memphis,
Et ſuper abſentes poſſeſſor nauigat agros.
Inque locum pecorum viridantis iugere campi,
Succedunt nantes aliena per æquora piſces.
At poſtquam largo fœcundans germina potu
Lympha maritauit ſitientis viſcera terræ,
A Regreditur Nilus,ſparſaſque recolligit vndas:
Fit fluuius pereunte lacu,coguntur in alueum
Ad ripam effrenes concluſis fluctibus vndæ.
Donec diuiduum ſpargens per deuia finem
Gurgite ſepteno patulum pertendit in æquor.
Quur autem perhibent latitare ex omnibus vnum
Fontem Nile tuum? nam qui neſciris ab ortu
Non ſolus ſed quartus eras,diffuſus ab vllo
Deſpicit excelſo qui flumina cuncta meatu:
Ipſius atque pater pelagi ſupereminet omnes
Quas mõtes,qs planavomũt quas nubila lymphas.
Quartus dehinc phyſon quẽ nominat India gãgem
Motus odorifero quoties qui vertice creuit, *Ganges*
B Deciduas pulchro quas ſpargunt flamina luco
Prælambens furatur opes,& gurgite noſtrum
Ducit in exilium:nam ripa largus vtraque eſt.
Amnibus vtque iſtis enodes ferre papyros
Aut ſcirpos algaſque leues deducere mos eſt:
Excrementa trahens magnus ſic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo quod proiicit alueo.

CAPVT X.

INterea primi ſummus quos iunxerat auctor
In Paradiſiaca ponuntur ſede parentes:
Queis rector tali proponit præmia lege.
O ſummum factoris opus,quos ſola creauit
Noſtra manus,naſci quum cętera voce iuberem:
C Aſpicitis quanto pulcherrimus vbere lucus *Gen.2.*
Diuitiis tumet immenſis:hæc cuncta dabuntur
Ad veſtros ſine fine cibos,hinc eſca petatur, *Ex omni ligno paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni et mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris Gen.2.*
Sumite conceſſas fruges,& carpite poma.
Hic operis dulci ſtudio ſecura quieſcat,
Delitiiſque fruens longęuo in tempore vita.
Eſt tamen in medio nemoris:quam cernitis arbor,
Notitiam recti,prauíque in germine portans:
Huius ab acceſſu vetitum reſtringite tactum:
Nec vos forte premat temeraria diſcere cura
Quæ prohibet doctor:melius neſcire beatis
Quod quæſiiſſe nocet:teſtor quem fecimus orbem
Quod ſi quis vetitum decerpat ab arbore pomum:
D Audax commiſſum mortis diſcrimine pendet.
Non immenſa loquor:facilis cuſtodia recti.
Seruator vitam,mortem temerator habebit.
Accipiunt iuuenes dictum,lętique ſequuntur,
Spondentes omni ſeruandam tempore legem.
Sic ignara mali nouitas,nec conſcia fraudis
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater inſtructos ſacrata in ſede relinquens
Lætus in aſtrigeram cœli ſe ſuſtulit aulam.
Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS DE PRIMORVM *parentum tranſgreſſione.*

E

CAPVT I.

VTitur interea venturi neſcia caſus
Libertas ſecura bonis: fruiturque beata
Vbertate loci:largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin ſemper opimi
Sumitur alternus tenui de ceſpite fructus.
Nam ſi curuati fœcundo pondere rami
Mitia ſubmittunt ſublimi ex arbore poma:
Protinus in florem vacuus turgeſcere palmes
Incipit:inque nouis fructum promittere gemmis.
Iam ſi prædulces delectat carpere ſomnos:
Mollibus in pratis,pictáque recumbitur herba.
Quum-

Quumque voluntati ſacrum nemus offerat omnes
Delitias,opibuſque nouis ſe præbeat amplum:
Hinc ſuaues epulas capiunt,eſcamque requirunt:
Quanquam nulla fames cogit,nec laſſa fouendo
Indigus hortatur compleri viſcera venter.
Et niſi conceſſum libuiſſet noſcere paſtum
Eſuries ignota cibos non poſceret vllos:
Nulla fameſcentem fulcirent pabula vitam.
Interea nondum tranſgreſſi iuſſa parentes
Corpora nuda vident: nec ſe inter cernere nudos
Diſpudet:ipſa rudis fœdum nil ſentit honeſtas.
Non natura hominis,vicium ſed cauſa pudori eſt.
Nam quæcunque bonus formauit membra creator
Quur pudibunda forẽt?neque eñ ſummi añ relicta
Iuſſa Dei,quidquam conſpectu turpe:ſed ipſa
Tunc mens intactos ſeruabat candida viſus.
Quin & talis erat naturæ gloria primæ
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos:qualemque redemptis
Spondet reddendã mortis poſt tẽpora Chriſtus:
Luc.20. Queis neque coniugium curæ, nec fœdere turpi
Miſcuerit calidos carnalis copula ſexus.
Quando aberit gemitus,luxus,metus, ira voluptas,
Fraus,dolor, atque dolus,mœror,diſcordia, liuor,
Nullus egens,nullus cupiens, ſed pace ſub vna
Sufficiet cunctis ſanctorum gloria Chriſtus.

CAPVT II.

HIs πρωτοπλάστων ſenſum primordia ſacra
Continuere bonis:donec certamine primo
Vinceret oppreſſos fallacem culpa per hoſtem.
Angelus hic fuerat dudum:ſed crimine poſtquam
Succenſus proprio tumidos exarſit in auſus,
Se feciſſe putans,mox tanquam conditor eſſet
Ipſe ſui,rabido concepit corde furorem:
Eſai.14. Auctoremque negans,diuinum conſequar(inquit)
Nomen,& æternam ponam ſuper ęthera ſedem,
Excelſo ſimilis,ſummis nec viribus impar.
Talia iactantem pręcelſa potentia cœlo
Iecit,& eiectum priſco ſpoliauit honore:
Quique creaturæ pręfulſit in ordine primus,
Primas venturo pendet ſub iudice pœnas.
Illum quandoquidem grauior ſententia punit
Quem mirum cecidiſſe putes: nam crimen aceruat
Auctor,in ignaro minor eſt peccante reatus.
Durius idque malum quod maior fecit habetur.
Sed quod viuaces pertendit in abdita ſenſus,
Quodque futura videt,rerumque archana reſignat
Angelici feruens ſupereſt natura vigoris.
Horrendum dictu,ſigniſque notabile monſtrum:
Nam quidquid toto dirum committitur orbe
Iſte docet,ſcelerumque manus ac tela gubernat:
Pugnat & occultus,per publica crimina latro.
Et nunc ſæpè hominum,nunc ille in ſæua ferarum
Vertitur ora,ſubinde nouos mutantia vultus.
Alitis interdum ſubito mentita volantis
Fit ſpecies:habituſque iterum confingit honeſtos.
Rurſum etiam apparens formoſo in corpore virgo
Illicit ardentes obſcœna in gaudia viſus:
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruſcat,
Accenditque animos auri fallentis amore,
Deluſos fugiens vano phantaſmate tactus.
Nulli certa fides conſtat,vel gratia formę:
Sed quo quemque modo capiat teneatve nocendo
Opportuna dolis,clauſæque accommoda fraudi
Sumitur exterior ſimulata mente figura.
Maior adhuc etiam ſæuo permiſſa poteſtas.
Terſanctum vt vincat, dudum collata creato.
A Sic natura valet,rectam quam condidit auctor:
Sed poſt ad prauos ſubuerſor tranſtulit vſus.

CAPVT III.

VIdit vt iſte nouos homines in ſede quieta
Ducere fœlicem nullo diſcrimine vitam,
Et lege accepta Domino famularier orbis, *Diaboli inuidia.*
Subiectiſque frui placida inter gaudia rebus:
Commouit ſubitum zeli ſcintilla vaporem:
Excreuitque calens in ſæua incendia liuor.
Vicinum tunc forte fuit quum decidit alto
Tempus,& innexam traxit per prona cateruam:
Hoc recolens,caſumque premens in corde recentẽ,
Plus doluit periiſſe ſibi,quod poſſidet alter.
B Tunc mixtus cum felle pudor ſic pectore queſtus
Explicat,& tali ſuſpiria voce relaxat.
Proh dolor,hoc nobis ſubitum conſurgere plaſma,
Inuiſumque genus noſtra creuiſſe ruina?
Me celſum virtus habuit,nunc ecce neglectus
Pellor,& Angelico limus ſuccedit honori
Cœlum terra tenet,vili compage leuata
Regnat humus:nobiſque perit tranſlata poteſtas.
Nec tamen in totum periit,pars magna retentat
Vim propriam:ſummaque cluit virtute nocendi.
Nil differre iuuat:iam nunc certamine blando
Congrediar,dum prima ſalus,experta nec vllos
Simplicitas ignaua dolos ad tela pauebit.
C Nam melius ſoli capientur fraude,priuſquam
Fœcundam mittant ęterna in ſęcula prolem.
Nil immortale è terra prodire ſinendum eſt.
Fons generis pereat,capitis defectio membris
Semen mortis erit:pariat diſcrimina lœti
Vitæ principium:cuncti feriantur in vno:
Non faciet viuum radix occiſa cacumen.
Hæc mihi deiecto tantum ſolatia reſtant:
Si nequeo clauſos iterum conſcendere cœlos,
His quoque claudẽtur: leuius cecidiſſe putandũ eſt
Si noua perdatur ſimili ſubſtantia caſu.
Sit comes excidij,ſubeat conſortia pœnæ:
Et quos præuideo nobiſcum diuidat ignes.
D Sed ne difficilis fallendi cauſa putetur
Hæc monſtranda via eſt,dudum quam ſępè cucurri
In pronum lapſus: quæ me iactantia cœlo
Expulit,hæc hominem Paradiſi è limine pellat.
Sic ait, & gemitus vocem clauſere dolentis.

CAPVT IIII.

FOrtè fuit cunctis animalibus altior aſtu,
Æmulus arguto callet qui pectore ſerpens: *Geneſis.3*
Huius tranſgreſſor de cunctis ſumere formam
Eligit,aërium ſtatim ſibi corpus adaptans:
Inque repentinum mutatus tenditur anguem.
Fit longa ceruice draco,ſplendentia colla
Depingit maculis, teretiſque volumina dorſi
E Aſperat,& ſquammis per terga rigentibus armat.
Qualis verè nouo primis quum menſibus ęſtas
Pręmittit lætos poſt frigora pigra tępores
Euadit veterem renouatis motibus annum.
Sicca vireſcenti permutans germina fronde.
Sic prodit coluber lucenti pelle tumeſcens,
Et tandem egrediens terrarumque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma draconem.
Dira micant oculi:tum lumine viſus acuto
Lætior optatum diſcit conſueſcere ſolem.
Nunc ſtridit blandum,crebro nunc carmine fauces
Ludunt,& trifidam diſpergunt guttura linguam.

CAPVT V.

ERgo vt vipeream malesuada fraude figuram
Induit, & totum fallax processit in anguem:
Peruolat ad lucum: tum forte rubentia læti
Carpebant iuuenes viridi de palmite mala.
Hic ueritus serpens firma ne mente virili
Non queat effuso subuertere corda veneno:
Arboris in vetitæ spiris reptantibus altum
Porrigitur: tractumque suum sublimibus æquans
Auditum facilem leni sic voce momordit.
O fœlix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roseo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens: te maximus orbis
Expectat matrem: tu prima & certa voluntas
Solamenque viri, sine qua nec viuere possit
Vt maior sic iure tuo subiectus amori:
Cui iúcta es pulchram vt reddas in tempore prolẽ.
Vobis digna datur paradisi in vertice sedes
Vos subiecta tremit famulans substantia mundi:
Quod cœlũ, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, vestros confertur in vsus.
Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Gen. 3. Apostrophe ad Euam.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta potestas.
Non equidem inuideo, miror magis: & tamen ista
Cur Deus inuidit vobis ex arbore fructus?
Scire velim quis dira iubet, quis talia dona
Inuidet, & rebus ieiunia miscet opimis.

CAPVT VI.

Hic male blanditam fixerunt sibila vocem.
C Quis stupor ô mulier mentem caligine clausit.
Cum serpente loqui? verbum cõmittere bruto
Non pudet vt vestram præsumat belua linguam?
Et monstrum pateris, responsumque insuper addis?
Ergo vbi mortiferum seductilis Eua venenum
Auribus accipiens, cladi consensit iniquæ:
Tunc ad serpentem vano sic ore locuta est.
Suauibus ô pollens coluber dulcissime verbis,
Non vt rere, Deus nobis ieiunia suasit:
Nec prohibet largo curari corpora pastu.
Ecce vides epulas totus quas porrigit orbis
Omnibus iis licite genitor pròptissimus vti
Præstitit, & totas esu laxauit habenas:
Hæc sola est nemoris medij quã perspicis, arbor
Interdicta cibis, hęc tantum tangere nobis
Poma nefas: diues præsumit cętera victus,
Quod si libertas temerarit noxia legem,
Iurans terribili prædixit voce creator,
Quadam nos statim luituros morte reatum.
Quid verò mortem appellet, doctissime serpens
Pande libens, rudibus nobis incognita res est.

CAPVT VII.

CAllidus inde draco, & lœti tũ spóte magister,
Interitum docet: & captas sic fatur ad aures.
Nequaquã mori te morie mini. Gen. 3.
Terroris vacuum formidans fœmina nomen,
Nequaquam vos dira manet sententia mortis,
Sed pater inuisus sortem non contulit æquam:
Nec vos scire dedit, sibimet quę summa reseruat.
Quid iuuat ornatũ comprendi aut cernere mundũ,
Et cæcas misero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter sensus, oculosque patentes
Et brutis natura dedit: sol omnibus vnus
Seruit, ab humano nec distat belua visu.
Consilium mage sume meum, menteque supernis
Insere, & erectos in cœlum porrigere sensus.
Namque id quod vetitum formidas tãgere pomũ,
Scire dabit quęcunque pater secreta reponit.
Tu modo suspensos tantum ne contrahe tactus:
Ne captua diu frenetur lege voluntas.
Namque vbi diuinum libaueris ore saporem
A Mox purgata suo faciet tua lumina visu
Æquiparare deos sic sancta vt noxia nosse,
Iniustum recto: vero discernere falsum.

CAPVT VIII.

TAlia fallaci spondentem dona susurro
Credula submisso miratur fœmina vultu.
Et iam iamque magis cunctari, & flectere sensum
Incipit, & dubiam lœto plus addere mentem.
Ille vt vicino victam discrimine sensit,
Vnum de cunctis lœtali ex arbore malum
Detrahit: & secum mutanti protinus offert.
Nec spernit miserum mulier malè credula munus
Sed manibus pomum ignaris lœtale retractans,
B Naribus interdum labiisque patentibus vltro
Iungit, & ignorans ludit de morte futura.

CAPVT. IX

OQuoties ori admotum compuncta retraxit,
Audaciſque mali titubans sub pondere dextra
Apostrophe ad Euam.
Cessit, & effectum sceleris tremefacta refugit.
Diis tamen esse cupit similis, serpitque venenum
Ambitione nocens: rapiunt contraria mentem,
Hinc amor inde timor, dubiam iactantia pulsat:
Interdumque etiam lex subuenit: æstuat anceps
Ambigui cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor desistit fallere serpens,
Ostentatque cibum dubię, quęritúque morari.

CAPVT X.

C VT tandem victæ grauior sententia sedit
Aeternam tentare famem per criminis escam,
Serpentem satiare cibo quem sumeret ipsa:
Annuit insidiis, & pomum morsa momordit.
Dulce subit virus, capitur mors horrida pastu.
Continet hic primum sua gaudia callidus anguis,
Dissimulatque ferum victoria sæua triumphum.

CAPVT XI.

Ignarus facti diuersa ex parte reuertens
Adam, diffusi lætus per gramina campi,
Coniugis amplexus, atque oscula casta petebat:
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
D Flabat fœmineos animosa in corda furores:
Et sic orsa loqui, semesum namque gerebat
Asseruans misero pomum exitiale marito.
Sume cibum dulcis vitali ex germine coniunx
Quod similes summo faciet nos esse tonanti,
Numinibusque pares: non hoc tibi nescia donum
Sed iam docta fero: primus mea viscera gustus
Attigit, audaci dissoluens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse virilem:
Quod mulier potuit, præcedere forte timebas,
Saltem consequere, atque animos attolle iacentes.
Lumina quur flectis? quur prospera vota moraris?
Venturóque diu tempus futaris honori?

E CAPVT XII.

HÆc effata manu victuræ fercula mortis
Intereunte anima lœtum dũ crimina pascunt,
Porrigit infausto coniunx insana marito.
Accipit infœlix maleſuadi verba susurri,
Demisitque suos ad noxia crimina sensus.
Non illum trepidi concussit causa pauoris:
Nec tantum est gustu cunctatus, fœmina quantum:
Insequitur velox, misereque ex coniugis ore
Constanter rapit inconstans dotale venenum.
Faucibus & patulis inimicas porrigit escas,
Vix vno pomum libabat succida morsu

Ingluuies,

Ingluuies, summumque dabat vix esca saporem:
Ecce repentinus fulgor circunstitit ora,
Lugendóque nouos respexit lumine visus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis vsu
Priuatum peperit formæ perfectio vultum.
Nunc verò mage cæcus eris, cui non satis illud
Noscere quod tantus voluit te nosse creator:
Ad vitam vobis cernendi facta facultas:
Nunc verò lœtum sed vestra sponte videtis:
Tum patuisse gemunt oculos: nam culpa rebellis
Fulsit, & obscœnos senserunt corpora motus.
Tunc primum nudos (dubium quid dicere possim
Extinctus, natusne pudor) circunspicit artus.
Erubuit propriæ tunc mens sibi conscia culpæ,
Pugnauitque suis carnis lex indita membris.

CAPVT XIII.

NAmque hinc posteritas viciato germine duxit
Artibus illicitis cognoscere velle futura:
Anxia curiositas ab Adã incœpit.
Archanisque sacris tardos immittere sensus:
Edita vel cœlo, vel tetro mersa profundo
Rimari, inque cauas naturæ irrumpere leges:
Quærere quàm dextro quisquam sit sidere natus:
Prospera quàm ducat restantis tempora vitæ:
Dissimilem paribus prouentum discere signis:
Nec non & geminos vno sub tempore fusos,
Quos indiscretus luci subduxerit orbis,
Motibus aduersis varia sub sorte notare:
Indigetes quosdam stellis adscribere diuos,
Iunior antiquis æras quos prætulit astris:
Atque infernali iamdudum mole sepultis,
Vana per immensum disponere nomina cœlum.

CAPVT XIIII.

Iam magicam digne valeat quis dicere fraudem
Occultas tacito tentantem pectore vires:
Legifer vt quondam vates sub rege superbo
Dum noua monstraret iussi miracula signi,
Commouit liuore magos vt talia tentent.
Accumulentque suas zelo feruente ruinas.
Queis forsan si supperet non vana potestas
Demere non etiam properarent addere monstra.
Æmula sed signis tantum, non viribus æqua
Quod remouere nequit, duplicata sustinet ira,
Hinc est laudato quod possunt carmine marsi
Marsi populi valet incantationibus.
quum tacita fœuos producunt arte dracones
Absentes, & sæpè iubent confligere secum,
Tunc vt quisque grauem bello persenserit hydrum,
Aspidis aut duræ clausas cognouerit iras,
Concutit interius secreti carminis arma:
Protinus & laxis verbo lactente venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermi:
Et morsus tantum non virus in angue timetur.
Interdum perit incantans, si callida surdus
Adiuratoris contempsit murmura serpens:
Hoc quoniam de matre trahunt, & origine prima.
Anguineæ fraudis quod sic linguęque periti
Marsi Circe matre gloriantur.
In speciem reddunt commercia mutua fandi.
Nec minus hos pulsant, temeraria cura sciendi
Angit præscitus ducti quos terminus æui:
Quum tamen eductas inferni sedibus vmbras
Colloquium miscere putent, & nota referre,
Spiritus erroris qui tum bacchatur in illis,
Ad consulta parat vanis responsa figuris:
Ne verò multis dicamus singula verbis:
Presenti illusus, damnabitur ille perenni
Iudicio, quisquis vetitum cognoscere tentat

CAPVT XVI.

A NEc iam sola fuit seruatrix Eua malorum:
Dicam nunc aliam, tali quæ peste laborans
Nescia parendi Domini mandata neglexit:
Quanquã nec similem caussam cõtendero, quũ nec
Tum mage consultum, seduxerit illa maritum.
Peccandi quasdam feruor succenderat vrbes,
Gen. 18. Sodomorum lasciuies.
Omnia permittens laxatis crimina frenis:
Incestus vice legis erat, ius sola regebat
Luxuries, regni sedem metata voluptas,
Indigenas populos domina sub carne tenebat.
Et scelerum ingenti studio, quæ iusserat olim
Subrectos fugitare viros respublica, ab illis
Abstinuisse nephas: & non peccasse, pudendum
Credebant omnes, facinus quos iunxerat vnum.
B Talibus offensus iudex, atque arbiter orbis
Loth prohibitus.
Quum fureret, flammasque loco, finemque pararet
Quendam dissimilem cunctis, tectóque latentem,
Qui tunc forsan erat Sodoma peregrinus in vrbe,
Vnum inter multos verbis Loth conuenit istis.
Oppida lasciuo iamdudum plena furore,
Respergunt cœlum maculis, nostrasque fatigant
Quamuis obstructas scelerum clamoribus vrbes.
Imminet exitium, nam incensa libidine tellus
Ignibus ardebit: restinguet fulminis imber,
Quæ non extinxit feruentia crimina fletus.
Ipsa in perpetuas soluetur terra fauillas,
Conseruans cineres post dira incendia viros:
C Tu nunc linque domum, perituras desere terras,
Nam rea cum dignis subsident arua colonis.
Sed tamen interea ne te coniunxeris illis,
Ne fortè impendens lœtum coniungat eisdem:
Virgineamque adhuc sobolem, solatia coniunx
Augeat: iis tantum sociis contentus abito:
Accelerate fugam, & contendite tramite recto:
Nec subuertendas quisquam respexerit vrbes:
Este mali expertes, pœnas quicunque videbit
Sentiet, atque suæ mortis spectacula secum
Quæ meruere feret: saluandis terror abesto.
Hęc pater. ast illi properant abscedere terra,
Inciduntque moras, crudeliaque arua relinquunt.

D CAPVT XVII.

COEperat obduci densa caligine victum
Atque ignota prius demittere murmura cœlũ
Nec sic vt tonitru crebro quum percitus æther
Ostentat pauidis innoxia fulmina terris:
Sed prorsus finale malum terrore minaci
Terra per aërios mittebat signa tumultus.
Tendebant moniti simul & mandata tenentes
Concessam & rectis ad sedem vultibus ibant
Callidus alta petens sed qui subuerterat Euam
Serpens, fœmineam consuetus tangere mentem,
Nil quoque formidans animum tentare virilem.
Inspirat miseræ cognoscere velle ruinas,
E Et simul euasas visu deprendere clades.
Apostrophe ad Lothyxorem.
O crudelem animi non iam tibi sufficit vnam
Succubuisse dolo? & funesta clade nepotes
Affecisse suos? ô stulti insania sexus:
Quid stolida affectas frustrari parte bonorum
Dum mala nosse cupis? Si nos exempla priorum
Non terrent, nostro fies exemplo timori.
Vel post te pereat scrutandi dira libido
Illicitum quod scire fuit, vetitumque tueri.
Respicies tantum, nec narratura videbis.

CAPVT. XVIII.

ERgo vbi maiorem vicina ex vrbe tumultum
Audiuit mulier, vultum deflexa retrorsum

Vix primo in visu restrictis motibus hæsit,
Cernere desistens quum cœperat: inde gelato
Sanguine marmoreus perfugit viscera torpor.
Dirigere genæ: pallor nouus inficit ora.
Lumina nec clausit: nec saltem concidit illo
Pondere, quo pulsant collapsa cadauera terram:
Sed stetit horrendo perlucens massa nitore
Seruauitque suam species decepta figuram.
Nec facile nosses vitrum, lapis anne metallum est
Succedens homini: nisi sal gustu indicet ipso.
Ex tunc insipido mulier præuenta reatu,
Plus salsum sine mente sapit, quæ pungere sensus
Exemplique potest salibus condire videntes.
Hoc tamen hic mirum est, quod Loth non flectitur, ipsam
Nec sociam sequitur primo constantior Adam.
Quanquã id credo magis factum, quia visa referre
Iam nequit eliguis: quæ si comperta referret,
Forsan & in similes ausus temeraria traxet:
Credulo vt imposuit virgo prima qua marito:
Quę postquam sese patiter comitemque fefellit
Et nondum natam percussit vulnere prolem:
Tum victor serpens certamine lętus ab ipso,
Puniceam crispans squammoso in vertice cristam,
Nec iam dissimulans quam præserat ante triũphum
Acrior insultat victis, & talibus infit.
En affectatæ vobis est gloria laudis
Reddita, qui peruersa simulq; etiam optima nostis.
Cuncta ergo vos docui, sensumque per abdita duxi.
Et quodcunque malum solers natura negabat
Institui, pactumque meum ne forte negetis
Seruaui: & firma vos met mihi sorte dicaui.
Nec Deus in vobis quamuis formauerit ante
Iam plus iuris habet: teneat quod condidit ipse,
Quod docui mecum est: maior mihi portio restat.
Multa creatori debetis, plura magistro.
Dixit, & in media trepidos caligine linquens
Per medium fugiens cuanuit aëra corpus.

Finis lib. Secundi.

ALCHIMI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI, DE PARENtum à Paradiso expulsione, & sententia Domini, Liber tertius.

CAPVT I.

TEmpus erat quum sol medium transcenderat axem,
Pronus & excelsi linquẽs fastigia centri,
Vicina iam nocte leues premiserat auras.
Tun cillis maior curarum voluitur æstus:
Feruentésque tenent male conscia corda dolores.
Tum pudor his capto detorquet lumina sensu.
Nec iam secura præstatur luce tueri.
Signatam fixo peccati stigmate carnem.
Iudumenta petunt foliis è mollibus ambo vt
Membra tegant, nudũque malum subveste latescat.
Vmbrosis propter stabat ficulnea ramis,
Cõsuerũt folia ficus & fecerunt sibi perizoma ta. Gen. 3. Frondentes diffusa comas, quas protinus Adam
Humentem capiens raso de corrice librum
Assuit: & viridi solatur veste ruborem.
Induitur simili mulier lachrymabilis arte:
Quosque aluit misero fallax insania pomo
Vestiuit folio: & quos sæua ex arbore nudos
Reddidit, hos grauius tenui de cortice texit.
Et tamen aduenier tempus, quum crimina ligni
Per lignum sanct, purgetque nouissimus Adam,
Materiamque ipsam faciat medicamina vitæ,
A Aureus: ex alta quum pendens arbore serpens,
Serpentis veteres morsus atque omne venenum
Eluet, & veterem perimet sua forma draconem,
Tunc etiam inuitum lœto delebere lœtum.

CAPVT II.

INterea genitor viridis per mollia luci
Rorantes sudo capiebat ab aëre ventos.
Protinus attonitis senserunt auribus ambo
Præsentem Dominum: tristi tum luce perosam
Expauere diem detecto in crimine testem.
Tunc si illis specubus vastis se forte barathrum
Panderet, aut subitum tellus monstraret hiatum:
Non pigeat prono trepidos descendere saltu.
B Quod si suppeteret iam tum sententia lœti,
Hanc etiam raperet solandi causa doloris
Seu flammis lymphisve darer, vel pectora ferro
Appetereret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miseri mortem nondum discrimine notam
Quum primum meruere volunt: exordia finem
Signant: & similem prædicunt affore luctum,
Qui manet in finem maleductæ tempora vitæ,
Vitima quum mundi senium consumpserit ętas,
Quumque repentinus percusserit omnia fulgor,
Cœlorum clangente tuba, qua nuncius ante
Iudicis aduentum concussum terreat orbem.
Tunc quum synceros pastor discreuerit agnos,
C Hœdis disparibus diuersa in parte locatis
Chasmate diuisa medio: quam fluctibus implet
Sulphureis voluens vndosa incendia gurges
Flammarum stagnante lacu: quo feruida quondam
Dicitur attracto nubes sodomitica nymbo
Guttatim sparsum fudisse ob crimina fulmen
Quum plueret nox terra focos, cœloque caduco
Aëra per calidum stillarent vndique mortes.
Taliter ignifero missi de fonte gehennæ
Fluxerunt tristes aliena in secula riui,
At quos terribili iudex decreuerit hora
Viuere post mortem pœnáque ardere perenni
Substrahet optato grauior sententia lœto.
D Quumque foret melius dispersis corpora membris
Carpere perpetuum dura sub morte soporem:
Inuitos tamen vrna trahet, queis sola voluntas
Rursus posse mori sensúque carere dolendi.
Sed sic accipiet feruentis flamma camini
Ambustura suas vt nunquam finiat escas.

CAPVT III.

ATt primi interea iuuenes conamine casso
Per deserta ruunt, tutóque abscondita furto
Facta putant cæcis optant latuisse tenebris.
Quid iuuat infœlix oculos auertere, quum te *Apostrophe ad Adam.*
Iudex ille videt? quid eum abnuis ipse videre,
Quum videare palam? sol est, non fuscat amœnum:
E Sed depressa grauem formidant lumina lucem:
Debilis & clarum visus non sustinet orbem:
Hos ergo insolitas postquam tentare latebras
Vidit, terribili primum Deus increpat ore.
Infaustusque vbi sit quærit non nescius Adam. *Adam vbi es. Gen. 3.*
Qui trepidam pauido producens pectore vocem
Vix hęc pauca refert, tuus ô celsissime terror
Insolitas miserum latebras tentare coëgit:
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris
Erubui fateor, cœlumque per abdita fugi.
Et quis (ait) subitum concussit corde pauorem?
Visus & vnde nouus? nam te nec vellere dudum
Nec contexta prius velauit tegmine vestis.

Forma

Forma rudis proprio melius contenta decore
Iudice se placuit: sed postquam fœdere rupto
Interdicta tuus tentauit germina gustus:
Naturale tibi tegmen non sufficit vnum.
Et iam nunc primum nudis nudata pauescunt:
Arguit obscœnus quia turpia corpora motus.

CAPVT IIII.

ILle vbi conuictum claro se lumine vidit,
Prodidit & totum discussio iusta reatum,
Non prece submissa veniam pro crimine poscit:
Non votis lachrymisue rogat: non vindice fletu
Præcurrit meritam supplex confessio pœnam.
Iámque miser factus nondum miserabilis ille est.
Nam sensu erigitur, tumidísque accensa querelis
Fertur in insanas laxata superbia voces.
Heus (ait) infausto mulier coniuncta marito
Quam sociam misero prima sub lege dedisti,
Mulier quam dedisti mihi, socia dedit mihi de ligno & comedi. Hæc me consiliis vicit deuicta sinistris:
Et sibi iam notum persuasit sumere pomum.
Illa mali caput est, crimen surrexit ab illa.
Credulus ipse fui, fidei sed tu vnicus auctor,
Connubium donans & dulcia vincula nectens.
Atque vtinam fœlix quæ quondam sola vigebat
Cœlebs vita foret: talis nec coningis vnquam
Fœdera sensisset comiti non subdita prauæ.

CAPVT V.

HAc igitur timidi commotus mente creator
Mœrentem verbis compellat talibus Euam:
Quur tua deceptum traxisti in vota maritum,
Nec contenta tuo deceptrix fœmina casu
Sublimi sensum iecisti ex arce virilem?
Illa pudens, tristíque genas suffusa rubore,
Auctorem sceleris clamat decepta draconem:
Qui vetito pomum persuasit tangere morsu.

CAPVT VI.

POst hæc supremam promit sententia legem,
Serpentémque reum prima sic voce notauit.
Tu vero cuius fucatis fœmina verbis
Capta semel similes Adam pertraxit in ausus,
Propter vtrumque reus pendes quod fecit vterque.
Super pectus tuũ gradieris, & terrã comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Gen. 3. Nec tibi sublimis constabit pectore vertex:
Callida sed pronus per terram corpora volues.
Vtque fuga trepido sinuosa volumina currant,
Non gressûs sed lapsus erit, réque ipse sequêris
Flexibus, & spiras viuentia vincula nectent.
Tum propter suasam miserorum cordibus escam
Tellurem captans pastu vescteris inani:
Mensibus & certis fugitiuus ab aëre sudo
Inclusus terris communi sole carebis.
Omnibus inuisus fies grauis omnibus horror.
Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semẽ tuũ & semẽ illius. Gen. 3. Præcipue infœlix mulier cum prole futura
Tecum inimicitias odio constante reponet.
Seminibúsque tuis eius cum semine bellum
Perpetuum, sed dissimilis victoria, nam qui
Ambos vna opera vicisti subdole serpens,
Olim erit vt sexum muliebrem pronus adores.
Cuius tu quanquam pauidæ insidiabere calci,
Conteret vna caput, tandem tibi fœmina victrix:
Nascendúmque etiam tali de stipite germen.

CAPVT VII.

POsthæc attonitam iudex commotus in Euam.
Et tu quæ primam violasti fœmina legem,
Accipe, ait, reliquum vitæ quod restat in æuum,
Imperium patiere thori, dominúmque timebis.
Quem dederam socium: cuius tu subdita iussis
Pareto, & libitus posthæc assuesce viriles.
Móxque vbi concipiens fœtum persenserit aluus,
A Ventris onus gemitu testaberis: ac tibi clausum
Anxia crescentem portabunt viscera fascem:
Donec transacto fastidia tempore complens
Naturale malum partus ab vindice partu
Producas: vita vt prolis sit pœna parentis.
Sed quid multa loquar mi eræ discrimina matris?
Nam quum præduro mulier confecta labore
Optatam sobolem tali produxeris ortu:
Lugebis vacuos nonnunquam orbata dolores.

CAPVT VIII.

INterea trepidus iamdudum sustinet Adam
Quid sibi terribilis tandem sententia ferret,
Cui pater attentis, inquit, nunc auribus, & tu
B Accipe quid mereare, leuis quem fœmina vicit:
Impolluta prius pulchro sub germine tellus
Non iam fida satis, nec puro semine simplex,
Pristina monstrabit corruptum terga per orbem:
Exemplóque tuo semper tibi terra rebellans *Spinas & tribulos germinabit tibi. Gen. 3.*
Vepribus, ac tribulis, armata resistere discet.
Aut si frangenti cedens succumbit aratro,
Vomeris affixo mordaci dente subacta:
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium consurgere fructu,
Et fictas segetes, vacuásque dolebis aristas:
Sic vt vix centum producant iugera panem.
Sudore assiduo nitens quem sumat egestas,
C Illecebiámque cibi pœnalis vindicet esca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam:
Et simul herbarum succos, pastúmque requires:
Stercoréque assimili depressa grauabitur aluus:
Atque onerosa diu voluetur talibus ætas:
Donec præscriptum donent tibi secula finem: *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es quia puluis es & in pulverem reuerteris. Gen. 3.*
Et compacta luto rursum soluantur in illud
Membra, simúlque leui fias de puluere puluis.
Ante tamen durum nati præcurrere lœtum
Conspicies pœnásque tuas in prole videbis
Vt metuenda magis cernatur mortis imago,
Peccasse agnoscas quid sit, quid mortua fieri,
Quídque mori: ac ne quid desit tibi forte malorum,
D Acrior immenso miscebitur ira dolori:
Nam quum prima tibi producent tempora natos,
Liuor edax arcto certabit limite mundi:
Nec iam sufficiet vacuus conflictibus orbis:
Totáque fraterno congressu terra tremiscet,
Alter in alterius consurget vulnera frater:
Tellurémque nouam cognato sanguine tinget.
Exin posteritas varios passura labores
Per varios casus mortalia debita pendet.
Dum veterem ductus dissoluat terminus orbem:
Occidat omne vigens: finísque redarguat orta.
Audierat, motúmque dedit conterrita tellus,

CAPVT IX.

E HIs pater exactis hœdorum pellibus ambos
Induit, & sancta Paradisi ab sede reiecit.
Tunc miseri egressum properant, mundúmque vacantem.
Intrant, & celeri perlustrant omnia cursu.
Et quanquam variis herbis ac gramine picta
Et virides campos fontésque & flumina monstrat,
Illis fœda tamen species mundana putatur
Post Paradise tuam: totúmque videntibus horror.
Vtque hominum mos est studio maiore negata
Amplecti, & vetitis grauiori incumbere cura:
Sic maiore animo clausus Paradisus amatur.
Quæque magis multo Paradiso extenditur, illis

Angustatur humus:strictúmque tuentibus orbem
Omnia lata nimis parent angusta duobus.
Squalet & ipse dies:caussantur sole sub ipso
Subductam lucem:cœlo suspensa remoto
Astra gemunt:tactúsque prius vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixto felle doloris
Affectus sensere nouos: & pectora pulsans
Nondum compertas prorumpit fletus in vndas.
Attentísque genis iniussus defluit humor.
Haud aliter viuax deceptus mole caduca
Spiritus:impleto vênit cum terminus æuo
Post obitum peccata dolet:tum quidquid iniquũ
Gesserit ad mentem reuocat:tum pœnitet omnis
Errorum lapsus semet quos iudice damnat.
Quod si præteritæ reddatur copia vitæ:
Sponte ferat quoscunque dabunt mandata labores.

CAPVT X.

Historia crudelis diuitis.

CRudeli similes narrant de diuite questus:
Historiam cuius cœlesti numine Lucas
Tradidit afflatus:paucis ego ab ordine totam
Luc. 16. Dum repeto:linguis omnes animísque fauete.
Ille cothurnatus gemmis,& fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis:
Inde vt bacchantem traxissent tempora mentem.
Currebant epulæ totus quas porrigit orbis,
Quúmque peregrinus frugem misisset aceruus:
Feruebat priscum crystallo algente falernum.
Viuida quinetiam miscebant cynnama talli:
Et suffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt,
Certatim ad mensam veniebant: omniáque illuc
Portabat pallens auri cum fasce minister.
Diuitis ante fores pauper tum forte iacebat
Lazarus pauper. Languidus, obstrictis resoluto corpore membris:
Et supplex poscebat opem:non munera quærens,
Sed tantum siquas emittat copia diues
Relliquias, spectans aluus ieiuna rogabat.
Verum clamanti diues non addidit aurem:
Nullâque languentem pietas respexit egenum:
Nec quæ completis cecidere superflua mensis
Pauperis ad victum quisquam dedit:insuper ægri
Despicitur facies:& putria vulneris horrent.
Quúmque canes miti perlambant vlcera lingua,
Blandior,& lasso feritas medicabilis adsit:
Sola hominum nescit mens dura & cruda moueri.
Hæc sed diuersa penitus dum sorte geruntur:
Impendens obitus pariter pulsauit vtrumque,
Diuite præuento, qui dum immortalia sese
Secula victurum sperat,formidine nulla
Mortis adhuc animum immemorem pulsauerat: atqui
Optatam pauper longo vix tempore mortem
Inueniens, victor morbos artúsque reliquit.
Ille quidem celsa dudum qui floruit aula
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur:
Auratóque datur conditus membra sepulchro.
Et preciosa tegunt elatum lynthea marmor.
Mortuus est autem diues & sepultus in inferno. Spiritus abstruso sed mox demissus auerno,
Ardet in æternis per sæua incendia pœnis.
Equarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul vt visus coniectat, sed procul inde
Vt docet euentus,finibus conspexit ouantem
Abrahæ iusti mutatum in paupere vultum:
Luc. 16. Nec similem illius quem dudum è luce receptum
Quarto forte die vix quisquam largus humandi
(Ne per corruptum naturæ lege cadauer
A Dira frequentato contagia mitteret orbi)
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus adstrictis nuda tellure locarat:
Angelicis vero manibus sublime leuatus,
Iam diues,iam sanus erat, contráque superbus
Qui male congestos auri cumularat aceruos:
Mendicat vel tantum vnam de paupere guttam:
Arida vt extinctis irroret guttura flammis.
O pater electos(inquit)qui sede beata
Colligis,& meritis dispensas præmia iustis,
Hæc ego non merui: sed saltem hoc deprecor vnũ, *Mitte Lazarum vt intinguat extremũ digiti sui in aquam vt refrigeret linguã meã. Luc. 16.*
Lazarus vt digitum gelidas intinguat in vndas:
Et linguam extincto flammantem mitiget igne.
B Quod si nec refrigerio hoc extinxerit omnes,
Tempore vel saltem modico mihi temperet æstus.
Donec fessa breui respirent membra quiete.
Taliter immixto lachrymis stridore rogantem
Magnanimus verbis Patriarcha intercipit istis.
Desine iam miseras incassum funderevoces,
Et vanas miscere preces: haud talia dudum
Dicta dabas, quum te in foribus præsente iaceret
Ipse ignotus,egens, æger,ieiunus,inanis:
Quum congesta tuas oneraret fercula mensas:
Nec quisquam interea clamantem audiret egenum.
Quapropter tandem librato examine veri
Præteritæ vitæ sortem dependit vterque
C Permutátque vices: & te iam sufficit amplis
Exundasse bonis:qui fleuit gaudeat, & qui
Curarum expertem duxit per gaudia vitam,
Iam fleat,æternos spirans è pectore planctus.
Insuper horrendum qui se interponit hiatus,
Non sinit abiunctas misceri fœdere partes:
Vt reuocare gradum nec vos,descendere nec nos
Rursus ad inferni valeamus claustra tyranni.
Ille gemens vanum reperita voce precatur.
Si nil post obitum prodest commissa fateri:
Nec tua mutatur fixis sententia verbis:
Hoc concede mihi, nulla quod lege vetatur.
Defuncto fratres dilecti quinque supersunt:
D Obsecro ad hos properet,qui viuos corrigat,ante
In tormenta cadant quàm talia carne soluti.
Quanquam etenim duro persistant corde rebelles:
Si tamen abstrusa quisquam de morte reuertat
Credent experto pœnásque subire timebunt.
Talibus ille quidem, fusis sed in aëra verbis.
Nulla etenim meriti post mortem facta potestas.
Vos ergo dum vita manet, dum lege vigetis:
Patronúsque adstat patris ante tribunal Iesus:
Nec iam obturatis pulsatur ianua valuis:
Dum locus est flendi, dum se clementia Christi
Pandit,flete admissa,nec inde admittite flenda.

CAPVT XI.

E EN comperta tibi primi est occasio planctus:
Vtque sui casus nunquam reparabilis Adam
Pertulit exitium: passuri nomine Christi.
Nam licet æternos meritósque euaserit ignes:
Hæc nimium tamen infœlix incommoda sensit:
Perdita ne precibus, lachrymísue reduceret vllis,
Extunc paulatim retro sublapsa referri *Incõmoda ex primi parentis delicto.*
Vita prior,cunctísque malis laxatier orbis.
Tum tristes morbi,& varij subiere dolores:
Et corrupta satis dira pinguedine tellus
Lœtali quædam suffudit germina succo.
Inde truces sæuire feræ,dudúmque timentes
Excitat ad pugnam tunc primum conscia virtus:

Reddit

Reddit & armatas,vnguis, Deus,vngula, cornu.
Ipsa etiam leges elementa resoluere primum
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus,voluuntur & vndæ
Excitúsque nouum turgescit pontus in æstum.
Tunc primum tectis tetra caligine cœlis
Ingratos hominum castigatura labores
Grandineos pauidis fuderunt nubila nymbos.
Atque polus discors inuidit germina terris.
Quin magis ipsa sibi tellus aduersa negauit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.

CAPVT XII.

HÆc mala tum primum gemini sensere parentes:
Posteritas nam quanta ferat dispendia rerum
Vix cui vel linguæ sint centum, ferrea vel vox
Enumerare queat:nec si quem Mantua misit
Mæoniúsque canat diuino carmine vates.
Nam quis tot referat motus?quis talia fando
Euoluat totos qui voluunt sæcula fluctus?
Arma fremunt,crebra quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus sanguis,maiórque sititur.
Quid dicam celsas præclaris cœtibus vrbes
In deserta dari? populos populante ruina
Dispergi,& lacerum vacuari partibus orbem?
Seruitio subdi dominos, famulósque vicissim
Præferri dominis, & belli sorte perire
Sors generis quondam quos claro è sanguine misit.
Et si forte breui requiescant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina leges.
Ius anceps pugnare foro,quo iurgia fratrum
Non leuius votis feriunt quàm prælia telis.
Sed quis vota notet, clament quum facta nocentum?
Quis fraudes & furta gemat gaudente rapina?
Quisue minora fleat si coram máxima fiunt,
Inde minora tamen si summis iuncta notentur?
Nam per se nullum facinus sub iudice paruum est.
Nec datur hic cunctas percurrere carmine fraudes:
Hoc vnum dicam breuibus, post damna priorum
Nil superesse mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret,plenus scelerum, plenúsque dolorum.
In casu discrimen habent, & crimen in actu.

CAPVT XIII.

SEd tu Christe potens cui semper parcere promptum est,
Tu figulus massam potis es reparare caducam,
Et confracta diu ac resoluta refingere vasa,
Qui dudum in vili latitantem puluere drachmam
Luc. 15. Clara euangelij verbíque ardente lucerna
Inuestigasti. magni tu pastor ouilis,
Qui procul à caulis longóque errore vagantem
*Luc.*15. Quæris ouem:vtque suo gaudens reddatur ouili,
Sarcina fit quæ cura fuit nec quærere tantum
Illa satis cœlestis habet clementia Christi:
Ni ferat impositam tergo,atque in ouile reducat.
Vtque vnam ex ouibus stigij de fauce barathri
Infernique lupi crudeli ex ore receptam
Accipias,euangelicus te filius ille
Iunior instituet: pecudis qui forma reuersæ
Quid fugias docet:& lapsus quo denique pacto
Ad meliora queas pacato patre reuerti.
Historia filij prodigi. Ille quidem exhaustos postquam dispersit aceruos:
Vitáque consumpto mutata est prodiga censu:
Turpia porcorum digne conuiuia sectans,
*Luc.*15. Optauit siliquis compleri vilibus aluum:
Donec sæua fames longo discrimine victum
A Cogeret offenso tandem se reddere patri:
Confessúmque reum laxato crimine solui.
Quem mox prostratum mitis pater alleuat vltro:
Et trepidum blanda solatur voce pudorem.
Quin & quem loquitur,facto testatur amorem:
Nam reduci ornatus vestis dat prima secundos,
Lætáque solennis celebrat conuiuia cœtus:
Quod rediuiua suis quondam de funere proles
Surgat,& orbato redeant noua lumina patri.
At tu cunctipotens hominum rerúmque creator, *Oratio ad Christũ.*
Quanquam omnes fieri saluos cupis, atque beatos:
Nulla tamen pateris nostræ dispendia mortis.
Nec mundo pereunte, tuis contingere damnum
B Diuitiis poterit:nescis decrescere,nescis
Augeri, & pleno perstat tibi gloria regno.
Sed famulis id redde tuis quod perdidit Adam,
Quódque tulit primum viciatæ stirpis origo,
Ortu restituat per te pia vita secundo.
Forma vetus nimium lacero circundata peplo,
Iam veteri scissam ponat cum crimine vestem.
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Olim seminecem miserans tu forte repertum *Luc.* 10.
Inque via abiectum (quem non multo ante latrones
Præterea inflictis spoliarant vndique plagis)
Hanc tu Christe viam sumpto dum corpore curris
C Allisum reperis,nec deseris:insuper ægrum
Carnis iumento importas,& vunlera sanas.
Non secus inferni qui dudum præda latronis
Multiplici exanguem trahimus præ vulnere vitam:
Nullum aliud præter te vnum solamen habemus.
Quod si nunc medico, curabit vulnera fotu.
Gratia designata oleo, sapientia vino.
Et samaritani nos extera cura fouebit:
Pelletur validus medicato corpore languor,
Ergo qui non vis moriendi crescere causas, *Nolo mortem morientis,dicit dominus:reuertimini & viuite. Ezech.*18
Nec peccatorum crudelia funera quæris
Sed magè conuersi vt viuant:blando excipe vultu
Quos confessa tibi gemitus pia pectora fundunt,
D Vt quondam tecum passæ sub tempore carnis
Proximus immani pendens de stipite latro, *Pij latronis cõfessio.*
Quem non culpa tibi similem sed pœna tenebat,
Confessi venia supplex est criminis vsus.
Ille etenim non vt membris,ita corde ligato,
Etsi confixas clauis extendere palmas
Non potuit,liber mentem cum voce tetendit:
Sícque reus, scelerum quum digna piacula pendit
Martyrium de morte rapit: cui fine sagaci
Prouida cura fuit tales non perdere pœnas:
Præripuítque aditum moriens,cœlóque leuandus
Ardua sublimi tenuit compendia saltu.
Porrige sic nobis celsam pater inclyte dextram
E Nos quoque perpetuæ consortes effice vitæ:
Atque profanati deceptis fraude latronis
Vt tibi compasso miserens succurre latroni.
Liuida quos hostis Paradiso depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia sedi.

D. ALCHIMI AVITI VIENNENSIS Archiepiscopi, Liber quartus De diluuio mundi.

CAPVT I.

INfectum quondam viciis concordibus orbem
Infandúmque nefas cœlo vlciscente piatum

Diluuio repetam:sed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum sparsisse per amplum
Deucaliona refert dirum genus vnde resumpti
Descendant homines,cunctisque laboribusapti:
Saxea qui duræ monstrant primordia mentis:
Sed veri compos fluctus nunc prosequar illos,
Per quos immissus rebus vix pene creatis
Lactentem velox præuenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus ausis
Ingentes animos: omni pro lege voluntas
Sola erat:vsque adeo conuersi in crimina mores:
Ius hominum nullum,tum nil distare putatum
Fásque nefásque inter:recti custodia nunquam,
Non iudex,non testis erat,non denique rector,
Arbiter aut morum,vel qui suaderet honestum:
Sed princeps sibi quisque fuit,virtute nocendi.
Nec meritis sed mole potens qui fortior esset,
Hic melior sibimet sese censore placebat.
Brutorum quàm hominum vitam magis esse putares,
Nam diuinum in se non intellexit honorem
Mens humana situm: brutóque simillima facta est.
Sanguis potus erat,cæsorum viscera passim
Indomitis laceras præbebant mentibus escas.
Insuper & quadrupes,si cuiquam humanius esset
Ingenium,mediis vel mortua belua campis
Pastus erat:tum nulla fides, lex nulla vigebat.
Quàm vero pecorum ritu permissa voluntas
Et diffusa palam ruptis lasciuia frænis
Luxuriæque forum,atque obscœni nundina mundi
Ferueret,castis fas non est dicere musis.

CAPVT II.

TAlibus ac tantis hominum gens improba gestis
Syluestres animos naturæ fœdere rupto,
Induerat: pulsáque procul ratione furebat,
Desertáque Dei cœlestis imagine,prorsum
Omne decus menti turpi deiecerat actu.
Similitudo pulchra Haud secus ac pulchri quum fertilis area campi
Quam succisa dedit purgato robore sylua,
Tempore dum colitur iusto,& mordacibus illis
Subiicitur rastris, respondet frugibus,ac se
Seruat composito ruralis gratia vultu.
Contra autem exercere solum si negligit,aut si
Agricola oblitus sua brachia forte remisit,
Laxauitque manus,fessóque quieuit aratro:
Pigrescit primum durato cespite tellus:
Mox rudibus ramis atque aspera palmite crebro
Disciplinatos dissuescit promere fructus:
Et frutices mittit,syluámque minatur inanem:
Quàm si nec sera succisor falce repurget,
Non iam virgultis, sed denso stipite lucus
Texitur, & steriles diffundit in æra frondes:
Donec concluſa ramis currentibus vmbra,
Mox importunæ depulso sole tenebræ
Ad secura feras inuitent ludere lustra.
Taliter humani generis non ordine recto
Perdita mandatæ iam post primordia legis,
In prauum labens paulatim vita tetendit.
Proficiens peiore via,constantior ipso
Iam paribus studiis nutriti criminis vsu.
Et tamen auctorem vicij culpæque magistrum
Doctior erratis, lapsúque peritior omni
Succiduæ prolis crescens audacia vicit.

CAPVT III.

AVT fluuius primum parua diffusus ab vrna
Perspicuum læto promit qui gurgite fontem,
Tramite quem summo facili transmittere saltu
Quisque potest,mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur subitis,ripásque retrorsum
Pellens,crescentes pellit per plana liquores,
Occupat & spacium, percúntique imminet aruo:
Tunc circunfusos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens,externásque incipit vndas
Augmento finire suo, mixtásque sub vno,
Nomine, corrosis diffuso gurgite terris
Cum trabibus flabulísque boum,lustrísque feratum
Sæuior accessu longóque furore potitus
Tandem desistens pelagi transportat in vndas.
B Sic eius motus similísque ad turbinis instar
Humanum vicijs ibat genus: & tamen ipsa
Longius insanas mentes dissoluerat ætas,
Centenos nouies crebro quum duceret annos
Vita tenax,tanto suspensi tempore lucri.
Nullus terror erat,quod si qui debita læto
Iura darent,ferréntque assuetæ funera mortis,
Perpetuam interimi fragili cum corpore vitam
Credebant:æui sic cunctis nulla futuri
Spes inerat,solúsque sibi fundauerat omnem
Sensibus in cæcis periturus mundus amorem.

CAPVT IIII.

Tempore quinetiam peccatrix terra sub ipso *Gigantes.*
C Nutribat sæuos immania monstra gigantes,
Nec tamen effari solitum quo semine cretos.
Communi cunctis ortum de matre ferebant:
Qui genus,vnde patres,prohibent archana fateri.
Si speciem quæras humani corporis illis,
Plus vultus quàm forma fuit: sic linea membris
Conueniens, hominem mõstrabat, dissona molem.
Quapropter deinceps commentis Græciá fictis *Commenta Græcorum de gigãtibus.*
Dedecus infandum massis informibus auxit:
Et portentosis descripsit corpora membris:
Pube tenus quum forma viri, quum corporis ima
Supplerent vasti mixto pro crure dracones,
Artus semihominum patulis qui faucibus,imo
D Integros viuósque homines crudo ore vorarent.
Tunc etiam aiebant diro terrore, tonanti
Blasphemis cœlo conuicia mittere plantis
His similes mendax Phlegræi fabula belli.
Excussas finxit iecisse per aëra rupes:
Pro telis,spacioſa manus quas turbine mentis
Sparserit, & missis cœlum quassauerit aruis.
Hæc sunt priscorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito graij cecinere poëtæ:
Qui cœlum aduersus prauis contendere factis
Institerint, nec iam missis confligere telis
Quum possent,diris agitarint prælia votis.
Montibus impositos nec enim fas credere montes,
E Hoc tamen & deinceps illos tentasse putabo
Qui coctos lateres,lentóque bitumine iunctos *Gen.11.*
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli & celsas in sidera surgere moles:
Quum fureret mortale genus, cassóque labore
Irrita conscensis commenta inferret in altum
Nubibus, & refugum sequeretur machina cœlum
Non prius absistens,subitas discordia linguas
Quàm daret:& varius confunderet omnia sermo,
Hinc sparsum fœdus diuisa lege loquendi
Quod scelerum assensu turbata superbia rupit.
Sic interruptæ perierunt culmina massæ:
Effectúque carens cessauit in æthere turris.

Hæc

Hæc post diluuium: nam quantas tempore prisco
Pressa gigantæas tellus produxerit arces,
Atque lacessitis contemptum immiserit astris,
Abstergente Deo dira eluuione docemur.

CAPVT V.

CErnebat patiens iamdudum insana furentes
Terrarum populos hominum rerúmque creator,
Expectans si quem vani consortia mundi
Linquentem melior moneat respicere cura:
Sed coniuratus(postquam percurrere cœptum est)
Perditionis iter statuit, sensúsque per omnes
Obtinuit victor peccati insignia mundus.
Nec reuocare gradum à viciis, gressúmque referre
Cuiquam erat in vetis:id tandem exhorruit auctor. B
Pœnitet me feciſſe eos. Pœnituítque illum miseri quem fecerat orbis.
Gen. 6. Tum tales tonuisse minas commotus ab alto
Fertur & excitas laxasse his vocibus iras.
O nullis illecta bonis,nullísque repressa
Legibus,antiquo tantum submissa draconi
Effera gens hominum,ducto corruptior æuo.
Non Enam cecidisse sat est, transcendit & omni
Crimine compertor lætitnec sufficit illud
Vicit inexpertum serpens quod pristinus Adam.
Non contenta sui fœdari crimine patris
Addidit ipsa suos mortalis vita reatus.
Expectasse diu nil profuit: insuper omne
Concessum veniæ rapuerunt crimina tempus.
Iam nimium longas patientia continet iras,
Vindictæ iam tempus adest:nec fulmine terras
Flammeus ardor aget:vasto nec cedet hiatu
Quæ premitur nimio tellus insana tumultu.
Sed vitiis sordens fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum species mundana recurrat:
Inque suas redeant vndarum pondera sedes.
Arida concedat lymphis,rursúsque sepultas
Terrarum species informis conregat humor.
Hæc clades homini,carníque hic terminus esto.
Sic pater æternus disponens funera rerum,
Diluuium dextera terras vibrabat in omnes.

CAPVT VI.

INterea pleno viuebat iustus in orbe
Vnus homo, & mentem solus seruabat honestã:
Nullus vota Deo donis precibúsque ferebat
Hunc præter:summus quem dignum laude creator
Nosset,& exceptum vitæ seruare pararet,
Stemmatis hic sacri nam claro nobilis ibat
Enoch in cœlum viuus raptus. Gen. 5. A proauo,quem prisca fides & conscia virtus
In cœlum sine morte tulit: sic celsa petenti
Successit magnis non impar filius actis.
Nec minimum est illum salui cum corporis vsu.
Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.
Quanquam quo Noë proauus conscenderat Enoch
Quarti Reg. 2. Elias cursu post tempora longa secutus
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis,
Quum suspensa leues transmitteret orbita ventos,
Vngula vel premeret cassato pondere nubes,
Vallatúmque ferens sanctum non vreret ignis:
Et motus seruens nesciret flamma calorem.
Nos igitur satis est cœlum potuisse mereri
Membrorum sub lege sitos:sed non amen illud
Segnius admirer,sancti quòd tempore Noë
Vnius ob meritum natis nuribúsque tuendis
Orbis in exitio adlatam nouere salutem.

CAPVT VII.

ESt ille in cœlis numeros qui præterit omnes
A Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebrátque Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria,& iussis parere supernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis sacro quod pectore votis,
Quicquid larga manus collectis spargit egenis
Excipiunt,sanctóque ferunt super astra volatu.
Quinetiam iustos fragilis dum vita fatigat
Tutantur,mundíque inter discrimina seruant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille *Gabriel.*
Maxima quæque Dei quo dispensante ministro
Res geritur; rebus mysteria qui parat altis.
Hic dominum cœli venturum corpore sumpto
Virginis intactam iussus prædixit in aluum: *Luc. 1.*
Sacráque dotali compleuit viscera verbo
Hic & baptistæ præcurrens nuncius ortum *Luc. 1.*
Desperata diu dum ferret germina patri,
Inter sacra virum conterruit:& dubitantes
Protinus insolito restrinxit more loquelas:
Donec prædicto fœcundam redderet ortu *Zachariæ mutus.*
Prolis anum:multos sterilis quæ denique in annos
Fudit diffidens effœta puerpera fœtum.
Hic rerum solers summúsque Archangelus ille
Aëra per liquidum leuibus circundatus oris,
Vibratásque mouens ignito in corpore pennas,
Nulli conspectis ad terram motibus ibat.

CAPVT VIII.

ET tum forte gemens cunctorum crimina Noë
C Inflexis stratus genibus cum supplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat,
Quum subito clausis foribus tamen aliger intrat
Conspicuus claro resplendens nuncius ore.
Horrescit visu tanto pertertitus heros:
Mortalísque oculus fulgorem ferre supernum
Vix valet:& pauidi detorquent lumina vultus.
Ille salutiferis primum mulcere timentem
Aggreditur verbis,cœlísque exponere iussus,
Hæc per me summus pelagi terræque creator
Imperat,Vt primum concessa pace quietus
D Excipias:nostrísque fidem des optime verbis.
Insperata quidem cunctis sententia læti
Imminet:hanc solus sedenim tu euadere cladem
Et præscire potes:nam te calcata voluptas
Iampridem rectum toto discreuit ab orbe,
Vnica sed quoniam sæuo te excludere lœto
Forma modúsque potest:tantos euadere casus
Qualiter incipias,paucis ex ordine fabor:
Finis erit rerum permissis vndique lymphis: *Gen. 6.*
Atque relaxata vastabitur orbis abysso.
Nunc age congestis crescat fortissima lignis
Machina,quæ surgens fluctus superenatet omnes:
Tercentum cubitos per longum ducta tenebit
E Bisquinis latè claudetur, bisque vicenis
In triginta illi constabit culminis altum,
Tristegáque hic facies, simul & cœnacula in illis
Cuiúsque asseruans animalia plurima formæ:
Queis statues variis discreta cubilia cellis,
Tum ne rimosi compagum forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, memor esto linire
Iuncturas laterum,pigrúmque infunde bitumen.
Taliter effectam quum consummaueris ædem,
Protinus ingredere,ac mundum dimitte cadentem;
Excluſit quem culpa frequens,includere clades
Incipiat:circúmque fremant te fospite mortes.
Quinetiam lateris sociam succedere tecto

Et cum coniugibus natos intrare iubeto.
Túque secundus eris deleti germinis auctor:
Vt te post primum repleatur terra parente:
Sed quia perfecto diuinis viribus orbe
Post operis finem, post leges, póstque sacrata
Sabbata, formari quidquam non conuenit vltra:
Ne penitus cessans intercidat omne creatum,
Spirantum è cunctis pecorum, celerúmque volucrũ
Syluarúmque foris, iumentorúmque potentum:
Vel quæ per tractos reptant labentia motus:
Bina cape: & tecum clausto victura reconde:
Sic tamen vt proprios teneant sua vincula sexus,
Vnde genus rursum tellus implenda resumat.
Nec timeas ne forte feros animantia motus
Seruent, aut solitis præsumant rictibus iras:
Fœdus erit cunctis quæ discordantia profert
Per varios natura modos: & pace fideli
Parebit iussis quidquid concluseris illuc
Serpentis tantum semper figmenta cauето:
Vertice submisso blandum licet ille trisulcis
Finxerit abscondens per dulcia sybila linguis
Immortale odium: nec quidquam si sapis illi
Credideris, blando sermone infidus inescat.
Nam quicunque semel lædendi quæsiit artes,
Hic semper suspectus erit: pevitúsque cauendum est
Ne iam mentito coniungat fœdera prudens.
Tu post exemplum iussis seruire memento.

CAPVT IX.

HÆc fatus, vacuum leuibus secat aëra pennis,
Mortalem fugiens aciem: cœlóque relatus
Heroem trepidum mandata lege reliquit.
Ipse tamen tali manibus cum voce leuatis,
Quisquis ait, nobis tantam spondere salutem
Seu missus seu sponte venis ex æthere celso,
Et placidum fausto confirmas fœdere pactum:
Sis fautor, firméntque tuas promissa loquella:
Auxiliúmque tuum conatibus insere nostris:
Vt tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breuiter dictis vitæ spem corde reponit,
Aggreditúrque celer sacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat sensus? quis denique sermo
Explicet, aduectis fuerit quæ copia lignis?
Nudati colles, spoliatis arbore syluis
Iam sua certatim concedunt robora montes.
Pelion immensas mittit de vertice quærcus:
Insuper exponit multa virtute recisum
Ossa nemus, Pindóque abies subducitur alto.
Athlas ipse nouas ictu resonante secures
Sensit, & annosas dedit ad naualia pinus.
Inuisum tunc surgit opus: contexta leuatur
Porrectis trabibus præcelsi culminis ædes.

CAPVT X.

HÆc inter, discors varij sententia vulgi:
Nam multis lymphis obstacula tanta parantẽ
Irrisere virum: moles quòd clausa moueri
Fluminibúsque dari nequeat: quam forte nec ampli
Euphrates Nilúsue queant includere tipis.
Humani generis quid mens incredula teris,
Mortalem non posse manum conũgere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obuius vltro
Curret, & adductum tanget stans fabrica littus.
Ast alios celsam compacto robore massam
Ignaros quanquam cladis caussæque latentis,
Mirari nouitas, & formidare coëgit.
Haud aliter studium iam tunc diuiserat omnes
Quàm nunc mundus agit. Sunt qui cõpuncta fideli
Corda dicant operi rebúsque instare supremum
Discrimen norunt: corpus quum concidet omne
Bacchatámque diu consument secula carnem:
Effugiet tunc ille malum quicumque paratus
Præiuri validam ædificarit tegminis archam,
Per lignum vitale Crucis seruatus ab vndis:
Tunc cernet quanto contempserit ocia fructu.
Hic tamen interea sudantem operíque vacantem
Nónne piger lucri quisquis tædénsque laboris
Insanire putet: cuta quòd solus inani
Aestuet, & rebus nolit pereuntibus vti?
Sic epulans parcum, sic largum quisquis auarus,
Sic nudum raptor, sic castum ridet adulter.
Sic circumscribens illuso simplice gaudet
Sic sapuisse dolet diues cum congregat aurum
Spargentem nummos varios in pauperis vsus:
Consumptis opibus miserum ratus esse beatum.
Ergo repentinum iudex quum cerneret orbi
Aduentare diem, finis sic protinus inquit
Imminet, vt iusti quondam sub tempore Noë *Mat. 24.*
Diluuium varios mundi quum reperit actus,
Et carnem consumpsit aquis opifexque salutis
Euasit facto diffusa pericula clausto
Hæc Euangelicis sunt inclamata figuris.

CAPVT XI.

PRouidus interea consummat conditor archam
Tunc iussæ accurrant volucres, tunc bestia quæque
Consuetum linquens syluoso tegmine lustrum,
Deposita feritate venit: seséque tenendam
Ingerit occurrens & libertate relicta
Includi gaudet, tantum decreta futuri
Vis valet: occultus brutis in sensibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mentem.
Ast homines quos sors certi discriminis vrget
Vicina nec morte pauent: sic vindice cœlo
Securos lætósque reos tellure Gomorræ,
Iam prope sub flammis sententia dicta videbat.
At contra Niniuæ populis terrore salubri
Præualuit pro pace metus: iam venerat illuc
Iussus multum ille, & terris iactatus & alto, *Ionæ.*
Qui clamaturus tantę discrimina plebi
Diluuium timuit mundo constante propheta.
Hauserat hunc valido peruadens belua rictu,
Immersúmque mari ventris concluserat archa: *Ionæ. 2.*
Deglutire virum, fauces implere capaces
Non licuit, mordere tamen, nil dentibus actum est
Sed cupidum intrauit deludens præda vorantem
Inuasúsque cibus ieiuna vixit in aluo.
Dúmque illum ternos agitasset belua soles
Et noctes totidem ac littus vacuanda viderent,
Tunc castigatum vomuere ergastula pastum.
Vt monstro exutus vates, cœlúmque recepit
Contingens terras: magnam tunc percitus vrbem *Ionæ 3.*
Terribili cum voce petens vis criminis inquit
Ardentis nisi pœniteat, purgabitur igni.
Iámque venit finis, lentum est hoc dicere vênit,
Non plus fatus erat, totus coniurat in omne
Lamentum populus, concurrunt vndique fletus,
Pectora tunduntur, cœlum suspiria pulsant:
Mollibus abiectis cilicum dant tegmina setæ,
Inque cibos cineres, lachrymas in pocula fundunt.
Ipse etiam dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla salutis.
Atque nouum dictu, metuens discrimina vincat.
Proiicit hinc sceptrum, linquit sublime tribunal,

Pallia

Pallia blattarum spreto diffibulat auro,
Serica despiciens atque aspera tegmina sumens.
At pius ex alto contemplans talia rector,
Exertas reuocat sedatis motibus iras:
Vibratúmque tenens restringit missile ferrum.

CAPVT XII.

ERgo vbi collegit syluestres vndique sexus:
Inclusítque feras pecudum, tunc eligit illa
Sumere quæ licitum est, & ob id iam mũda vocãtur.
Hinc centum septena dedit viuentia clausto:
Vt ternis paribus seruato semine saluis
Septima quæ fuerint sacris quandóque litentur.
Et iam vitalis concluserat omnia carcer:
Tunc iustum cunctósque suos natósque nurúsque
Accipit expectans clausstrum, vitaéque reponit.
Nam seruos mundum dederat natura vocari:
Nec dominos famulis discernere nouerat ordo.
Initium seruorum Gen. 9. Primus enim maculam seruili nomine sensit
Huius natorum medius, qui forte cachinno
Distectum petiit misero spectamine patrem,
Materiámque sui risit deformior ortus.
Quod postquam sanctus Noë resciuit in iras
Ardet, & irrisi seruum pro crimine patris
Germanis iubet esse suis: primum inde repertum
Seruitij nomen: cuncti nam semine ab vno
Prodiimus, patrémque omnis sibi vendicat vnum
Posteritas: déque ingenuo mala crimina seruum
Efficiunt: quod si vitam post degat honestam
Natales faciens sibimet iam nobilis inde est.

CAPVT XIII.

NVncius interea dudum qui missus ab alto
Detulerat iusto cœlestis munera verbi,
Vt clausam vidit perfectis omnibus archam
Expectare diem: rursus descendere cœlo
Festinans laxos firmauit cardine postes
Inclusítque viros, atque hostia fortia traxit.
Confestímque leuans supero se retulit axi.
Æuo sexcentos senior transcenderat annos,
Gen. 7. Lunáque bisplenos addebat menstrua cursus,
Septimus & decimus qui post illuxerat orbi.
Vltimus ille dies iam tunc dedit omnia læto.
Hic statim obtegitur cœlum nimiísque tenebris
Victa repelluntur fuscati lumina solis:
Insanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat: insolito mox profluus æthere nymbus
Et valido primum similis demittitur ymbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem.
Vna fuit toto facies & nubila cœlo.
Aegyptus tunc ipsa nouas expauit ad vndas.
Alsit & infusus Garamas, dudúmque calentes
Humida massillas tetigerunt frigora Syrtes.
Nec longum pluuiæ species, non denique guttæ
Stillant, sed rupto funduntur lumina cœlo.
Similitudo. Non aliter Tanais niuibus cum pascitur albis
Ryphæo de monte tuens illiditur amni:
Præcipitátque simul longo quod tramite ducat.
Vndarum tali quatitur certamine tellus:
Fítque lacus instar compressus fluctibus aër.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere superna
Terrestres etiam mundus consurgit in iras.
Rumpitur omne solum, crebros dant arua meatus.
Profiliunt fontes: signotáque flumina manant:
Vergitur in sursum mutato pondere nymbus.
Inde cadens cœlis, hinc terris vndique surgens:
Occurrit mox vnda sibi, iunctóque furore
Coniurant elementa neci, transcenditur omnis

Riparum limes fluuiis, atque obice rupta
Sæuit laxatis discurrens humor habenis.
Sed cum diffusæ spacium concludere terræ
Omnia certarent: mundúmque implere capacem:
Suspendi forsan potuit sententia læti,
Atque mora maiore trahi: quo tardius omnem
Concedens spacium rapiat mors vltima carnem.
Ni pater oceanus mundum indignatus in ipsum
Qui terras omnes tantum vno littore cingit,
Exiret rumpénsque fidem perfuderet arua.
Ergo vt peruersi vindex crudelior orbis,
Dissipat æternas leges, & sede relicta
Regna aliena petens, naturæ fœdera turbat

CAPVT XIIII.

VT duros primum pelagi sensere furores
Illustres fluuij, magnos quos inclita cursu
Forma refert: motúsque nouos stupuere parumper.
Vt credas sapuisse fugam mox versa retrorsum
Vndarum in terris sublata volumina spargunt
Insequitur tamen oceanus: refugíque fluentis
Imminet: & falsis impellit motibus amnes.
Tunc maior strepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus: ascendunt turres, & celsa domorum
Culmina: præsentémque iuuat vel tempore paruo
Sic differre necem: multos dum scandere tentant
Crescens vnda trahit: quosdam fugitare volentes
Consequitur, cursúque fugam deprendit inanem.
Ast alij longo iactantes membra natatu,
Defessi spirant animas: aut pondere nymbi
Obruta flumineas immixta per æquora lymphas
In quocunque bibunt morientia corpora monte:
Ædibus impulsis alij periere ruina:
Cúmque vndis fluxere simul dominúsq; domúsque.
It fragor in cœlum, sonitu collectus ab omni:
Quadrupedúmque greges humana in morte ruentũ
Augent confusos permixto voce tumultus.
Hæc inter miseri feruentia funera mundi
Prægrauis insanis pulsatur motibus archa,
Compagésque tremunt, stridens iunctura laborat.
Nec tamen obstructam penetrat vis improba: quãquam
Verberet, & solidam fluctu feriente fatiget:
Non aliter crebras ecclesia vera procellas
Sustinet, & sæuis nunc diuexatur ab vndis: *Archa Noe ecclesiam præfiguravit.*
Hinc gentilis agit duros sine more furores:
Hinc Iudæa fremit, rabidóque hanc impetit ore.
Hereséon vesana furens exinde carybdis
Concutit, & Graium sapientia stulta sophorum.
Quæ quanquam inter se vario certamine pugnant,
Debellanda tamen si quando ecclesia, gaudent
Consensu vnanimi Christi consurgere contra
Nauiculam: & vanis mendacia fingere verbis.
Sed clausam vacuo pulsant impune latratu.

CAPVT XV.

IAm medium crescens archæ contexerat vnda,
Commorátque cauam suspendens vndíque molẽ:
Sed melius tutam facili portante natatu.
Quóque vocant vndæ sequitur iam mobile põdus,
Sic nos seruati meliora in tempora, mundo
Cedere discamus dum ducimur: omne resistens
Si flecti nescit metuat vel pondere frangi
Sed sic cedamus fluxum ne sentiat intus,
Peccatúmue trahat mens impenetrabilis vllum.
Nauigat interea claustro commissus eunti
Fons vitæ: seruátque furens super omnia pontus
Orbis depositum, fido quod tegmine promat:

Quum pax terrarum reddi sibi debita poscet.
Sic fluitanti vndæ tellus subducitur omnis:
Quinetiam inflatæ liquidum super æthera summis
Collibus impositæ vicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum piniger Othris:
Parnassi vertex cautem non protulit altam.
Ipsa cupressiferi latuerunt saxa Licæi:
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus alpes,
Exclusis domibus totus iam denique mundus
Axis & vnda fuit: nam cunctis morte subactis
Regnabant pelagi syluoso in gurgite monstra.

CAPVT XVI.

ETiam vicinum pulsabant humida cœlum:
Iámque quater denis manabat noctibus imber:
Complerátque necem, nec mors quod colleret vltra
Gen.8. Inueniens iustum audebat contingere Noë:
Frænantur tandem pluuiæ, resplendet & æther,
Redditur & cœli vultus, sólque ipse reductus
Sed non inuentis qui reddat lumina terris.
Tantum in aquis lucens tristis videt æquora fulgor.
Quúmque etiam radios admotas frangit in vndas:
Tum consumendis feruens ac proximus instat.
Non minus & patuli tractæ clauduntur hiatus:
Quæque prius vomuit lætali ex ore fluenta,
Obicibus propriis constricta resorbet abyssus.
Nec tamen vt breuiter concreuerat, vnda recessit:
Siccant non pauci longo sub tempore menses,
Quod pauci fudere dies iam ducta natatu.
Armeniæ celsis instabat montibus archa:
Et nondum nudis fundo consederat aruis:
Vt stabilem sensit senior, motúque carentem,
Nec fluitare natans ventosa per æquora lignum:
Credidit abductis nituisse liquoribus orbem.
Tunc reserat summam sublimi à fronte fenestram
Emissa resluos exploret vt alite fluctus:
Columbæ emissio. Illa volans longo diuerberat aëra plausu,
Pennarúmque leues diffundit motibus auras.
Quúmque diu fessis vndas perstringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet vllus:
Consuetum reperit prospecto ex æquore claustrũ.
Exceptam senior manibus tunc colligit intus:
Aduertens nullas patuisse per humida terras.

CAPVT XVII.

INterea magna pontus se mole mouendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat:
Excelsi tandem proferre cacumina primum
Incipiunt, post quos parui crebrescere montes.
At vero vt pelagus cinxerunt littora priscum:
Oceanúsque sacer notas collectus in oras,
Contentus solito labentia flumina tractu
Sorbuit, & cunctis distrinxit fræna fluentis:
Torrentésque suæ clauserunt vndique fossæ:
Libera subductis nituit mox arida lymphis.
Tunc interposito producens tempore coruum
Scire cupit senior, vacuúmque interrogat orbem.
Ales vt extensis nitidum petit aëra pennis,
Aspiciens plenis immensa cadauera terris,
Carnibus incumbens, & mox oblita reuerti,
Rectorem placidum communi in sede reliquit.
Pulchra similitudo. Sic nescis Iudææ fidem seruare magistro:
Sic carnem dimissus amas, sic gratia nunquam
Custodi vitæ dominóque rependitur vlla.
Mente vaga sic lassus abis, sic fœdera legis
Rupisti, & primum violasti perfide pactum.
Temporis vt spacio senior collegit inertem
Iam potuisse suis coruum se reddere claustris:
Ignarus tardi reditus, causæque morandi,
A Ne fors innexis fessum consumpserit alis,
Iunxerit & cunctis peruntibus vnda recurrens:
Protinus albentem mittit de sede columbam.
Illa memor iusti rapido petit arua volatu:
Paciferúmque videns ramum viridantis oliuæ.
Decerpit mitíque refert ad condita rostro.
Tali legatus firmauit fœdera simplex
Iudicio, purúmque pius sic comperit orbem.

CAPVT XVIII.

INTEGER immensum vertebat circinus annũ *Gen. 8.*
Quo fœlix claustrum spirantia cuncta tenebat
Tum pater ablatis obducta repagula valuis
Pandit, & inclusis dissuetum reddere solem
B Incipit effesso redeant vt semina mundo.
Ante tamen iustus iubeat quàm sparsa vagari
Singula de septem quæ dudum claudere munda
Curauit, natis pariter nuribúsque vocatis,
Cespite constructa disponens immolat ara:
Accendens sanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numerosa leuat perpinguem victima fumum:
Suauis odor tetigit lætum trans æthera cœlum,
Primáque purgati suscepta est hostia mundi:
Tunc igni permixta sacro vox intonat ista.
Hactenus infectus contagia traxerit orbis:
Sufficiat tranasse nephas, mundata lauando
C Perpetuo manent tellus, vultúsque reductos
Contineant elementa suos: haud amplius vllis
Perturbata malis moles mundana fatiscat.
Vos quoque quos læti saluauit tempore vita
Inclusósque tenens casu defendit ab omni,
Ducite securum seruatis legibus æuum:
Vósque caput genetis fœcundo semine prolem *Gen. 9.*
Spargite, diffusum late quæ compleat orbem:
Deletum instauret numerum, dominetur & orbi:
Fertile quinetiam reddant animantia germen.
Porro autem terris ex hoc iam non erit vltra
Diluuium regnans: carnem quod conterat omnem.
Vnum quod fuerit signo monstrabitur vno.
D Nec similem repetita necem peccata videbunt: *Vnicũ baptisma vni eo diluuio figuratũ.*
Et si crimen erit terror non deerit alter.
Sic vnum genitor iurans baptisma sacrabat,
Vt semel abluto lymphis purgantibus orbe.
Baptismum haud liceat nobis sperare secundum.

CAPVT XIX.

VIx tribus exactis cœli iam partibus ibat
Pronus in occasum radius quum forte remotã
Axe sub eoo iussus contingere nubem
Protulit excussum madefacto ex aëre signum,
Arcus & enituit quam nunc tamnatida Graio
Irim Romuleo vocitant sermone poëtæ.
Pendulus obliquum solem cum senserit humor,
E Ancipites vario mittet splendore colores.
Nec numerare queas, sic mixtos lumine visus
Multiplici illudunt diuersis vultibus orbes.
Saphyrino, viridi, maculoso, cerulo, & albo.
Purpureum de nube trahit, de sole coruscum,
De cœlo rutilum, de terra sumit & atrum.
Et nunc abiunctis quæ constant hæc elementis
Sic diuersa putas, vt concordantia cernas.
Hanc formam signo trepidis mortalibus arcus
Præstitit esse Deus, promittens nube serenum *Arcus fœderis Christum figurauit.*
Nullaque iam terris debere pericula cœlum.
Num quisquis semel adlatam seruare salutem
Optas, signatum potius signo inspice Christum:

Verus enim atque vnus firmati fœderis arcus
Ille Deum atque homines inter: qui virgine carne
Virgineo ex vtero sumpta, iam munere lucet
Multiplici in cœlo varius, sed fulgidus omni.
Hunc coram inspicies quisquis baptismate tinctus
Ad cœlum liber culpis pereuntibus ibis.
Quod vero sparsis Noë saluatur in vndis
Baptisini hinc formam Petro testante docemur
1. Pet. 3. Baptismꝰ præfiguratus. Archa vetus Noë, Christi est ecclesia: per quam
Extra etiam quam nemo potest saluarier: ergo
Quicunque es Christi baptismate lotus in archa,
Hoc votis precibúsque petas, hoc fletibus opta:
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leuentur,
Mortua ne surgant, ne debellata rebellent.
Ne post ablatum valeant discrimina crimen
Et flammam timeas quia iam non suppetit vnda.

D. ALCHIMI AVITI VIENNENSIS Episcopi, Liber quintus De transitu maris rubri.

CAPVT I.

MActenvs in terris vndas sedisse canenti
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluuium quos perderet ante petiuit,
Hic ad diluuium pleno succensa furore
Exod. 1. Sponte sua current perituræ milia gentis.
Sustinuit duros externa in sede labores
Quum pelusiacæ seruiret subdita genti
Plebs oppressa diu: densi quam pondere cœni
Et laterum numeris operis mensura diurni
Afflictam sæui vexabat fraude tyranni:
Inuisam sibimet frendens qui crescere turbam,
Augeri doluit famulos: namque ille vocatis
Cunctis Aegypti obstetricibus, imperat illis
Vt quoscunque mares lux alma emittet, ad vnum
Interimant: solæ euadant ea fata puellæ:
Sed tamen auersæ fugerunt talia matres:
Atque interdictos renuerunt perdere fœtus,
Persistente Deo plebem diffundere sanctam.
Quoque magis mens cæca trahit crudelia pacta
Hoc plus accrescunt teneræ primordia gentis.

CAPVT II.

VIderat interea genitor de sede superna,
Afflictámque manũ placido prospexerat ore:
Iam sacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanserit æstu.
Quo signo spinas nostræ feruescere mentis
Rubus incõbustus. Et lucere bonis qui non consumeret ignem
Sed tenebras mundi auferret pia pectora nossent.
Illicet electi vates mandata ferebant:
Depromit Regi quum primus talia Moses.
Exod. 5. Seruitij longo lassatam pondere plebem
Oppressos cophinis humeros, attritáque colla,
Quásque opus assiduum fecit durescere palmas,
Laxandi iam tempus adest: dimitte precantes
Tandem cœlesti domino persoluere vota:
Et complere datos patrio moderamine ritus.

CAPVT III.

ILle fremens inquit, quæ tanti causa tumultus
Quisue nouus populũ deus exigit omine misso?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cœlestia curæ.
Et dominus dominis famulos nunc tollere priscos
Nostráque vult populũ contemnere iussa rebellem?
Quis Deus iste recens cui nunc parere necesse est?
Est ne aliquid quæso mihi formidabile? verum
Iam video vestras seducunt ocia mentes:
A Et nisi laxatos requies concessa foueret
Nulla superuacuis tererentur tempora verbis.
Quæ si castigans restringat sarcina maior,
Illicitus vetitum conari desinet ausus.
At vos signifero qui talia vota ducatu.
Instruitis, vano & plebem subuertitis ore,
Conspectus vitate meos, vultúmque cauete.
Ditem namque Pharon, vel Pollentissime cursus
Testor Nile tuos, & diuæ vocis Anubim,
Quum rabidus latrat, iam non impune futurum.
Si nostrum rursus repetant hæc dicta tribunal,
Sentiet iratum mens hæc temeraria Regem.

CAPVT IIII.

B VIrgam forte manu gestabat legifer heros, *Exod. 7.*
Huic baculo nitens gressum dum dextra regebat.
Excutit hanc valido proiectam comminus ictu.
Tum mirum dictu, commotum serpere lignum
Non insensibiles ceu promit palmite ramos *Virga in serpentẽ uersa.*
Vita monens tantum, quos altum crescere cernis
Non etiam sentire, sed hic multo amplius actũ est:
Fluxit enim reptans mutati & corporis vsu
Sensum animúmque gerens cœpit decurrere virga.
Mox anguem formata refert: conterritus hæsit,
Aeternúmque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confusum tali succumbere signo
C Cerneret assistens vultu nutante satelles,
Dissimulat peragi cœlesti numine factum:
Nec diuina volens hominum sed gesta putari.
Tum mandat quoscũque magos, & carmina doctos
Illicitam diris tentent vt fraudibus artem.
Vndique tum iussi concurrunt, & medicatas *Magi Aegyptij.*
Armant quique suas noto phantasmate virgas:
Dant iactæ vanas species, anguésque putati
Illusos terrent oculos, fallente figura.
Nec longum tumuere Magi: consumitur omne
Quod fecisse rati, fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.
Postquam virtutis clausit spectacula Moses *Serpentis in virgã reditus.*
D Victorísque tenens erexit in aëra caudam:
Decedit serpens ligno, vultúsque recedit:
Diriguere vagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit virga prior: qua deinde sacerdos
Plurima succiduo monstrauit tempore signa.

CAPVT V.

HInc durum frendens Pharaonis conscius ardor
Diuinæ incœpit per cuncta resistere dextræ
Quæ iam cognoscens nolit tamen ipse fateri.
Protinus exclusos iussit discedere vates.
Illi diuinas pulsant cum fletibus aures,
Vt fremitus gentis tandem frænetur iniquæ:
Quam grauius sæuam monitus fecere superni.
E Ipsis quinetiam cœlestibus arma minantem
Tum pater accipiés gemitus, lachrymásque precãtũ
Taliter hortatu blando solatur amaros.
Ne tantum vacuo submittite corda timori
Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumptam
Elegi & propria solam mihi sorte dicaui.
Iam nunc cernetis quanto primordia vestra
Prosequar auxilio: vestros vt persequar hostes.
Ducam sublimem portenta per omnia dextram.
Nec valet in paucis Pharius Rex cedere signis
Longius vt duram vincant miracula mentem.
Posthæc laxatos etiam discedere coget,
Expellétque solo: quod nunc negat ingeret vltro.

Ibitis ad magnas poſt fortia prælia ſedes,
Qua vocat expectans perfertilis vbere terra
Et claras victis condetis gentibus vrbes.
Vos modo promiſſis tantum confidite donis:
Et quos depoſcent ingentia facta labores.
Læta ferat virtus, ſeſéque ad proſpera ſeruet.
Talibus auditis melior ſpes arripit illos
Attollunt animos, palmáſque ad ſidera tendunt
Concipiúntque fidem votis gratéſque rependunt.

CAPVT VI.

POſtera lux dubios primum præmiſerat ortus
Et ſucceſſorem depulſa nocte ferebat
Inſiſtens aurora diem: tum flumina ſanguis
Imbuit, & ſubito maduerunt arua cruore,
Flumina in ſanguinem. Sed non in minimis portentum contigit vndis,
Fluuiorum Rex ipſe rubet, nec lumine priſco
Nilus agit proprium quem ſumpſit fonte nitorem.
Vndarum vice ſanguis ineſt, non corpore fuſus
Aut hominum de ſtrage, ſed irato delapſus olympo.
Ergo hinc naribus obſtructis victóque natatu
Interiere ſimul peregrini in gurgite craſſo,
Auxerúntque ſuo ſaniem de funere piſces.
Forte & ſanguineus mortis cladiſque futuræ
Indicium iam Nilus erat: qui protinus omnes
Aegypti terras, vel quo patet ampla canopus,
Et portentoſæ tellus vaſtiſſima Memphis,
Imbiberat dirum ſpargens per rura cruorem.
Et iam inter pingues ſtriens defecerat vndas
Aegyptus, ſi non celerem ſuper arua medelam.
Afferret, Niléque ſuas Deus inderet vndas.

CAPVT VII.

TVm vero vt requiem peſtis ſubducta reduxit,
Effertur rurſus dilata morte tyrannus
Et vix euaſæ ſpernens diſcrimina mortis,
Innocuam flagris perſiſtit ſubdere gentem.
Nil iuuat hic multis omnem narrare ſuperbi
Perfidiam, & duri periuria dicere Regis?
Ranæ per totam Aegyptum. Exod. 8. Protinus vt duris inſontem affligere gentem
Imperiis, rurſum ſolita inclementia cœpit
Vnda putreſcenti vixdum purgata cruore
Ranarum fœdis impleuit ſaltibus vrbes.
Complentur cellæ penetraliáque abdita ranis.
Ipſa etiam raucas regalis purpura voces
Suſtinet, atque ſuis homines ſubmittere iuſſis
Sueta locutuleis frendet ſuccumbere ranis.
Quarum mox cumulis flamma tonitrúque ſubactis
Nec ſic crudelis placata eſt ira tyranni.
Cynifes in Aegypto Exod. 8. Ergo muſcarum (Cynifes dixere) peremptis
Confeſtim ranis examina plurima ſurgunt,
Pendula quæ portant leuibus corpuſcula ventis
Pennarúmque vices ſupplent ſtridentibus alis.
Mox ſeſe pariter fundunt, atque omnia complent.
Et licet immerſis defigant vulnera roſtris
Plus horror quã pœna mouet: plus vulnere terror.
Vt vero infectam corrupto ex aëre peſtem
Suſtulit ad Moſi pia vota pióſque precatus
Ventus agens: creuítque feri iracundia Regis,
Nec terrore mali clementia longior eius
Muſcæ in Aegypto Conſtitit, ablatis purgato ex aëre muſcis
Succedunt aliæ grauius: quibus impius heros
Nec quidquam motus noua mox diſcrimina ſentit.
Nimirum grauis inuadens animalia tabes
Omnia dat lœto, & crudelia funera ſpargit.
Hebræíſque cadunt iumenta Aegyptia ſaluis.
Cap. viij. At quum nec tali commotus clade tyrannus
Vexare Hebræos pœnis iam pergeret auctis
Nox diræ clades in cœlum puluere ſparſo
Ex puluere ſparſo vlcera in omnibus animantibus. Exod. 9.
A Surgunt, & penitus turgentia vulnera membris.
Tranſierat iámque illa dies, tum luce ſequuta
Admonito tantis nequidquam principe plagis,
Concutitur cœlum tonitru, nubéſque coactæ.
Terribili ſplendore micant, ferit omnia fulgor.
Coniurata omnes vno ſub tempore mortes
Aethere turbato terris elementa minantur:
Et tonitru inſeritur prægrandi pondere grando.
Non vt guttatim in terras de nubibus exit:
Sed quocunque cadit quæ deprimat, atque ruinam
Pondere vel ſolo faciat: coniũgitur ergo
Grandineum flammis feruentibus aëre frigus.
Poſtquam hominum ſtragem mixta cum grandine
B flamma
Negligit euaſo pharius diſcrimine princeps:
Exin reſtantem ſurgit conſumere fructum
Bruchus, & excuſſo confidens crure locuſta.
Sed quoniam durata malis & neſcia flecti
Hanc nihili cladem calloſa ſuperbia duxit:
Inſequitur velox grauius quæ vindicet ira.
Cæcas mane nouo ſurgens ſol ſparſerat vmbras:
Tenebræ Aegyptiç. Exod. 10.
Et lætus iubaris ſplendebat fronte ſereni,
Quum mediam ſeſe opponit teterrima nubes
Naſcentémque diem depulſo lumine claudit:
In molem nox denſa coit, perit obrutus aër,
Palpantéſque manus denſas ſenſere tenebras.
C Et quo quemque loco tenebroſus repperit horror
Continuit, nullum vidit, nec viſus ab vllo eſt.
Squallentes pariter viuentia milia credas
Infernas intraſſe domos, aut forte reuulſo
Obice terrarum patriam ſordentis abyſſi
Migraſſe in ſuperos: ac mundum luce fugata
Sub leges miſiſſe ſuas: tres perdidit iſta
Nocte dies, digne pendens periuria tellus,
Quæ phario Regi ſuberat: nec ſenſerat vllas
Sole fruens ſolito, plebes Hebræa tenebras.

CAPVT IX.

INterea Moſes lachrymas, ieiunia, vota
Continuat, precibúſque frequens ac peruigil in-
D ſtat,
Maioris natu fultus ſolamine fratris.
Vnde & diuinæ meritus ſolatia vocis
Inſtruitur ritus domino ſic fante ſacratos:
Cernis quàm varia deſudans clade reatum
Aegyptus contrita gemat, formidine tantum
Ducta necis: monſtrat propius mens turgida lœtũ:
Nec ſeram inſinuant iſthęc portenta ruinam: *Exod. 11.*
Vnus adhuc ſupereſt vt vindicet omnia luctus
Póſtque nouem decima percellat cæde merentes.
Vos modo perpetuos ſacrorum diſcite ritus.
Manſuróſque ſua cultus in lege tenete.
Principio in cunctis orbis quos circinat anni
Initiũ & ritus ſacrificiorum. Exod. 12
E Menſibus, iſte caput poſthæc ſit & ordine primus.
Lunáque bis ſeptem quum fecerit addita noctes
Veſperáque extremæ iam cœperit eſſe diei:
Manſuetum annalis tum ſumite temporis agnum.
Quem dũ quiſque tribu in propria mactauerit, eius
Illinat effuſo confeſtim ſanguine poſtes.
Hoc dabit indicium ſeruandæ cura ſalutis,
Quum percuſſor aget, tacitam ſine vulnere cædem.
Nam quodcunque ſacro limen maduiſſe cruore
Viderit, hinc illo tranſibit ad altera ſaluo
Limina: nec genti ſpes vlla accedit Hebrææ
Hanc præter: noſtræ quæ prima eſt forma ſalutis.

CAPVT X.

Námque

Sanguis Chriſti per agni ſanguinẽ præfiguratus.
NAmque euaſuros diri Pharaonis, & omnis
Aegypti imperium, velut agni ſanguis inũctus
Poſtibus, immunes crudeli à funere fecit:
Sic agni illius Chriſti, qui vellera neſcit
Noxia, qui nullum contraxit corpore næuum
Inter labentis feruentia funera mundi.
Sanguis ab inferno miſeros Pharaone redemit,
Aegyptíque dedit ſaluos euadere terram.
Apoſtrophe ad Chriſtum Ergo agnoſce tuum in nobis Rex Chriſte cruorem,
Atque tuos educ Aegypti è carcere ſeruos,
Et quocumque loco ſanctus mactaberis agnus,
Inque cibos ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Chriſte tuum, non attingat tua dextera vindex.
Præterea veterem exutos formámque vitúmque.
In vitæ nouitate tuum fac ſumere corpus
Et ſacrum æterni calicis potare cruorem.

CAPVT XI.

FInierat rector legéſque & fœdera phaſe
Deſierat mandare ſuis, quod protinus omnes
Arripuere ſimul, peragunt conuiuia læti:
Solenníſque nouo cultu diſponitur eſus:
Tranſeat ad ſacros quæ condita forma nepotes.
Nox erat: & mediam carpebant cuncta quietem:
Vmbráque libratas iamiam diuiſerat horas:
Ecce venit tacito per dira ſilentia motu
Angelus exterminator. Angelus, exerto miſſus qui ſæuiat enſe,
Nec confuſa datur ſubiti ſententia lœti:
Non hic luce opus eſt: clarè longéque videtur
Quem petit in tenebris præfixi funeris ordo.
Maiores natu pereunt, ſolíque leguntur
Ad mortem, primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis percunt famuli, natíque potentum
Permixta cum plebe cadunt, vilíſque perinde ac
Primogenita Aegypti moriuntur. Exod. 3. Quem tenet aurati morientem purpura fulchri.
Serica ducuntur nihili vt pannoſa, paríque
Diſparibus ſtratis ſternuntur corpora lœto.
Non quenquam mors æqua timet non excipit vllos
In viuis tantum qui diſcernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate mouetur
Ditibus vt parcat: nullo corrumpitur auro
Angelus, æqualíque exterminat omnia lance.
Aegrotum ſanus longæuum iunior ante
Migrat: quúmq; omnes eadẽ mors percutit, vnũ, id
Et ſolum ſupereſt vita diſcrimen in illa,
Viuant vt meritis ſuperata morte, ſuíque
Præmia ſuſcipiant dudum promiſſa laboris,
Qui ſuperum in terra monitis ſtuduere tenendis:
Contra qui tantum carni indulſere, neglecto
Spiritu, in æternos rapiantur protinus ignes.

CAPVT XII.

ERgo vbi percuſſas ſoboles confuſa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crinéſque reuellunt
Vnguibus, & nigras feſtinant ſcindere malas.
Nec paucæ planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quamque ſuus, ſonat vnus in æthere clamor
Non vno ex fletu: gemitu conterritus aër.
Nulla vacans à morte domus: tum lumine multo
Tota curatur populoſum funus in vrbe.
Coguntúrque ſuam prolem mœrere merẽtes.
Nec iam funebres perages cum funere ludos
Turba dolórq; ſinũt, tãtus tremor occupat omnes.
Quinetiam niſi plebeios & honore carentes
Sacraſſent igni, aut foſſa tellure locaſſent
Nullæ ſufficerent capiendis omnibus vrnæ.

CAPVT XIII.

TVm Regem circum commoto murmure ſiſtit
A Mœſta cohors, triſtéſque trahẽs ex ore loquelas
Quæſtus Aegypti.
Heus (inquit) noſtris aduerſa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextra
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Seruit, & irato ſuccedunt proſpera cœlo.
Vis quædam ſecreta Dei, maiórque poteſtas
Hæc in ſceptra furit: gentémque vlciſcitur ipſam.
Quinetiam noſtræ ſeruant contraria genti
Victores elementa ſuos: coniurat in omnes
Et cœlum & tellus Pharios, coniurat, & aër.
En iacet Aegyptus, nec iam reparabilis vltra.
Atque vtinam pœnas & dura pericula viuis
Ferret adhuc diuina manus, nec funere tanto
B Deceptam ſubita vacuaſſet cẽde canopum:
Tandem parce ſolo cauſáſque expelle ruinæ,
Dum leuior ſtrages, ſuperant dum milia noſtræ
Gentis adhuc: grauiora priuſquam funera triſtes
Experti, non poſſimus quum forte volemus.
Quin diram electo depellimus hoſpite cladem?
Nílne mouet noſter natorum funera planctus?
Quòd niſi communi fortaſſe mouebere planctu,
Vel nati mors dira tui, te vindice zelo
Commoueat: pulſíque illis fac pauca ſuperſtent
Pignora, quæ tantum abſtergant ſeruata dolorem,
Et detruncatæ reparent diſpendia gentis.
His dictis lachrymas populus dedit, ipſa ſuperbi
C Frangitur ad fletum dira inclementia Regis.

CAPVT XIIII.

SEd dum iſthæc perturbata tractantur in aula.
Hebræi vatum ſtudio monitíſque ſupernis
Hebræi ab Aegyptiis mittuntur ſupellectilem omnẽ. Exod. 12
Optima quæque parãt ad ſacra, epuláſque requirũt,
Vaſáque ſolennis quæ poſcit plurima cultus,
Ornamenta etiam veſtéſque, monilia, gemmas,
Mutua ab Aegypto plebes hebræa requirit
Confeſtim reddenda ſibi: mox commodat illis,
Ditat & ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quænam digna tuis pandantur laudibus ora
Summe pater, qui tam ſæuo ſic vteris hoſte,
Cómodet vt precioſa ſuis quæque hoſtibus? Et iam
Apoſtrophe ad Deum.
D Annuit aduerſus, largitur munera nolens,
Quæ ſecum dimiſſa ferant, nec ſoluere tantum
Sufficit oppreſſos: opibus ditantur euntes,
Theſauróſque nouos libertas reddita fumit.
Atque inter medios inimica in ſede furores,
Prædatur dominum fugiens, fallítque videntem,
Præſentem ſpolians: nec iam diſcedere pulſos
Quàm lætos migraſſe pures: tolluntur auari
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede ſoluta
Seruitij longum credas taxaſſe laborem.
Sic ſtudiis aliquando hominum in contraria verſis
Auctorem redeunt commenta pericula in ipſum.
Tunc fruſtra innocuo meditatos vulnera fratri,
E Inuida plus lædit fruſtrato vulnere bilis.

CAPVT XV.

EGreſſi interea trepido de Rege miniſtri
Cõpellunt celerare fugã, cogúntque volentes,
Exod. 14.
Præcipitant alacres, & feſtinantibus inſtant,
Pellendáſque putant pulſa cum gente ruinas.
Iam prope centenum compleuerat æduena luſtrum
In regnis Aegypte tuis Iudæus apella,
Quattuor atque decem luſtris tãtum inde remotis,
Ex quo illuc Iacob ſecum perduxerat omnem
Biſſena cum prole domum, caróſque nepotes
Multa propagatos tandem per milia, donec
Aegypti inuidiam populus conflauerit auctus.

Quando induratum plebes iudaica Regem
Effugiens, factis Aegyptum classibus exit.
Egressus Hebræorum. Primo conspicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adiuncto præcedens agmina fratre:
Post quos belligeræ disponunt arma cohortes
Ducunt & validas instructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enses, & balthea læuo
Accingunt lateri, presso tum vertice cassis
Fulget, & albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur iaculis alij clypeósque sinistris
Voluunt, & rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucréque sagittas
Hostis in occursum mittendis motibus aptat:
Aut si forte virum fugientia terga sequatur.
Vt pennata leues transmittant spicula ventos.

CAPVT XVI.

INcedit pauidum postrema per agmina vulgus
Non impar numero, queis cœlum pingitur astris,
Aut queis feruescit pelagus crispantibus vndis,
Vel quibus exundat coopertum littus arenis:
Er quot destillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharij numerum: nec credere possunt
Quod cernunt oculis: placet eiecisse tot hostes.
Quanquam non acie Pharao perimetur ab ista,
Quamlibet innumeris fuerit stipata cateruis.
Vnus pugnabit cunctis pro milibus auctor.
Interea lento moderatus tramite gressum
Hebræus carpebat iter: procedere tantum
Permissus spacij, quantum vel tarda senectus
Vel rudibus reptans infantia sustinet annis.
Ne nimium fragiles inter delasset eundum
Aetatem sexúmque labor: Sic cuncta supernus
Dispensat nutus, plebísque assistit cunti

CAPVT XVII.

ERgo vbi signatis sederunt milia castris,
Armatúsque pedes vulgus vallauit inerme:
Vespere tum primo stanti ad simulata columnæ
Columna ignea. Insistens puro resplenduit æthere flamma:
Non veluti noto dirum micat ignis in axe,
Exod. 13. Prodita quum terris cœli portenta minantur
Aut morbis tristem bellisque aut cladibus annum.
Sed radiis fulgens & lumine candida læto
Ostendit nitidum castris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ vicináque sidera cedunt.
Obstupuere viri primum, ac perterruit omnes
Incussítque metum nouitas: tum luminis vsu
Paulatim cœleste iubar consuescere cœpit.

CAPVT XVIII.

MAxima nocturnas iam pars exegerat horas,
Et voluenda dies instabat sorte propinqua
Cunctorum ecce oculis per cœlum visa moueri
Altera iter rapuit populo spectante columna.
Protinus hanc sancti patres sensere sequendam,
Et duce cœlesti gaudentes, protinus omnes
Abrupere moras castrísque excedere certant.
Tunc vt quæque tribus primum sortita laborem,
Ordine carpit iter: sequitur tum cætera pubes.

CAPVT XIX.

HÆc inter clarum rediens lux pandit olympum
Flammea mox viso pallescit sole columna,
In nubémque redit totus qui fulserat ignis.
Sed species perstat tensæ super æthera formæ.
Et matutinas iam sol superauerat vmbras
Columna nubis. Ecce nouum dictu, cœlo seruata sereno,
Feruenti radio se iussa opponere nubes
Exod. 13 Frigida, condensum cumulauit in aëre tegmen.
Nec tamen hanc nubem tetro suffusa colore
A Forma dabat, nec erat nigro sic horrida vultu
Vt validos terrent quum promunt nubila nymbos,
Sed qualis solem madidus quum viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ species oblonga columnæ.
Noctibus ignis erat, luménque accensa ferebat.
Quum sol torreret, gelidum dabat humida rorem.
Has alternantem ducens cum tempore sortem
Mutauit natura vices: substantia discors
Muneribus propriis concordem reddidit vsum.
Si mansit, mansere viri: si mota, secuti.
Si multis etiam visa est pendêre diebus
Subdita defixo tardabant agmina vallo.

CAPVT XX.

B ISTA quaterdenos miracula visa per annos
Tempore quo vasta Hebræi in solitudine viuunt,
Vestibus integris nullaque in parte minutis.
Tunc nulli longo currendi prorsus ab vsu
Detritis soleis, prisci seruantur amictus.
Sic longæua fuit sed non damnosa vetustas,
Dum sacrum populo victum, candentia manna *Manna figura Eucharistiæ.*
Ferrent, & cœli frugem terrená viderent:
Mystica quæ longe prædiceret ante figura
Virgineo ex vtero, purum sine semine Christi
Edendum, nobísque aliquando corpus edendum.
Quas caperet pascendus homo de sede superna
Illabente Deo sanctis altaribus escas.
C Nec portentificæ cepit me obliuio virgæ *Virga Mosi.*
Quo ligno summus percussa rupe sacerdos *Percussa petra Christi figura.*
Protulit irriguos populis sitientibus haustus:
Insinuans Christum stabilem consistere petram:
Pecussus iaculo largas qui præbuit vndas,
Porrexítque suis sacro de vulnere potum.
Hebræi interea læti ducente columna
Gressu per terras ibant pérque æthera vultu.

CAPVT XXI.

ECce iterum phariis insedit mentibus ira,
Et populum sine more ferox his vocibus armat
Exit & in tales vicina morte furores.
O nimium stultis imponens mentibus error.
D Præstigiaéque diu nebulosa in fraude peractæ.
Nónne pudet seruam nullo certamine gentem
Sic impune rapi? sic nos patiemur inulti
Deserat vt vacuas discedens accola terras?
Rura vacant, cœptis desistunt oppida muris.
Nec solitum consurgit opus, non cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Quin potius sumptis exercitus ituit armis,
Imbellémque manum profugósque reducit alúnos.
Quod si seruilis tantum procederet ausus
Vt contra pugnare velint: mox occidat omnis
Confusa cum plebe manus: feruentibus armis
Permixtæ percant confosso pectore matres.
E Vberibus iunctos configant spicula natos.
Prolem quisque suam cernens ante ora cadentem
Oblatis optet iugulis præcedere mortem.
Orbatum nostros faciat libare dolores
Vltima sors populum: sic viuens omnia perdat.
Tum pereant, densa & campi sub strage iacentes
Tristi committant inhumata cadauera cœlo.
Inde vbi sanguineo satiauerit ense furores
Thesauros reuocet fugientes dextera victrix.

CAPVT XXII. *Dominus dissipat cõsilia gẽtium, re-*

TAlibus excitas acuebant flatibus iras
Irridente Deo, solus qui despicit omnem
Conatum rigido meditantem vana tumore,

Consiliúmque

probat autem cogitationes popu'orũ, & reprobat consilia principum. Consiliúmque ducum cassatis dissipat ausis.
Psal. 32. Ergo bella rogant, feruens rapit arma iuuentus,
Spumantes ducuntur equi, phalerísque potentes
Suspendunt alacres splendentia fræna iugales.
Pugnax pompa nitet: subiectis curribus axes
Aurato temone trahunt: tum cętera pubes
Induitur chalybe, aut fuluo circundatur ære.
Et loricarum vasto subtegmine gaudet:
Intexit creber sibimet quas circulus hærens
Aft alios tenui contexit lamina ferro
Assuetos aliis crates, compacta metalla
Horrentesque habitus diuersa fecerat arte
Ira ferox: nudos etiam quæ ad prælia misit.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis forma fuit: quis namque furentes
Vsque adeò spectans vultu speculetur amico?
Inclusæ galeis facies, & ferrea vestis
Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Mox prodit collecta manus: rex ipse frementes
Curru cogit equos: telis tamen vndique septus
Deliret, & densam reddunt hastilia syluam.
Concutitur pulsata rotis, ac pondere tellus
Pressa gemit: nec iam capiendis sufficit illis,
Vsque adeò Ægyptum angustat stipata iuuentus:
Occluditque vias, fugiendi vt nulla supersit
Hinc equite Hebræos: illinc claudentibus vndis,
Speśve modusve vllus, ni iam mortalibus illos
Præsidiis vacuos cœlestis dextera saluet
Quæ solet extremam miseris adferre salutem.

CAPVT XXIII.

Iunxerat interea qua ponto Magdalus instat
Exod. 14 Hebræus populus rubicundo castra profundo.
Euasos credens securis mentibus hostes.
Ecce autem vt cepere suas tentoria sedes,
Dum resident, fixóque parant requiescere pallo:
Cernunt pulcreas in cœlum surgere nubes
Moxque etiam propius spectantibus alta patescũt
Nigrantes vultus adoperta nitentibus armis
Agmina crudeles tantum spirantia mortes.
Nec tamen infensas patitur committere partes
Sole sub occiduo vicinus prælia vesper.
Crastina lux ergo vallati bella tyranni
Distulit: ardentes qui ne compesceret iras
Insomnem ducit meditans crudelia noctem.
Auroramque cupit stellis properare remotis.
Iam super Hebræos consistens forte columna
Flammea, mirandam reddebat in aëre lucem.
Vt videt insuetum Pharao, & mirabile lumen
Ardet, & excitas iam plus ferueścit in iras:
Paulatimque mori non sustinet: itur ad vnam
Quæ claudat cunctas pelago sorbente ruinas.

CAPVT XXIIII.

Interea concluśa loco, finemque sequenti
Expectans pauefacta die, nec tela, nec vllas
Bellorum versat curas Hebraica plebes:
Exod. 14 Sed defecta animo voces erupit in istas,
Mosen incessens, ô terque quaterque beati
Quos morte absumptos calidis Ægyptus arenis
Condidit, ante patrum morientes ora suorum:
Digni habiti qui tam duros sentire dolores
Nec stragem hãc possent, nec pignora capta videre.
A litibus nos esca dati, nec sede sepulchri
Ornati vastæ corpus reddemus eremo.
Talia dicebat permixtis luctibus omne
Vulgus, & accenso plangebat turba tumultu.

CAPVT XXV.

SAnctus ad has Moses promissa referre querelas,
A Solarique metum, luctusque his tergere dictis. *Exod. 14*
Quæsumus ingratos populus depone timores,
Expertus toties nunquam fidentibus in se
Defore cœlestes: nec desperanda putetis
Quæ tantis spondent cœlestia numina signis.
Infidíne potest elabi cordibus vnquam
Ægyptus tot cæsa malis? iam credite dura
Niliacum regem manet atque extrema ruina.
Nonne inter medias Aegypti Hebraica clades
Iumentísque virísque simul Deus agmina saluis
Seruauit? Sed quid memorem transacta? videtis
Vt mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab aduersa liceat nos fraude vereri.
B Quin magis erectas spe firma attollite mentes.
Crastina namque dies præfixa est vltima genti
Quæ nunc bella crepans sumptis confidit in armis.
Illi illi sua bella crepent, & fulmina: non sic
Pugnandum vobis: nec telis tela feretis
Obuia: nec vestro vobis sudore triumphus
Crastinus aduenict, cœli pugnabitur ira:
Hanc diuina sibi pugnam iracundia seruat.
Talibus intentus Moses deiecta leuabat
Corda vitũm, & sancta sedabat voce timorem.

CAPVT XXVI.

Interea validus ferueńti flamine ventus
Vrebat, tota consumens nocte profundum. *Exod. 14*
C Confestim insolitas mirantur flumina flammas:
Ardet enim afflatus percusso in gurgite fluctus.
Ad maturinum peruenerat horrida tempus
Vix acies, primosque nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris quum protinus omnes
Erumpunt castris: fremit vndique mota iuuentus.
At pauidæ plebis postquam peruenit ad aures
Clangentísque tubæ percussit pectora terror,
Arripiunt carpuntq; viam, qua proxima ponti
Littora sollicitant rubris insignia lymphis.

CAPVT XXVII.

VT summas pelagi populus peruenit ad oras
Cessit confestim iussi reuerentia fluctus: *Mare rubrum viã facit Hebræis.* *Exod. 14*
D Expanditque viam, cui terram clauserat hostis,
Quam noua pendentis construxit machina fluctus,
Frænatas celso suspendens aëre lymphas.
Aggreditur medium fugiens, vincensque fugantes
Gens electa Dei pontum, vestigia rubri
In regione maris figens: & saxa profundi
Conculcat nudum percurrens orbita limum.
Aspectum iniiciens scissis sol torridus vndis
Ignotamque nouo contingens lumine terram
Ima laborantes radios ad tartara ponti
Vix misit, fessúmque iubar vix extulit imis.

CAPVT XXVIII.

CRedens exclusos primum, fluctuque repulsos
E Inque fugã versos pharius dare terga tyrannus,
Præcipitare moras, tali iubet agmina verbo.
Ecce iterum fugitiua cohors pendentia bella
Deserit, auxilióque pedum confisa recedit.
Vos armis premite, & clausis insistite turbis:
Cætera pontus aget, vix hæc perdixerat, illi
Prosiliunt, cursúque parant attingere littus.
Vt venere, vident arentis vasta profundi
Insolitam prębere viam: pansoque recessu
Pontum aperire suas illis fugientibus vndas:
Hos quoque per siccum tutos descendere callem.
Securos pelagi nilque æquora dira timentes.
Tum nouitate rei perculsos accipit horror.

Subſtitit & paulum reſtrictis motibus agmen
Frænáque ſuſpenſos tenuarunt ducta iugales.

CAPVT XXVIII.

NEc dubium eſt miranda aliquos portenta ſtupentes
Turbato ſecum ſic protinus ore locutos.
Quis Deus à priſco deturbat cardine mundum
Lege noua, variatque vices, & condita mutat?
Nam ſi ſeruatur rebus natura creatis,
Monſtriferæ quæ cauſa viæ? quid denique reſtat
Si mare tranſitur pedibus, niſi nauibus arua
Sulcentur, cœlumque ſuo decurrat ab axe,
In ſuperos infernus eat, plaga feruida cœli
Algeat, afflatam ſuccendat ſcorpius vrſam?
Hic quia confuſus rerum ſubuertitur ordo,
Me duce ſiccatum nemo deſcendet in æquor:
Sic ſuſpecta nouum quę pandit ſemita callem.
Fruſtra bellatur ſuperis nolentibus, ergo
Nunc abeant tantumque vagos ſua monſtra ſequantur.
Sed quo dementem rapit hæc ſententia mentem?
Ergo ne ſublatis plebes Hebraica ſecum
Diuitiis abeat? num ſic ſpoliata Canopus
Impunes vltro permittat abire latrones?
Quin illos igitur lymphis ſectamur apertis?
Hæc ardens verſat cum ſeditione tumultus:
Inſtantiſque latens vrget ſententia lœti.

CAPVT XXIX.

VIcerat æquoream pedibus plebs inclyta vallē
Gurgitis & vacui conuexa volumina linquens,
Et Barathri emenſi ſuperas aſcenderat oras,
Crudeli effertur nigri dux agminis ira,
Ignaruſque ſuæ quæ iamiam eſt proxima mortis
Accelerare ſuos iubet, atque intrare profundum.
Arripiunt pariter reſerati concaua ponti:
Inuadunt que viam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit: pars inde citatis
Ire iubet ſtimulis rapidas ſuper arua quadrigas.
At medium vt venit frendens equitatus in æquor,
Fulminat abſentes, fugienteſque increpat illos.
Accuſatque moras tam laxi gurgitis ardens
Ira virum: iam vicini male gnara pericli.
Tum per ſublimem pendenti nube columnam
De cœlo vox miſſa tonat, verbique ſuperni
Ad Moſen verbis interpres talibus inſit.
Venit iam tempus, mea quum mandata probentur:
Ægypto iam finis erit, iam clade ſuprema
Tot caſtigatam vicibus diuina Canopum
Afficiet cum rege ſuo ſententia: iamiam
Sentiat Ægyptus ſapiens vel morte ſuprema,
Quam nihil inuitis proſit contendere diuis.
Tu modo diuiſum virga iam percute fluctum:
Atque reducta ſuos aſſumant æquora vultus.

CAPVT XXX.

Ille genu flexo ſiccati marginis oras
Pharaonis & exercitus ſub uerſio. Et vacuum littus iuſſis accedere lymphis
Percutit, inſigni credens myſteria ligno.
Hinc ſubitus crepitare fragor: tonat vndique circū
Lympha ruens, primumque illic committitur vnda
Exod. 14 Quo monſtrabat iter Pharios mors vltima regi.
Poſtquam clauſa via eſt, fluctuſque rebellat eunti:
Pœnitet intrati iam gurgitis: & fuga ſerum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes.
Armáque proiiciunt: pontus fugientibus inſtat,
Occurritque ſequens: perit vndique circuniectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.

Ille ferox ſemper mitis iam morte ſub ipſa
A Non hæc humanis agitur victoria bellis,
Expugnamur, ait, cœlóque euertimur hoſte.
Effuge ſi liceat, victuſque euade ſatelles:
Neciam tela Deo eonatibus ingere caſſis.
O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Ante obitum mutare, nec expectare ſuprema
Fata velit, quando infœlix infœlicior eſſet?
Pœnitet ambigue quem ſero pœnitet: ergo
Præſentis ſpacium nobis dum creditur æui,
Dum patulam cunctis Chriſti clementia ſeſe *Non eſſe*
Præbet, præteritę plangamus crimina vitæ. *differendam pœnitentiam.*
Pœnitеatque olim negligenter temporis acti,
Dum licet, & ſano ingenioque animoque valemus.
B Nam qui peccatum moriens dimittere, & ipſa
In ſerum tempus differt admiſſa fateri,
Non tam dimittit, quàm dimittatur ab illis.

CAPVT XXXI.

ERgo exaltatis pendens ſuſtollitur vndis
Confeſtim mergenda phalanx Aegyptia: & ipſo
Pondere telorum premitur, fundoque tenaci
Succinctum reuehunt morientia corpora ferrum.
Pars exarmatis quum primum libera membris
Implicuit nantes morientum amplexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterque tenentes
Alterno ſub faſce ruunt, nexique necantur.
Atque alij laſſata diu dum brachia iactant,
C Incurrunt enſes: iaculiſque natantibus hærent:
Concolor & rubro miſcetur ſanguine pontus.
Quin & conſpicuus princeps Memphitidis aulæ
Candentes ducens nigro rectore iugales,
Inſpector cladis propriæ, gentiſque ſuperſtes,
Vltimus ingreſſis per currum naufragat vndis.
Et vacat hos inter plebes Hebræa tumultus,
Interea pugnante ſolo: vincit que quietus
Iſrael ſolo peragens certamina viſu:
Dum vallis completa perit, fluctúque reuerſo
Ducitur extentum planati gurgitis æquor:
Exponitque ſuum pelagus ſuper arua triumphum.

CAPVT XXXII.

D ERgo Deo dignas iſto certamine laudes *Exod. 15*
Atque repenſurus memori tot munera mente
Inclytus egregium ſolenni carmine ductor
Deſcribit toto quod pſallitur orbe trophæum,
Quum purgata ſacris deletur culpa fluentis:
Emittitque nouam parientis lympha lauacri
Prolem, poſt veteres quos edidit Eua reatus.
De qua ſermonem præmiſſo carmine fecit
Luctificos repetit tenus dum pagina lapſus.
Quod verò Aegyptus lapſis euaditur vndis *Baptiſmi figura.*
Euaſoque mari: noſtri illa figura lauacri eſt.
Quum Pharao infernus ſacris ſubmerſus in vndis
Ingemit è tanto miſeros diſcrimine lapſos,
E Nos vero Chriſti ſolennem in morte triumphum
Baptizati agimus, tanta eſt baptiſmatis eius
Gratia, quo veteris peccatum expellitur Adam
In nobis, viuitque nouus pereunte vetuſto:
Quo mala noxa perit, quo virtus inclita creſcit:
Iſrael verus ſacris quo tingitur vndis.
Hæc præcurrenti ſignantur dona figura.
Diuinum vero lector venerande triumphum
Hactenus inſulſis cantatum verſibus, æquus
Accipe, & Hebręis conſide in littore ſaluis.

FINIS LIBRI QVINTI.

DIVI

DIVI ALCHIMI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI, IN LIbellum de conſolatoria caſtitatis laude, ad Fuſcinam ſororem Præfatio.

POſt conſummationem libellorum quos non ſicut nouerat edidit diſpoſitio mea, ſed tua ſodalium que pia feſtinatio affectuoſa quidē ſed inconſulta præripuit, cogis inſuper tibi ſpecialius dari verſus illos, quos ad Venerabilem Fuſcinam ſororē noſtram de conſolatoria caſtitatis laude conſcripſi: quos ego poſt denunciatum poematis finem, epigramma reſtius dicerem, tu primum libri nomine vocitaſti, hoc ſcilicet vocabulū prolixitati eius aſſerens conuenire. Quapropter habe me etiam in hac parte famulantem iudicio immò potius affectui tuo: quoniam profectò iniquum eſt, vt cui parui in maioribus, in exiguis contradicam. Meminerit autem pietas tua hunc ipſum, quē ſic vocas libellum, vel de religione parentum communium vel de virginibus noſtræ familiæ familiarius diſputantem illis tantummodo legendum dare, quos reuera nobis aut vinculum propinquitatis aut propoſitum religionis adnectit. Dotes enim ex materiæ qualitate meritique, germanæ ſanctimonidi compoſitas vix vel tibi crebra victus iuſſione credo: quando aut qualiter venire in manus extraneorum velim? Sanè à faciendis verſibus pedibuſque iungendis pedem ſum de cætero relaturus, niſi fortè euidentis cauſæ ratio extorſerit alicuius epigrammatis neceſſitatem, cuius tantam exiguitatem fore polliceor vt ei aliud nomen aſſumere nec ipſe præſumas. Decet enim dudum profeſsionem nunc etiā ætatem noſtram ſiquid ſcripſitandum eſt, grauiori potius, ſtilo operam ac tempus inſumere; nec in eo immorari quod paucis intelligentibus menſuram ſyllabarum ſeruando canat, ſed quod legentibus multis menſurata fidei adſtructione deſeruiat.

DIVI ALCHIMI AVITI VIENnenſis Archiepiſcopi, de conſolatoria caſtitatis laude, ad Fuſcinam ſororem Lib. VI.

CAPVT I.

VScipe complectens Chriſto digniſſima virgo
Alchimus iſta tibi quæ mittit munera frater:
Inque leui calamo cauſarum reſpice pondus.
Nam quoties ſanctum compleueris ordine curſum
Alternos recinens dulci modulamine pſalmos,
Quos viuens in corde chelis virtute canora
Interiore ſono & caſtis concentibus aptat:
Rite fatigatam poteris hoc carmine mentem
Ludicro, & ſeriis tete oblectare remiſſis.
Nec tamen hic vana tingetur barbitos vnda,
Pegaſus vnde leues præuertens motibus vndas
Fingitur aſſumpto pendens innaſſe volatu
Dum ferretur equi grauis vngula prępete penna:
Sed nec Pieriæ ducent hæc cantica Muſæ,
Quas ibi diuinas mentitur fama ſorores,
Dat germana tibi ſed verax muſica plectrum,
Nec Chriſto reſonans cantabit fiſtula phœbo.

CAPVT II.

Audentia Auitі mater.

EDidit vt quartam genitrix Audentia prolem
Teque dedit luci partu fœcunda ſupremo,
Confeſtim Chriſto victuram dedicat vni:
Ac deinceps paribus caſtum ſeruare cubile
Conſtituit voris chiaro cum pignore mater.
Et quia principium tam ſancti fœderis eſſes.
Te mox conſecrat Chriſto, qui protinus ipſis
A Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Nulla Deo ſiquidem eſt acceptior hoſtia, quam quę
Immaculata ſibi primis offertur in annis,
Si quondam quum prima nouo ſplendeſceret ortu
Terra nitens, pulchraſque darent ſua ſemina fruges
Viuentem ducens ad ſancta altaria fœtum
Innocuis ſonuiſſe Deo balatibus agnum
Inſinuante Deo iuſtus cognouerat Abel:
Quum capite oblato placuit grex totus ab vno.
Ergo vbi vitalis fouit te lympha lauacri,
Atque ſuum peperit cœleſtis gratia pignus:
Non tibi gemmato poſuere monilia collo,
Nec te contexit ſparſo quæ fulgurat auro,
B Veſtis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te ſidonium biſcocti muricis oſtrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura cocco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera ſeres.
Nec tibi transfoſſis fixerunt auribus aurum
Quæ compenſarent pendentes vulnera baccæ,
Dum precioſa grauant ſed ſaxea pondera mâlas.
Quid multis? tantum illa tibi tegumenta parantur,
Frigora quæ pellant, non quæ tua membra venuſtēt
Et quid enim prodeſt periturum comere vultum,
Putria vel variis onerari corpora gemmis,
Interior dum ſordet homo, ac ſe crimine fœdat?

CAPVT III.

C SEd tibi quum geminum tetigerunt tempora luſtrum
Mox ſtola ſyncero velat te candida cultu,
Virginis os habitumq; decens: quem mater amictā
Religioſa ſuis manibus confecerat, olim
Non ſecus exultans ſterilis poſt damna iuuentæ
Iam fœcunda nouum quum ferret fœmina fœtum, *Anna mater Samuelis. 1. Reg. 1.*
Veſtem læta ſuo paruam texebat alumno:
Diſceret vt Samuel iam tum puer eſſe ſacerdos.
Sic pia te genitrix ſanctis altaribus aptans
Aſſueto docuit dignam concreſcere templo,
In thalamum adſcribens ac magni fœdera regis.
Electam hinc cœpit ſpeciem ſibi iungere Chriſtus
D Ornatu vario ditat quam gratia pollens.

CAPVT IIII

HInc vbi creuiſti paulo maioribus annis:
Collatumque tibi primęua ætate videret
E cœloque datum genitrix accreſcere munus,
Virtuteſque etiam teneris coaleſcere in annis:
Gaudebat, Chriſtum hinc laudans, gratesque rependens.
Sed tamen à mundi illecebris dum forte timeret,
Conſcia tot fraudes ętati occurrere primæ,
Teque reparturiens & mente & corpore Chriſto
Iungere percuperet: queis te protruderet iſtos
Artibus in laqueos ac ſancta ergaſtula, multis
E Voluebat curis: metuebatque anxia, ne quod
Illa tuo quondam vouiſſet nomine, iam nunc
Arbitrij compos ac tali libera voto
Reddere fortaſſis nolles: ſic pendula mater
Spemque metumque inter, tum demum audentior his te
Aggreditur lachrymans dictis, ac talia fatur.

CAPVT. V.

DElitię mea gnata meę, Chariſſima matri
Pignora grandeque, per ego has te deprecor vlnas
Per quę ſuxiſti primeuis vbera in annis
Fac iſthinc abeam promiſſo libera voto.

Olim ego te genui Christoque è ventre dicaui.
Tunc ego quod poteram feci: tu perfice quod iam
Per te sola potes: votóque adiungito votum.
Exue delicias mundi huius & indue Christum.
Non desunt exempla tibi: nunc respice quantas
Virginibus florens iam nostrum stemma coronas
Miserit in cœlum: sancto quas dogmate mater
Sqeriana docens, his te coniungier optat.
Sæueriana virgo. Nec multo senior gaudens Aspidia, quondam
Aspidia. Sacratum velata caput, tua munia sumpsit
Bissenos iungens sanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit sors vltima læto
Nil tamen est subitum semper migrare paratis.
Aspice nunc culmen quod virginitate renidet,
Eximiumque decus, cuius tu iure propinqua
Fuscina Viennensis. Fuscinam fuscina refers, en filia nostræ
Clara exempla domus: quarum licet æthera supra
Emicat atque omnes cœlos super inclyta virtus.
Has generosa tamen si mente imitabere matres
Gaudebunt vinci dum proficis: ac tibi summam
Sponte dabunt palmã: nec enim vlli candida virtus
Inuidet, inuidiæ quanquam est subiecta maliguæ.

CAPVT VI.

Hæc dicens teneros sancto exhortamine sensus
Impulit, accendens in virginitatis amorem.
Sic prægnans fœcunda olim, at fœcundior orba
2. Mac. 7 Atque animos superans genitrix Machabæa viriles
Fœmineam & vincens animo vincente senectam,
Orbari læto ducebat in omine, si quos
Matris Machabæę constantia Ediderat mundo, patriis pro legibus illos
Fœlici iam morte Deo generaret: vt esset
Mors illis requies, faustæque exordia vitæ.
Ergo in tormentis positos, constantior ipso
Supplicio genitrix corde hortabatur & ore,
Spernere crudelis nimium fœlicia regis
Tormina, læticiæ dehinc commutanda perenni:
Augebatque pios ad fortia facta furores.
Scilicet æterno dignissima carmine, & illo
Plus misero partu fœlici funere fœlix.
Quid verò memorem tenero quæ fortior æuo
Ante annos animumque soror responsa dedisti?
Quanquam aggressa tuas nó est hæc pagina laudes:
Exitus impleto veniet quum tempore victor,
Cautius ac melius mihi tum laudabere: quum iam
Hostibus euictis & Iô clamante triumpho
Consummata tuis reddentur præmia factis.

CAPVT VII.

NVnc decet attentis vitare pericula nobis
Tecum & solicitas partiri ac voluere curas,
Atque iuuare tuos hortantia dicta labores:
Dum pugnat varius per tot discrimina casus:
Lubrica dum fragili currit sub tramite vita:
Dum tua calcatus captat vestigia serpens:
Molituróque suis iuuenem seducere technis.
Nemo adeo tutus qui non aliquando timere
Debeat, ac tali sibi prorsus ab hoste cauere.
Nulli tuta datur requies in carne caduca.
Sepe boni peccant, viciis perit obruta virtus.
Partáque transactę decedunt præmia laudis.
Contrà aliquando solet subito succensa calore
Frigida quę fuerat blandam mens linquere carnem:
Atque repentino restringere crimina freno.
Sic alternantem commutant facta rotatum:
Impius vt speret veniam, iustusque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat:
Contra si sanctos piget exercere labores
Pigráque consuetas dissoluant ocia curas
A Labitur in præceps damnosę gloria vitę, *Exercenda virtus*
Si vires nullas virtus acquirit eundo,
Amittit rediens paulatim extincta priores.
Ergo inter dubij tam dira pericula mundi
Tam varios casus, nitendum est viribus amplis
Vt satis angustum obseruent vestigia callem,
Principio angustus fine est amplissimus ipso,
Nec quęrenda alia est quę in cœlum semita ducat,
Arcta via est modo si verax seruator Iesus,
Aeternęque etiam porta est angusta salutis.
Et qui diffusam spatio laxante plateam
Mundi consectans fallacia gaudia, currit:
Strictior hunc carcer crudeli sorte ligabit.

B CAPVT VIII.

Tu modo da veniam qui te exhortatur amori.
Currentemque monet, quũ vix tamẽ ipse sequatur.
Quod si etiam tardus properantem currere gressus
Incitat, vtque sequi nequeat, præcedere suadet:
Fraterno haud dubium quin tu donabis amori.
Nec iam à me instituenda venis, quæ iunior ortu
Religione prior viuendi iura sacrasti:
Annorumque sequens meritorum sorte præisti.
Quod si sacratę conuersio prima sororis
Fratribus exemplum facta est & forma sequendi:
Grati animi librum hunc soror ô charissima testem
Aëre tibi frater grauiore obnoxius offert.
C Exigit alma fides etiamnum vt corde lubenti.
Participata leuet fraternum sarcina pondus.
Ergo istheę valitura tuis consortibus equi
Consule: namque aliis non hęc tibi scribimus vni:
Virgincisque tuo canimus sub nomine turmis.
Par ergo est sponte ingressum ceruice fideli
Sanctum ferre iugum, nec vincla in coniugis ire,
Mundanas odisse vias: percurrere mundas:
Illinc nolle thoros, hinc Christum quęrere sponsũ:
Ignorare virum, fœtus tamen edere tales
Quos nunquam possit tristis tibi tollere casus:
Sic nunquam orba gemes fœcundę pignora vitę:
Nec viduam sponso metues supperesse, perenni *Matrimonij incommoda.*
D Expers ipsa mali: nec te sententia tanger,
Qua prolis mortísque parens compellitur Eua
Occisam pariens sobolem viuente reatu
Plangere, quam sequitur quęcũque obnoxia mater
Quę subiecta viro & Dominum passura cubilis
Seruit, in obscœno tolerans connubia lecto.
Quę captiua thori, nomen comportat inane
Coniugis: vt vana dicatur imagine consors,
Sola subacta iugo non equam ducere sortem.
Et quum longa decem complent fastidia menses
Perfectóque grauis fœtu distenditur aluus:
Semina quę patris fuerant, hęc pondera matri
Infligunt duros vtero turgente dolores.

E CAPVT IX.

ET quum luctato soluuntur viscera partu
Carnis delitias immenso tormine pendit.
Sed tamen hunc lenit dices fortasse dolorem
Editus in lucem si viuat filius: atqui
Contingit plerumque gemens vt mortua fundat
Pignora, deformemve emittat in aëra massam.
Ne dicam quod monstra parit sępe horrida mater.
Illud iam leuius quoties interuenit, ipsa
Vt pereat tum sola parens, ac pondere fuso
Emittat cum prole animam: quod fortè leuatum
Nutritumque diu rapitur si funere pignus
Vnica quod crebro spes respicit, hic perit omne

Quòd

Quod sibi conceptis spondebant gaudia curis:
Omnibus id verò grauius si forte lauacri
Diuini expertem tenerum mors inuida natum
Præripiat, dura generatum sorte gehennæ:
Qui mox vt matris cessarit filius esse
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt
Quæ flammis tantum genuerunt pignora matres.
Quis vero tanti narrare pericula casus,
Aut vtriusque queat discrimina coniugis, in quæ
Perducit tandem dilectæ gloria carnis?

CAPVT X.

AT late longéque tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest, qua necteris, vt te
Impia fallentis non stringant gaudia mundi,
Tu Mariam sequeris dono cui contingit alto
Maria Virgo & mater. Virginis & matris gemina gaudere corona,
Conciperet quum carne Deum, cœlíque creator
Intraret clausum referans mysteria ventrem,
A genitrice satus: sed quam formauerat ante:
Qui nitidam elegit de qua procederet aluum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum
Prescieretque diem longè, tempusque videret,
Quo pariẽdus erat: quod vbi iamque adfore nouit,
Intactam matrem pro spermate sanctus adumbrat
Spiritus, hac tantum sanctum præbente cruorem:
Inde caro verbum efficitur: quique imperat ipso
Cum patre in cœlo, materno in corpore seruit.
Ante æuum de patre & matre in tempore natus
Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.
Sic virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, dominumque perennem
Edere promeruit, dignóque agnomine dici
Virgo Dei mater: cuius super omnia primæ
Laudis, eris si forte voles charissima consors.
Religiosa pio si Christum & credula corde
Concipiens, operum cœlo pia germina gignas:
Siquis enim Christus mea iussa peregerit inquit,
Atque voluntatem patris compleuerit almi,
Is soror, & frater meus est, is denique mater.
Ecce vides sexu vt careat cœlestis imago,
Interior sortitus homo quam mente retentat.

CAPVT XI.

NEc sexum acceptat, quia si scrutabimur alte
Prębuit exemplum surgens à morte creator,
Fœmineum maribus sese præponere honorem,
Quod ne fœmineum postheę quis spernere sexum,
Audeat, hic paucis visum est ostendere verbis.
Quum diram lueret nostro pro crimine mortem,
In crucis excelso pendens sine crimine Christus:
Atque animam viuos quæ mox remearet in artus
Fixus adhuc clauis diuino efflaret ab ore,
Deserit insoliti populus spectacula monstri:
Signaque ferre nequit, cœlum quę triste minatur:
Nam sol obductus, vultumque aduersus ab orbe
Portenta Christo moriente visa. Cesserat iniustas nocturnis luctibus horas:
Temporáque externis dederat non visa tenebris:
Et terra abscedens mutato cardine rerum
Nox erat in superis, lucemque inferna videbant:
Intremuit tellus, & nisu mœnia magno
Concussis summo nutarunt vertice cristis:
Pius mulierum erga Christum affectus. Senserunt motum priscis descendere iussa
Saxa locis: sonituque nouos collisa dederunt.
Hos inter strepitus cunctis fugientibus illæ
Interea sanctæ matres Christumque secutæ
Decernunt quanquam trepidæ, persistere: quum iã
Discipuli Christo fugissent ante relicto.
Vt quæ erga viuum fuerat pia cura, sepulto
A Seruiat, & iustos defuncto soluat honores:
Ergo fragranti componunt illita succo,
Albaque saluificum quę feruent lynthea corpus,
His amor intensis lugubria dona parabat
Supremum credens semet persoluere munus
Quod credebatur seruandum poscere corpus.

CAPVT XII.

OMnibus his ergo ad funebria iusta paratis
Vncturę accedũt Domini pia membra sepulti,
Hic delectari nostro conamine, seque
Quo non indiguit lætari munere Christus
Ostendit, matrum large pia vota reponens.
Pro queis respondens confestim gratia facta est, *Matt. 28.*
B Angelicos cernant humana vt limina vultus,
Atque resurgentis primę dent nuncia Christi:
Quæ primum vt tumuli venere ad limina sancti
Apparet dextra cœlestis parte minister:
Splendida candebat niueo cui corpore vestis:
Cui vultum rutilus conspergerat vndique fulgor.
Matribus & dignis verbum cœleste sonaret.
Occursúque suo attonitas formidine cuncta *Angelus ad mulieres.*
Solueret, aggressus sancto quas taliter ore:
Quid timidæ trepidatis ait, consistite: neve
Aspectu trepidate meo: vos nulla timendi
Caussa manet, quas cura pij confirmat amoris.
Queritis agnosco pretiosi in sede sepulchri
C Funere solenni tumulatum nuper Iesum:
Sed meminisse decet quid presens ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius vna
Seruandum se nocte, & iamiam tertius hicce est
Qui complet promissa dies: pater ecce sepulchrum
Deseruit vacuum victa quod morte resurgens.

CAPVT XIII.

TAliter excelsus iusso sermone minister
Sparsurus mundo vitalis dona triumphi,
Has primum gaudere dedit: luctúque leuauit.
Hinc læto impauidę discedunt pectore matres
Credula concepte seruantes corda saluti.
Quum medium sese Christus gradientibus offert
D Agnoscíque iubet, blando & sermone salutans *Matt. 28.*
Ite (ait) & nostris hęc iam mandata referte
Discipulis, vt vel tandem me viuere credant.
Mox ille amplexis defigunt oscula plantis,
Atque ad discipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoresque docent: & quæ spargenda per orbem
Primum fœmineis iussi sunt discere verbis
Discipuli: tanta est mulicbris gratia sexus.
Communis virtus igitur commune periclum.
Matribus atque viris: nulla est distantia cuique
Si mens recta subest, si gratia constet vtrisque:
Vitáque si iusto insudat studiosa labori.
Nam quid dona iuuant hominem, si mente soluta
E Turpia collatum male perdunt ocia munus?
Auxilium conatus amat, Quis namque vacantem
Adiuuat? aut somno virtutem iungat inerti?

CAPVT XIIII.

COelestis vult œconomus concredita seruis
Crescere dona suis, qui quondam abscedere *Luc. 19.*
terra
Dum parat: & carnem peregrino immittere cœlo:
Mnas bisquinque prout cuiusque industria soleis
Exigeret, famulis partiri cœpit: ibi vnus
Quinque, duas alius, se tertius vnam
Reddendas multo cum fœnore quisque recepit.
Hęc ita partitus mox seruis talibus infit.

Thesauros geminate meos, vt fœnore multo
Quum primum fuero patria de sede reuersus,
Auctos inueniam: & meritis sua præmia reddam.
Dixit, & abscedens cœlestia regna petiuit.
Mnas autem quas ille dedit, diuersa parentis
Munera cœlestis sunt, quæ pneumate misso
Christicolis sacro infudit baptismate tinctis:
Naturæque etiam vel corporis, exteraque illa
Quæ bona fortunæ falso appellare solemus:
Qualia diuitiæ, valitudo corporis, ipsum
Robur, & ingenij quàm fœlicissima prompti
Dexteritas, vario quæ nostra industria pacto
Dispensare solet: pars auget, & altera sumptas
Imminuit retinens, quas sola eleemosyna auget.
At quidam quibus exiguum æs, & rara facultas,
Si qua animi siue ingenij virtute valentes
Extiterint, rudibus iuuat exercere docendis:
Non desunt contra, quorum vel maxima pars est.
Qui siue externas, illa instrumenta bonorum,
Siue etiam internas cœlesti à patre receptas
Diuitias, terra effodiunt: nec fœnore sancto
Multiplicant: quos dura manet sententia tandem.
Nam quum terribilis iudex aduenerit ille
Fœnora commissi poscens reddenda talenti:
Tunc soli quorum cumulos industria primos
Auxerit, ij vitæ referent promissa beatæ
Præmia, centuplum cumulati fœnoris vsum.
Qui vero scrobibus fossis incluserit aurum,
Contempsitque sui cumulare talenta magistri:
Degenerique fluens elegit viuere luxu:
Sentiet incensi crudelem iudicis iram
Talibus ad sese dictis sic ore tonantem.
Tanta ne te nostri tenuerunt ocia census
Serue piger? redituque mei sic cura neglecta est?
Concessum ad mensam nequiisti ferre talentum?
Illam ego vel modico cum fœnore vt exegissem?
Ergo quos illi mea munificentia nummos
Tradidit ablatos fidis concedite seruis:
Sic concessa suis vt crescant munera Christus
Quærit, & vt meritis augescat gratia multis.

CAPVT XV.

ERgo age succinctis ad fortia prælia lumbis
Armata cum mente veni, nec fœmina quanquam es
Iudic. 4 Debboræ virtus. Duram formides aciem: victoria dudum
Sexus ista tui tibi credo incognita non est.
Et memori nunc mente tenes vt Debbora quódam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros: quos ipsa ferocem
Exemplo verboque monens accendit in hostem:
Quas postquam ducens princeps animosa cateruas
Impulit, accedens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus: dissoluitur omnis
Hostilis virtus, tum qua se fœmina monstrat,
Palantes dant terga viri: latebramque petentes
Si viuunt, vicisse putant: tum maximus ille
Forma gigantææ quem fecerat horrida molis
Conspicuum: immensáque humani verticis arcem
Sisara. Sisara rex gestans, telorum fasce neglecto
Incomitatus abit, metuens sublime notari,
Corpus & excelsa fugitiuum prodere massa.
Qui postquam latuisse putans, tectóque receptus
Iahel. Iud. 4. Mollia perpetuo dimisit lumina somno:
Mox animosa Iahel peragit quod Debbora victrix
Cœperat: in que solo strati terráque iacentis
Tempora transfixo penetrans immania clauo.
A Fœmineus duplex sic vno ex hoste triumphus.

CAPVT XVI.

Arma Christiani hominis Galea Zona. Lorica. Gladius. Ephe. 6.

AT tu virgo Dei sanctis quam moribus ornant
Hinc pudor inde fides, internis fortior armis
Bella geris iustis triplex quæ commouet hostis,
Spes tibi fida micat: fœlix in vertice cassis,
Continet & lumbos precioſi zona pudoris:
Iustitiæ lorica tuos constringit amictus
Pro gladio vibrat bis acutum dextera verbum.
Hæ virtutis opes, hęc sunt solatia belli,
Queis dubium aduersus mentis cum corpore bellũ
Ipsa suos armat clamantis buccina Pauli,
Quæ prudenti olim cecinit prudentius ore
B Præterea tibi bellatrix & robore plena
Virginitas armata viget: quam fœda libido
Appetit, & casso vocat in certamina nisu.
Sed bellatricem te sentiat æmulus anguis:
Vt quum pugnatam dederint tibi prælia palmam,
Læta feras summùm calcato ex hoste trophæum.

CAPVT XVII.

PRæterea verò queis victo ex hoste rebelles
Atque resultantes victrici in corpore motus
Artibus allidas Christóque in cote retundas:
Diuino eloquio scripturáque indice nosti.
Nam quidquid sacræ diuina volumina legis
Quinque libri Moysi. Aut sensu aut verbo monstrant, quod prędicat ille
C Antiquus mundi repetens exordia vates,
Siue ille historias texit, seu forte figuras,
Quidve etiam ille Naue Mosi successor Iesus
Iosuæ. Iudicum. Succiduóque simul quod quisq; in tempore Iudex
Gesserit, vt digitos soror isthęc omnia dudum
Docta tenes: quid enim nunc Ruth: moabitida dicã?
Præterea reprobo qui successere Saũli
Esdræ. 4. Thobias. Hester. Iudith. Iob. Psalmi. Quique gubernarint Iudam atque Israela reges,
Quæque instaurator templi promptissimus Esdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Thobias, quid pro populo confecerit Hester.
Fœmineáque animos Iudith in mente viriles,
Et quæ tam misere afflicti patientia Iobi:
D Porro etiam vnde animi possis desumere mores
Libri Salomonis. Ter quinquagenos perscriptos ordine psalmos.
Et quidquid docti Salomonis dextera scripsit,
Quodque bis octoni post se videre Prophetæ,
Et Machabæorum fortissima prælia fratrum.
Vis vno breuius complectar vt omnia verbo?
Tota instrumenti veteris tibi pagina nota est.
Dehinc quidquid prisęq; succedens gratia legi
Intonat, atque noui miracula testamenti:
Euang. 4 quę canit hinc hominis facies, vox inde leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus,
quidquid Apostolicis Lucas descripsit in actis,
Bisseptena pij quod spargit Epistola Pauli,
Apocal. E quid Petrus docet & Iudas, Iacobus & ille:
Et quę diuini quondam secreta parentis
Vidit Ioannes nobisque incoginta scripsit.
Et quę veridici nec in hoc tamen ordine, patres
Exposuere suis mysteria digna libellis:
Hęc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.
Nec si quid sacrum nostri cecinere poëtę
Te latet, agnoscisque legens, & cognita seruas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.
Cętera quid replicem? tu sensibus vtere doctis,
Et quę nota tibi vel quę percussa legendo
Ad virtutis opus studio conuerte virili.
Nam nisi doctrinę iungatur vita fideli

Maiores faciet coniuncta scientia pœnas.

CAPVT XVII.

ESuriit quondam Christus, quum forte vianti
Conspicitur diffusa leui ficulnea fronde.
Nec iam maturum prębens exarbor fructum.
Præteriens obiter Christus mox vt videt illam
Indutam tantum foliis sed germine nudam,
Prorsus in hacce virens ornatus inutilis horret.
Tum subito quatitur radix afflata calore:
Aruit & posito ramorum tegmine truncus.
Nec verò immeritam temere ficulnea pœnam
A Christo maledicta luit: nos inde docemur
Ne vanum prę se tumefacta scientia nomen
Nostra ferat, sed iuncta sibi dilectio subsit.
Nam si Christicolas nosmet sanctósque putamus,
Aggrauat hoc etiam nomen ni facta sequantur.
Sic & virginitas sacro deuota pudori,
Indiget adiunctis virtutibus: & nisi mentem
Intactam seruans casto cum corpore iungat,
Succumbit vitiis, nec castam dicere carnem
Iure potest: animus quam si corrumpat adulter,
Ira, furor, mœror, liuor, discordia, luxus,
Lingua duplex, constricta manus, laxata voluntas,
Mœchãtur cum corde hominis: tum semine mortis
Fœtus mortis alunt, en quo perducitur omnis
Nomine virgineo quæ se dum iactitat intus.
Criminibus grauidam nescit turgescere mentem.

CAPVT XIX.

ECce tibi è multis vnum quo cætera noscas
Exęplum. Dominus plebẽ quum forte doceret,
Peruigili cura supremo attendere fini,
Cœlorum regnum quę Christi Ecclesia sancta est
Virginibus sacro signatis Chrismate confert.
Quarum quinque ex his sapientia diues adornat,
Quinque alias stolido declarat inertia sensu,
Quos dum sub noctem requies complectitur vna
Atque obitum signans captiuat lumina somnus,
Ecce autem medio taciturnæ in tempore noctis
Perstrepuit subitus, rupitque silentia clamor:
Tandem sponsus adest, de corpore torpor inerti
Abscedat, sapidæ raptim properate puellæ:
Vnáque quęque suo procedat & obuia sponso.
Protinus exiliunt omnes, stratisque relictis,
Aptauere suas quæsito lumine flammas.
Sed nunc quinque quibus maior solertia menti,
Lampades accipiunt, oleum quibus addere sumptis
Sollicitudo fuit vasis, pinguique liquore,
Ignibus armatis squalentem rumpere noctem.
At quę neglectum liquit pars altera succum:
Incensos lychnos nequidquam sustulit: vnde
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada feruor
Deserit, & siccam percurrit flamma papyrum.
Mox inter piceos nebulosa volumina fumos
Canescunt pigra crescentis mole fauillæ.
Ergo vt se indignas tali videre paratu
Quæ sponso occurrant iam comminus aduenienti:
His prece submissa prudentes vocibus orant.
Iam nostræ inspicitis moribundo vt lampades igne
Deficiunt, nisi vestra oleum dilectio nobis
Mutuet, extincto vitam quod præbeat igni:
Quod nisi torpentes adiutrix dextera flammas
Suscitet, æternum sponso excludente perimus.
Ergo agedum miseris oleum concedite nobis:
Finierant paucis, longas inhibente loquellas

Aduentu sponsi, ad quarum quæsita rogatæ
A Respondent sapidæ tali sermone sorores.
Est miseranda quidem vestrorum caussa malorum,
Sed tamen hoc oleum non plus quàm sufficit affert,
Vnusquisque sibi constat, quia copia vasis
Et perfecta suum seruat mensura liquorem.
Nec fas quæsitum partiri aut perdere succum:
Ne dispersa cauis desint fomenta lucernis,
Quumque lucrúm vobis dispendia nostra pararint
Tota simul pereant extinctis lumina flammis.
Talibus adiectę dictis, tristíque repulsa
Perlustrant quocunque loci commercia feruent
Venaléque manus: sed dum disceditur, ecce
B Introiit sponsus thalamum, induxirque paratas.
Dimittensque vagas exclusit clausa sorores
Ianua, nec tandem redeuntes excipit intro.
Virginei ecce vides quàm vanum nomen honoris
Ni fertur sanctus thalamis cœlestibus ignis.
Fœlix illa manus largis quæ prouida donis
Accensum pura fouit pinguedine lumen:
Tantum namque olei vasis infunditur amplis
Quantum quis miserans misero porrexit egeno.
Hinc Dominus cunctos ardentes ferre lucernas
Admonet: hoc opus est hæc claræ gloria vitæ.

CAPVT XX.

C SVppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus:
Nec verò est quod iam timeas, quicunque pudicam
Fortunæ casus, discriminave altera voluant:
Vna tibi modo constiterit mens conscia recti,
Neglige quid de te rumor diuulget inanis.
Nec lædi iam fama potest, innoxia cuius
Vita, vel inuitis tandem patet hostibus, vt se
Opponat mundus, mendaciáque omnia fingat.
Nec deest ipse suis tandem expectatus amicis,
Qui verum prodat verax Deus, atque fidelis:
Cuius habe monimenta rei pauciſſima paucis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, Christi quæ quum pro nomine vitam.
D Fuderit, ante tamen fortes processit in actus.
Namque habitum mentita viri, non proinde virile
Pectus, pręficitur sanctis à fratribus abbas.
Tum patris officium complens, ac veste virili
Fœmineum occultans sexum, muliebria spreuit:
Et meritis annisque graues, longáque verendos
Religione senes, iuuenili rexit in æuo.
Tum recti impatiens, omni qui tempore serpens
Mille dolos, damníque artes ter mille volutat,
Inuidet Eugenię, & sanctum crebrescere frendens
Nomen, ad assuetas redit vndique callidus artes,
Eugeniam quęrens vulgo traducere, verum
Quo famam violare cupit, dedit inde coronam.
E Quę sexum mentita pie, quum munia patris
Sane exerceret, morbisque leuaret ademptis
Quotquot subsidium sancta pietate rogarent:
Contigit à morbo vt precibus reualesceret eius
Iamdudum confecta grauis matrona, bonique
Nominis, insano quę mox accenditur igne
Virginis heu, specie infœlix decepta virili.
Quumque pudicitiam sanctam donisque dolisque
Non semel inuasam frustra captare, nihilque
Profore se nosset: (Quid non amor impius ausit?)
Addere vim verbis statuit: longéque remotis
Arbitris, morbum simulans, morbique leuandi
Eugeniam causa appellans: vi nititur illam

Opprimere,inque suos inuitam adducere nexus.
Constans Eugeniæ pudicitia. Illa autem valido stuprum clamore repellens
Auxiliumque petens magna virtute restisti.
Ergo luxuriéque suæ matrona patrandæ
Complendique expes mulier male perdita voti,
A patre Eugenio(qualem decepta putabat
Ob muratum habitum longa assuetudine plebes)
Interpellatam stupri sese impia fingit:
Inque forum vocat innocuam:quo protinus omnis
Turba senum turbata coit,quo denique cuncti
Attoniti nouitate rei matresque virique.
Currunt:intereaEugenius(sic nescia sanctam
Matrem turba vocat)populo spectante tribunal
Causam dicturus tam diri criminis intrat.
Et iam iamque reum secreti ignara tenebat
Publica vis,odio tantum inflammata sinistro:
Conscia quum sexus proprij,cordisque pudici
Vincitur vt vincat iam virgo innoxia fraudem.
Et sexum ostendit dudum mentita virilem,
Fœmineũ:ac fraudes populo applaudente retexit
Dæmonis,vsque adeo casti custodia voti
Semper tuta manet multis licet acta procellis
Quamlibet impugnet miseri fraus callida mundi
Intendatque dolis laqueos,mendaciáque addat.
Nec fert immeritam mors culpæ ignora ruinam:
Quosque tremens hostis fallaci ventilat astu,
Purgandos sancto patientia discutit igni.
Nec desperandum est siquando aduersa videntur
Numina: quæ norunt optatam adferre salutem
Et sperata suis in tempore gaudia seruis.

CAPVT XXI

VEndiderat puerũ Ioseph manus æmula fratrum
Quem quum olí seruũ tell°memphitis haberet
Pellicis insultus Dominæ(quæ tota furebat
Et tota interius iuuenis feruebat amore)
Sustinuit:quod se inuitam cognoscere,viáque
Opprimere ausus erat,quánquam contraria passus
Sustulit vnde insons ergastula,vincla,cathenas,
Dum spacium replicansgeminos sol duceret annos.
Et iam oblitus erat lucis,iam crine fluenti
Longus ad vsque pedes pendebat ab aure capillus:
Quum vegetante Deo nullis mens clausa tenebris
Eruit è tenebris archani abscondita sensus.
Atque Canopæi patefecit somnia regis.
Vnde & tanta illi successit gratia coram
Principe:vt imperij consors & totius esset
Ægypti secum Dominus:quin protinus illi
Captiuo Pharaon diadema in vertice ponit.
Sic regno exidium commutat,principe seruum.
Opprobrium euitans ac præmia magna reportans.

CAPVT XXII.

Danie.13 Susannæ virtus. Ioachim. SVsannam posthunc dignis quis laudibus vnquã
Excolat,infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota senum,coniuratósque furores?
Optimus Hebræos & prestantissimus inter
Illi vir Ioachimus erat,quem siquid habebat
Iudicij ac litis populus referebat ad vnum.
Mos est Hebrææ genti vnumquemque per annum
Eligere ex omni senio & virtute probatos
Gente duos:qui dent populo responsa petenti
Iusque ferant:verũ quodam(vt fors contigit) anno
Lecti è plebe duo,non tam virtute valentes
Quantum obdurati senio, atque libidine fortes:
Exarsere semel Susannæ ardore:nec illos
Coniugis auctoritas,matronę aut fama pudicæ,
Non prope natiuis defecta caloribus ætas
Continuit,quin luxuriæ παράδειγμα senilis
A Et iuuenescentes defecto in corpore flammas
Proderet & mores probitas simulata malignos.
Fortè per rrentes iam grandi æstate calores
Dum medium amplexus cœli sol torridus axem.
Æqua sorte diem atque in partes diuidit æquas,
Casta subingredier pomarij clausira virentis
Captatura leues auras Susanna solebat:
Hunc verò illius morem speculata senilis
Luxuries opportunam captabat & horam
Et tempus(quanquam alterius nescíret amores
Alter,& improbitas velut est suspecta,timeret
Alter ab abterutro)quum explere libidine sese
Posset,& alterius fructu gaudere mariti.
B Dumque explorantes conceptæ accommoda fraudi
Tempora,sępe locum effrænes coguntur in vnum,
Et nimium tardos secum indignantur amores,
Mutua senserunt perculsi incendia cordis:
Consimilemque sui causam agnouere doloris.
Conueniunt ergo,atque nemus(quo sępe solebat
Aduersum æstiuos Susanna intrare calores)
Ingressi,dexam latitant ponè arboris vmbram.
Ecce autem viridis per mollia gramina luci
Susanna ingreditur famulis comitata duabus
Quas smigma atque oleum iubet ad se afferre, foráque
Destinat imprudens casusque ignara futuri.
C Illi autem vt solam egressis videre puellis
Illicet effrontes incautam fraude puellam
Appetiere simul:verbisque hanc talibus ambo
Aggressi,en aiunt,soli sumus, en age nostris.
Vndique dum clausum nemus est,acceditovotis.
Larga tibi dabimus violati præmia lecti.
Contrà si nostros temeraria spernis amores;
Fingetur tecum à nobis inuentus adulter:
Quicum tu emissis habitaueris inde puellis.
Talibus aggressi iuuenem gens improba verbis
Insuper intentant & verbera,protinus in se
Delitiásque suas ni statim assentiat:hic tum
Anceps illa secum luctatur,& hęrens
D Fluctuat incertæ quo vergat pondere mentis.
Lex peccare vetat:rursusque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat,& obscœnas lachrymis extinguere flãmas.
Sed postquam nullis precibus monitisve repulsos
Obstrictósque senes vincit cognata libido:
Fœmina prędaro mentem succensa pudore
Decreuit iam casta mori:ne crimine tanto
Fœdarent miseram carnis commercia vitam.
Teste Deo gaudet,famamque recusat inanem
Iudicio contenta suo:tum protinus omni
Auxilio deserta hominum matrona,suæque
Conscia virtutis superis commendat inermem
E Mœsta pudicitiam, quosuis passura labores
Ante ferat quam luxuriæ assentire senili.
Ergo pudicitię custos,spes vna suorum
Summa Deus,solusque animi scrutator operti.
Rem cupiens aperire loco,facinusque reclusum
Pandere, & obtectas laqueis producere fraudes,
De cœlo auxilium(quod vis humana nequibat)
Misit,& occultas seniorum in tempore fraudes
(Nil minus aduersum sese sperantibus illis)
Prodidit,illorum puero prodente furores.
Forte semiramia puer hoc ętatis in vrbe
Vnus erat,plebes Danielem hebræa vocabat,
Cui tanta Assyrio quęsita est gratia coram

Principe,

Principe,vt imperij primores inter haberet
Balthazaremn(namque hoc illi Chaldaica nomen
Gens dederat)cui coniunctos treis nouimus illos
Tres pueri in formacem ignis missi. Insignes pueros Sidrach,Misach Abdenagóque
Quos statuam assyrij negligentes principis illam
Instar adorantum venerarier Assyriorum,
Protinus ardenti nudos fornace receptos
Ambibat saluos vstis tortoribus ignis,
In mediis Domino resonantes cantica flammis,
Quos meritis æquans Danielis candida virtus
Horrida frendentum compescuit leonum
Dan.14. Nam quum in se Assyrios & belis imagine fracta
Atque sacerdotum detecta fraude suorum
Dignus ob id mercede puer mouisset,in antrum
Quo septem ingenteis solitum nutrire leones
Ora famescentum satiet qui dira ferarum
Mittitur: vtque illi feritas minus horrida parcat:
Subtrahitur diris consueta leonibus esca.
At vero qui nunquam non in tempore seruis
Nouit adesse suis,puero adfuit:inque leones
Virtutem dedit,vt posita feritate,sæque
Iam famis obliti,sartum tectumque fouerent,
Immunemque suis à rictibus:& tamen illud
Habacuc. Quis non addiderit toti admirabile mundo?
Dan.14. Quod tum in Iudæa degens regione Propheta
Angelica medium sublatus in aëra dextra,
Vertice de summo pendens,summóque capillo,
Subiectásque terens immotis gressibus auras,
Intulit aptatas puero nil tale putanti
In Babylona dapes:gratiis tum protinus actis
Excepit Daniel tranimissas desuper escas:
Et quanquam è longis veherentur fercula terris
Seruauere suos peregrina in sede sapores.
Septima iamque dies clauso Daniele redibat
Quum rex Assyrius Danielem vt ploret amicum
Illuc inuidia populique timore repostum
Dirorum tristis festinat ad antra leonum.
Vt verò illęsum vitæque per omnia plenum
Sęuitiáque feras posita mansuescere vidit,
Magnum illum Dñm atque Deum Danielis adorãs
Abstulit & vinctum,multis & honoribus auxit.
Iste ergo impubis Susannam forte videbat
Ad tormenta rapi,veri quam nescius ante
Vulgus inauditam damnauerat: & simul omnes
Insontis sontem certabant cernere mortem:
Daniel pro Susanna. Quum subito in medium iuuenis se proripit agmen
Accensum tenera castigans voce tumultum,
Immeritam ecquid(ait)plebes insana puellam
In mortem rapitis?seniores quin magis illos?
Ecquid ad iniustum certatis currere lethum?
Protinus ad verbum pueri commota repressit
Turba sequax animos:atque huius criminis illi
Iudicium defert,tum læta precarier omnes
Susannæ,& finem attentos spectare videres.
Ille autem ascendens populo impellente tribunal
Confestim abiunctos seniores quemque seorsim
Quæ sit adulterij series interrogat: & qua
Testibus his mulier deprensa sub arbore peccans.
At dum responsis variant discordibus ambo:
Coniunctum facinus desiuncta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit.vndique clamor
Surgit,& auctores sceleris plebs obruit omnis:
Inque Dei varias iuncto modulamine laudes
Fertur,& accito Susanna erepta marito
Redditur,hic omnes communi voce parentes
Collaudare Deum digniique extollere psalmis

Qui dare suppetias(modo ne fiducia desit)
A Nouerit,auxiliumque suis in tempore seruis.

CAPVT XXIII.

ERgo si nubens terrena lege puella
Est etiam curæ Domino connubia si quæ
Integra seruauit,seruari illæsa meretur:
Comice virgineis quantum disponitur illic
Quò Christus vocat hinc meritis:& quanta futura est
Illius à prima quæ mox ętate pudica est
Gloria:quum cuncti iudex atque arbiter orbis
Lasciuos castis hœdos secernet ab agnis,
Et sua pro merito dabit vnicuique labore
Præmia,demeritis tormenta æterna reseruans:
B Quum vel in extremis quid quisque cubilibus olim
Egerit,id nulla demum cœlabitur arte.
Et verò hoc etiam memori tibi mente tenendum
Chara soror,quod iam potiori in parte locata es
Quam(mó tu vigiles)vnquam nemo auferet abs te.
Olim id dũ Mariam aduersus pia murmura fundit
Martha soror Christo didicit correpta magistro
Optimum enim maria elegit,nec segniter,inquit,
Illa vacat,verbo curis attenta neglectis.

CAPVT XXIIII.

ERgo age iam germana suis dum secula curis
Flagrant,inq; suos mundus conuoluitur æstu,
C Electam seruare tibi non desine partem:
Te primam meruit cognatio tota patronam:
Iam te signiferam sequimur, vexillaque Christi
Te præeunte libens sectatur stemma parentum:
Quos licet antiquo mundus donarit honore,
Et titulis à primæuo insignierit ortu,
Plus tamen ornantur sacris insignibus illi,
Quod sanctas studio & meritis rexere cathedras.
Nec iam atauos soror alma tibi proauósque retexã,
Vita sacerdotum quos reddidit inclyta claros:
Pontificem sacris ad sumptum respice patrem, *Isychnis pater Auiti.*
Quumque tibi genitor vel auunculus vndiq; magni
Virtute & meritis præeant,sectarier aude
D Aut pręire magis:precibus nec desine Christum
Flectere,quò sumptos patrum ad consortia fratres
Digne susceptо fungi pro munere donet.
Pro quibus assiduas illi persoluere grates
Fundere, vel fletus non tædeat:vt tibi nullus
Fratrum de numero desit,quum prędmia sumes
Factis digna tuis,materque effecta parentum
Virgineæ victrix sociabere læta cateruæ.

FinisCarminum Diui Alchimi Auiti,Viennensis Archiepiscopi.

HOMILIÆ BEATI ALCHIMI AVIti,Viennensis Archiepiscopi,de prima festi Rogationum institutione,habita ad populum Viennensem.

E VRrit quidem tramite vitali non per Gallias modò sed pene per orbem totum Rogationis obseruantiæ flumen irriguum, & infectam vitiis terram vberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsa institutione festiuitatis & gaudij causa est: quia quod huic modo ad vtilitatem cunctorũ defluit,ex nostro primitus fonte manauit,& forte nũc pertineat ad cuiuscunq;priuilegij ornatũ, sumptæ primitus institutionis exordium. Cęterum quum

ad huiusmodi vtilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensiũ corda perdomuit, sentiés Ecclesia nostra causſam ęgritudinis suæ, non sibi quasi maximè præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans esse opus instituenda obseruatione præsenti, solicitius captauit remediũ quã primatũ. Et quidẽ terrorũ tẽporis illius causſas multos nostrũ adhuc recolere scio: siquidẽ incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus, cuidã totius vrbis funeri prodigiosũ quod dã minitabantur. Nam populosis hominũ conuentibus domestica syluestrium ferarũ species obseruabatur: Deus viderit an ludificãs oculis, an adducta portentis. Quidquid tamen ex iis duobus foret, petinde monstrosũ intelligebatur: seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tã horribiliter conspectibus territorum falsę visionis phantasmata posse confingi. Inter hęc, diuersa vulgi sententia, disparĩq; ordinũ varię opiniones: alij quod sentiebant dissimulando quę fletui nolebant dare, casui dabãt. Alij spiritu salubriore abominabilia noua queq; cõgruis malorũ proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus ignes sodomiticos nõ timeret? Quis trementibus elemẽtis aut decidua culminum, aut disrupta terrarũ imminere non crederet? Quis videns certe videre se putãs, pauidos naturaliter ceruos per angusta portarum vsq; ad fori lata penetrantes, nõ imminentẽ solitudinis sententiã formidaret? Quid multis? tracta sũt hæc inter timores publicos & rumores priuatos vsq; ad imminẽtẽ vigiliarũ solenniũ noctẽ, qua celebrari festũ dominicæ resurrectionis annua consuetudo poscebat, siquidẽ hanc omnes laborũ opẽ, malorũ finem, metuentiũ securitatẽ, communibus animis operiebãtur. Affuit igitur nox illa venerabilis quę ad spẽ publicæ absolutionis votiuum solẽne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus ictu flagelli grauius ferientis intonuit: vtpote quẽ iã emensis gradibus superlatiuũ nihil sequi aliud quã gladius intelligeretur: Ædes nãq; publica quã præcelso ciuitatis Viennensiũ vertici sublimitas in immensum fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuncio discriminis iucunditas solennitatis: pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes nãque simile facultatibus vel domibus propriis casum de quadã præminentis incendij arce metuebãt. Perstitit tamẽ corã festiuis altaribus inuictus antistes sanctus Mamertus & calorẽ fidei suæ accendens flumine lachrymarũ permissã ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Igitur desperatione deposita redit ur ad Ecclesiã: & restincta flamminatũ luce claresc it luminũ pulchritudo. Nec sane vlterius trahitur atripiendo compunctionis medicamine mora. prædecessor nãq; meus & spiritalis mihi à baptismo pater sanctus Mamertus sacerdos, cui ante paucos annos pater carnis meæ accepto sicut Deo visum est sacerdotio in tempore successit, totas in ea quam supra diximus vigiliarum nocte sancto paschæ concepit animo rogationes: atque ibi cum Deo tacitus definiuit quidquid hodie psalmis ac precibus mundus inclamat. Reuoluta ergo solennitate paschali non iam quid, sed quando aut quo modo fieri debeat secreta prius collatione tractatur. Putabatur à quibusdam Viennensis senatus, cuius tunc numerosis illustribus curia florebat, inuentis non posse addici quũ vix adquiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac solicitus pastor sapientiæ salibus largus, mãsuefaciẽdarũ ouiũ prius orando animũ quã perorando mollit auditũ. Pandit igitur dispositionẽ, iudicij ordinẽ exponit, & viro tam religiosi, quã solertis ingenij parũ fuit, si obedientibus propositũ tantũmodo institutionis promeret: nisi inter initia etiam vinculum cõsuetudinis assignaret. Inspirante igitur cõpunctotũ cordibus Deo, auditur à cunctis, confirmatur, attollitur, eligitur tẽpori triduũ præsens, quod inter ascẽsionis sacrę cultũ diẽq; dominicũ quasi quodã opportunitatis proprię limbo circũpositis solennitatibus marginaretur. Explorante autẽ episcopo feruorem inchoationis, & maximè verente ne ob tardã populi sequacitatẽ paucioribus eductis obseruatio ipsa cõfesti in sui nouitate reuilesceret: ad Basilicã quæ nũc mœnibus vicinior erat ciuitatis, órationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, & maxima compunctione, vt reuera populi lachrymis laboribusque breuis atq; angusta ,pcessio videretur. Vbi vero sactus sacerdos de minorũ effectu maiorũ indicia collegit, sequẽti die institutũ est quo nũc primo id est crastino si Dñs annuit, die laboraturi sumus. Sequutę sũt succiduo tẽpore quędã Ecclesię Galliarũ rẽ tã probabilis exẽpli. Sic tamẽ quod hoc ipsũ nõ apud oẽs iisdem diebus quibus pene nos institutũ fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat quod tridũ eligeretur, dũmodo psalmorũ officia lachrimarũ functionibus cernuis persoluerentur. Tamen cum dilectione rogationũ etiã sacerdotũ crescẽte cõcordia, ad vnũ tempus id est ad præsentes dies vniuersalis obseruantię cura cõcessit. Porrò autẽ eo attinuit ista præfari, vt seu recolentibus hęc seu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant quod Ecclesia quæ misit aliis formã institutionis, multipliciter debitrix est ostendendæ alacritatis: & prima debet esse cõpunctionis officio quę in re tã necessaria omnib. facta est mater exemplo. Vnde imminere si Deus annuit rogationũ nostrarũ operosissimã festiuitatẽ non quasi nesciẽtibus indicimus, sed quasi expectãtibus cõmendamus. quia licet non absq; labore constet seruanda professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inueniri probata est spes salutis: si dixerimus inquã, sicut ait Apostolus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Et si confiteri debemus assidue nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate pœnitendi, præsertim quũ plebis adunatæ cõpunctio sic ad incitamentum boni operis possit aptari, vt rebelles cõuenientius erubescant, si cunctæ multitudini proprię mentis solitudine contradicentes peccata sua vel vitia cum populo flente non defleant. Necessaria est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium, periculosius agitur singulare certamen, in quo vires altrin secus experiri posse paucorum est. At vero quum contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus infirmitas delitescit, & quodã vnitatis suffragio laus fit inualidis in exercitu fortiũ computari. Denique quum victoria contigerit, omnibus adquiritur: & quum paucorum dextra pugnauerit, omnium gloria triumphauit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ si se rogantibus non subtrahat, etiam quũ ipsa per se minus fecerit, non tamẽ ad integrũ fructu carebit. In illa gloriosa & admodũ singula-

singulari historia Niniuitarum contra exercitum commotæ diuinitatis gladiũ iuncta seniorũ viribus etiã infantilis ætas pugnare cõpulsa est. Humani quoque mercedẽ & gratiã ieiunij pecorũ fames adauxit. Quin & ipsa irrationabilis creatura quę offensã timere nõ potuit, quo dãmodo veniam postulauit: & quia homines in morem animalium viuendo peccauerant, rursus animalia sua quasi homines ieiunare cogebãt. Propter hanc ergo discretionem in Euangelio Dominus ait: Petite & accipietis, quęrite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Petere enim docti est, quę rere religiosi: Petit sciens, quærit nesciens. Quum petis, vis accipere quod intelligis: quum quęris, adhuc conaris inuenire quod petas. Ideò qui iam superiores sunt, orando petant: qui infirmi, laborando quęrant. Porro autẽ pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: istud ad manus pertinet, & corporis actus est. Petat ergo scientia: quęrat amor: pulset operatio: maximè in obseruatione præsenti. Festiuitas siquidem est, cuius iocunditas tota est seria grauitas: cuius epulæ lachrymę, cuius pastus esuries est, cuius principium ex necessitate, perseuerentia in dilectione, actus in requie, requies in labore. Mecum enim tota ista obseruantia confessio pœnitendi pro culpa sit & rogandi pro venia. Etiã verò Euangelica lectio vtilitatẽ supplicationis exposuit: dũ in naui Dominũ dormientẽ chorus discipulorũ sub tẽpestatis strepitu trepidus suscitaret. Neque porrò aliud fuit in tãto repugnantiũ sibi inuicẽ fluctuũ ventorũque conflictu sopitũ profundius dñm nostrũ intertita quiete iacuisse, nisi vt ad eũ inter discrimina quę patimur timoris nostri causſa confugeret. Assiduò nos tẽpestas ista fatigat, impulsu terribili cõtra nos tonitruũ sęculi clamat: scin tillantibus ad punctũ radiis mundana cõmotio non illuminat sed coruscat. Ecclesia est nauis quę nos per varios casꝰ velut inter marinos gurgites ducit, dũ reꝰ quidẽ nostras obtrectationũ & blasphemiarũ stridorꝭ quasi laxata laterũ cõpage reuerberat, sed puppim veritatis soliditate cõstructã penetrare non potest quod fatigat. Et quia promisit dñs noster Ecclesiæ: Ecce ego vobiscũ sum omnib. diebus vsq; ad cõsummationẽ sęculi, in naui quidẽ est in qua sumus: sed metuere iã non potest quod timemus. Post resurrectionẽ cũ ascensionẽq; suã totus inter pericula nostra requiescit. Alienę magis formidini opus est, vt q securus iacebat euigiler. Clametur ergo vocibus supplicationis: & si ingrauãte periculo necdũ audit, pulsetur manibus largitatis: & dicatur ei. Exurge quare obdormis dñe oblitus inopię & tribulationis nostrę: Dicturꝰ est quidẽ expergefactꝰ. Quur timidi estis modicę fidei? Reddat salutem. & increpet infirmitatem. & si parua fides est, quia timemus sęculum, tamen est aliquãtula fides, si recurramus ad dñm. Non autem timeretur corã ipso, si ipse timeretur: sed minima cõsciẽtia recti, maxima causſa trepidãdi est in nostra pręcipuè vita, cui criminũ continuatio fit discriminum multitudo. Quocirca si non diximus Christo, vigila nobiscum: saltim dicamus, euigila propter nos. Non rogauimus ne discederet, obtineamus vt redeat: nec deserat cursum nauigationis infirmę, donec vento & mari silentium iubeat, & furorẽ insanientis sęculi cerrimo fine compescat: & fiat in retributione iudicij tranquillitas magna, quia in hoc mundo esse non potest. Quia si de mundo esses, mundus quod suum erat diligeret. Sed deuicto mundo peruenitur ad supernam quietem: vbi quoniam possibilitas pereũdi aberit: nec periculi causſa nascetur. Vbi semper nobiscũ Dominus, semper cum illo si dederit, nos erimus: & qui hic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruentibus sine fine vigilabit.

GENNADIVS CATALOGO ILLVSTRIVM VIRORVM

Victorinus rhetor Massilienſis, ad filij ſui Ruberij perſonam commentatus eſt in Geneſim, id eſt, à principio libri vſque ad obitum Abrahæ Patriarchæ. Quatuor verſuum edidit libros Chriſtiano quidem & pio ſenſu: ſed vt poteſt ſæculari literatura homo occupatus, & nullius magiſterio in Diuinis ſcripturis exercitatus, Leuioris ponderis ſententias figuranit: Moritur Theodoſio & Valentiniano regnantibus.

CLAVDII MARII VICTORIS, ORATORIS MASSILIENSIS, IN SVOS SVPER GENESIN COMMENTARIOS PRAEFATIO ad Deum Optimum maximum.

Summe & sancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprendere fas est,
Et nescire nefas (nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres sic credimus vnum
Vnica personas vt tres substantia reddat.
Indiscreta pio conseruans fœdera nexu)
Tu sine principio, pariter sine fine perennis,
Solus es atque idem, nullique obnoxius æuo.
Tu spatium rerum mentis quocunque recessus
Tenditur, excedis: spatio neque cingeris vllo.
Nec te qui capiat locus est, immensus enim es tu.
Quinetiam humanę nefas contingere menti
Qualis imago tua est, oculis ignara videri,
Ni cui cernendam speciali numine sese
Exhibeat: nec vero eſſigui virtute creata
Te vegetet motus: per quem sumus atq; mouemur.
Tu mens & sacrę penitus substantia mentis:
Tu ratio, & plenę prudens rationis origo.
Tu virtus virtutis apex, atque ipsa profecto
Tu vita, & genitor vitę, luciſque profundæ:
Tu lux vera Deus, tu rerum causſa, vigorque:
A te principium traxit, quodcunque repente
Ex nihilo emicuit, tantóque auctore repletum
Vel vim mentis habet, vel formam in mẽbra recepit
Te Dominum natura probat seruata caducis
Partibus: & iussam seriem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros distinguens, pondera librans,
Mensuras varians, modulos, motumque gubernans,
Alternas seruire vices, iugemque recursum
Rerum stare iubes, & mentis imagine plenum
Edere nota tibi iam sęcula, voluere mundum.
Non vno tu contentus dotare creata
Munere, quidquid agis varios largiris in vsus.

Quinimò nil non cauſa Deus alme tuorum
Efficis: ipſa licet nobis ignota tuorum
Factorum ratio, atque modus: contraria nempe
Quæ putat humanæ ſolers ignauia mentis,
Dum certant, plus pacis habent, ſic omnia diues
Conditor aduerſis etiam cognata elementis
Nectis, & effuſis à te virtutibus imples.
Et tamen hęc quum ſint in maieſtate creandi,
Nil horum quæ gignis eges, mundique peracti
Et per te ſtabili rerum compage manentis
Nil prorſũ indigus es: nec in hoc tua gloria tantum
Quod pręſtanda facis bonus autor: ſed quod & ipſa
Efficere vt poſſint cauſis præbere ſecundis
Non dedignaris: quæ qui tua munera ſentit
Munus & ipſe tuum eſt: tibi vt vni accepta referre
Omnia homo meritò poſſitque & debeat vnus.
Nam tibi ſola Deus gigni quòd cuncta iuberes
Cauſa fuit bonitas: quum iuſſis viuere primum
Spiritibus, mundóque frui quem mente gerebas,
Atque omnes in te rerum cognoſcere cauſſas,
Et ſuper terras & aquas volitare dediſti.
Certa quibus cœlum ſedes, queis libera corda
Arbitrium que ſui largitus es omnibus: vt iam
Alterutram in partem vellent ſe vertere poſſent:
Vt fieres iuſtis merces, meritiſque piorum,
Hoc quoque conferres pręſtando, vt debitor eſſes.
Nam quod de primis cœleſti in ſede creatis
Vnus (dum lucis Domino, viteque ſuóque
Inuidet auctori, titulumque hunc appetit) auctor
Maluit eſſe mali, primamque inducere mortem,
Cum ſcelerum ſociis celſo deiectus olympo:
Virtuti nihil inde tuæ prędiudicat: illud
Cui ſatis eſt feciſſe bonum: ſed copia laudis
Hæc eſt ſumma tuæ: quod quum ſe extollere ſupra
Diuini virtutem apicis ſcelus eſſet, & ingens
Religio nulla prorſum delebilis vnda:
Non tamen ingratis vitam ſenſum que negaſti:
Quin etiam arbitrio mentis gaudere dediſti.
Nec tamen arbitrij natura in vtrumque valentis
Accuſanda venit nobis: namque inde perire
Poſſe datum eſt cunctis vt viuere dulcius eſſet:
Mutuáque alterni compar menſura pericli
Cederet ad meritum: quum iudice digna ſeuero
Prędia ſanctorum geminaret pœna malorum.
Porrò etiam (mihi ſi fas eſt hoc dicere ſalua
Pace tua genitor) maius fortaſſis apud te eſt
Non peccaſſe bonum, per lubrica tempora vitæ,
Quam miſeris peccaſſe malum: ſed videris vt ſe
Hoc habeat: cauſſas vni cui credimus omnes.
Interea ſatis eſt nobis, quod vilia terræ.
Pondera dum ſacra inſpiras ratione tuaque
Informas virtute, tuumque effingis ad inſtar,
Nobiliora facis: dum lato in ſidera vultu
Erexiſti hominem: quem fœui fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum
Vnigeni redimis profuſo ſanguine nati:
Eque imis erebi dona ad maiora petitum
Reſtituis quàm factus erat: viteque perenni
Reddis, & in cœlum diro vehis hoſte ſubacto.
Iam iam nemo patrem temerarius arguat Adam
Quod leue prędcriptum violata lege reſoluens
Ad lœtum patefecit iter, nam culpa parentis
Compenſata ſatis: quia plus eſt vincere mortem
Quàm neſciſſe mori, cœli nunc lætus ab aula
Diſpicit ætherios axes, & ſidera calcat,
Diſpoſitosque vocat ventura in regna nepotes:

Quos iterum formauit aquis, iterumque renaſci
A Æterni docuit diues ſapientia patris:
Tete igitur Deus alme precor, qui numine prono
Das ſentire animis, & te chariſſime patris — *Inuocatio*
Nate tui, da melliſluum in prędordia verbum
Noſtra tuum: & linguas nobis infunde diſertas:
Dum teneras formare animas, & corda paramus
Ad verę virtutis iter puerilibus annis.
Inclyta legiferi iam pandito ſcrinia Moſi,
Quæ ſit origo poli, vel quæ primordia mundi,
Archanamque fidem quid toto excuſſerit orbe
Mentibus ambiguis: quà vires traxerit aucta
Peſtis, & in vicium mores ceſſere vetuſti.
Da Deus æternæ deſcribere myſtica vitę:
B Da ſimul & mentem, da congrua tempora menti,
Da ſtudium, tanto ne deſit cura labori,
Succeſſumque bonum ſtudij: quodque omnia vota
Iure ſupercurrit (ſcribenti candida mens eſt)
Ne damnes tantum quod nunc reus audeo munus:
Criminibuſque meis conniue, & parce benignus,
Quòd ſi lege metri quidquam peccauerit ordo,
Peccarit ſermo improprius, ſenſuque vacillans:
Hinc nullum fidei ſubeat menſura periclum.
Per Dominum Chriſtum qui tecum natus eadem
Maieſtate viget, pariter qua ſpiritus almus
Incomprenſa animis, ſęculorum in ſęcula viuit.

C *CLAVDII MARII VICTORIS ORAtoris Maſſilien. Commentariorum in Geneſin.*

LIBER PRIMVS.

ANte polos cœlique diem, mundique tenebras,
Ante operum formas, & res, & ſemina rerum,
Æternum ſine prędteriti, ſine fine futuri
Eſſe ſubeſt: cui ſemper erat Deus vnus: apud quem
Viuebat genitus Verbum Deus, & ſuus almus
Spiritus, archani vitalis ſumma vigoris.
D Vna trium quos concordi ſubſtantia nexu
Coniungens ſumma ęternum virtute beabat.
Regnabatque potens in maieſtate creandi,
Iam res, & cauſas rerum, caſuſque futuros
Et facienda videns, gignendáque mente capaci,
Sęcula diſpiciens, & quidquid tempora voluunt
Prędens ſemper habens: immenſum mole beata
Regnum erat ipſe ſuum, regni nec teſte carebat
Virtus trina Deus: qui primum ſemine nullo
Corpora dans rebus, dum res exiſtere cogit,
Iam noſtrum effecit munus quod ſolus habebat.
Vtque iſtum faceret diues Sapientia mundum
Cuncta ſimul genuit: ſed poſthæc ſemina rerum — *Qui viuit*
E Ornauit ſuperinductis informia formis. — *in ęternũ,*
Temporáque in ſeriem bene cõditus ordo redegit. — *creauit*
Nam non, ſacrilegi ſenſit quod lingua furoris, — *omnia ſi-*
Caſus mentis inops dum neſcia ſemina voluit, — *mul. Eccl.*
Tam prudens contorſit opus: nec dicere factum — *18. Mun-*
Ante ævum fas eſt, quia tempore nata mouentur. — *dum non*
Nec porrò ęternum mundum, ſuperiſque coęuum — *eſſe fortui*
Credere fas ſtabilem ſemper tenuiſſe vigorem: — *to factum,*
Nam quod corporibus conſtat, cœpiſſe fatendũ eſt. — *Mundum*
Corpus enim quod plaga terit, quod tępora ſoluũt, — *non eſſe*
Atque abolent ipſo qui tendit in vltima fine, — *æternum.*
Principium oſtendit: quod quæ ſortita probantur,
Aut facta hæc credi par eſt, aut nata putari.

Factum

Factum igitur conſtat mundum, quòd quiſque ſubactus
A Annuit, & vero conuictus dogmate credit,
Concedens feciſſe Deum: qui numine Verbi
Et virtute potens quidquid natura putatur
Diſpoſuit, iuſſit, monuit, munúſque creatum
Succiduis vicibus (ſemper fugitiua reformans)
Suſtinet: ac volucrem retrahens circumrotat orbẽ.
Quæ ſi cuncta etiam mauult diſſoluere raptim,
Confeſtim in ſimiles formas redeuntia reddet.
Tanta Patris vis eſt & tanta eſt gloria Verbi.
Vt vero ſemel attingam primordia rerum:
In principio creauit Deus cœlum & terrã. Gen. 1. Excelſi conuexa poli, terræque iacentes,
Pars prima eſt operis, ſed terras vnda tegebat
Aëráque in medio ſordenti nube madentem,
Et tenebris ſe vaſta nigris velabat abyſſus,
Et ſacer extenſis impendens ſpiritus vndis
Altrices animabat aquas, ac ſemina rerum
Nondum compoſitis fundenda ad germina tertis
Inſinuanda dabat: quum lux immiſſa ſuperne
Emicuit dicente Deo: diſcretáque nigrum
Vmbra peplum retrahens, ſummo diſceſſit olympo.
Tum diuina diem appellans prudentia lucem,
Indidit & tenebris obſcuræ nomina noctis.
Sic facta vna dies de mane ac veſpere primo:
Rurſus mane nouum primo iam veſpere pulſo
Dies ſecunda. Reddita lux fecit: quum ſe firmiſſima moles
Fluctibus è mediis concreto corpore cedens
Extulit: ac late duro ſolidata rigore
Firmamenti creatio. Diuiſas ſuſpendit aquas: gelidúmque profundum
Axibus obiecit calidis: ſéque æquore ſepto
Nixa ſuperfudit rebus, quas circite vaſto.
Contegit ætherium deducto hinc nomine cœlum
Cœli nomen vnde. Forſitan hic aliquis ſic ſecum erro re petito
Differat ætheriis ne deſint pabula flammis
Et nimius calor ima petens alimenta ſequendo
Exurat mortale genus, cœlúmque coruſcum
Non poſſint terrena pati, ſubiecta deorſum eſt
Machina firma poli: quæ dum nos protegit vmbra,
Interea ſuper impoſitis frigeſcit ab vndis.
Numinis at vero diuini quærere cauſas
Mens fuge noſtra procul: plus ſit tibi credere ſemper
Poſſe Deum quidquid fieri non poſſe putatur:
Et magnum pelagus ſuper aſtra & ſidera ferri
Ipſorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere volunt, quem conditor ipſe
Geſter, & immenſo conſtantem pondere voluat.
Tertia lux tumidos ſtupuit diſcedere fluctus:
Dies tertia. Quum Deus impulſis reliqui iam gurgitis vndis,
Aëriis magnum ſpaciis patefecit inane:
Arida tunc primum mundi pars ima retectam
Aquarũ & terræ diuiſio. Oſtendit faciem: tremefactáque numine Verbi
Cerula nudatas cinxerunt æquora terras.
Quas vario raptim iuſſas frucleſcere fœtu
Luxurioſa nouo texerunt germina limo.
Et rudis, & tenero prorumpens ceſpite lætis.
Iactauit ſe ſylua comis: ſpeciémque ſecundum
Edidit vna ſuam quæque arbor & herba vireſcens
Et fructum & ſemen: veſtitáque gramine terra eſt.
Iam tribus exactis motu ſuccenſa citato
Quarta dies. Solis & lunæ creatio. Ge. 1. In flammas igniſque globum ſe cogere iuſſa eſt
Solis prima dies: fundatáque ſemina lucis
Puniceos roſeo ſparſerunt fomite crines.
Lunáque noctis honor quæſito lumine fulgens
Inferiore via ſoli ſubiecta pependit:

A quo ſuſceptos radios percuſſa refudit.
A Aſtráque diſtinctis cœlum pingentia zonis
Floribus ætheriis varios vibrare colores,
Et magis ornatis ſe reſplendere tenebris; — *Aſtrorũ creatio.*
Cerula nox ſtupuit, rutilis dum ſpicula flammis
Fuſa micant, virgéntque alacres noua ſidera iactus,
Quæ ſolare iubar radiis obducit apertis
Tempora quadrifidi menſurans quattuor anni.
Sol quoque quum curſus lunæ ſit menſtruus, vno
Contentus curſu reuolutum conficit annum
Artificémque ſacrum mira compage fatetur.
Quinta dies mouit ſpirantia corpora ponto.
Quæ liquor humectans genuit: ſparſitque profundum — *Quinta dies.*
B Delitias pelagi: vario quas germine miris
Formauit natura modis: educere iuſſa
E toto partes, formáſque ex corpore inani.
Quinetiam in brutas animam dedit ire figuras:
Quæque ſalis tumidi ſqualentia gurgite terga
Cete vaſta leuant molli differta ſagina,
Edidit: & qui horum conſeruat corpora, noſtris
Corporibus nocet ipſe liquor: genitalis alumnus
Piſcibus: ipſa etiam terræ qui germina nutrit,
Hinc volucres quoque molle genus traxere vigorem:
Nam liquidas dum format aquas, immiſſaque pontum — *Volucres ex aquis genita.*
C Vita ſubit, feruent multo tumida æquora partu:
Nec ſatis eſt piſces genus omne exurgere: quódque
Squammea turba ſalo ſummas euadit in vndas:
Ni volitans in aquis, ſenſim nateret æthere puro,
Aëtherios volucris contingere docta receſſus:
Ergo materies auibúſque & piſcibus vna eſt.
Iam bis terna dies claro radiabat olympo:
Tertia poſt calidi genitalia munera ſolis:
Iámque tepens tellus grauidos laxauerat artus: — *Sexta dies.*
Quum maiora agitans iuſſit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod ſola mouendi:
Cui ſeruire datum quo rerum poſtulat vſus.
Nec mora, prorumpunt fœtis vitalia terris
D Pignora, quæque ſui generis ſortita figuras.
Hic mihi iam fas ſit quædam perſtringere, quædam
Solicito trepidum penitus tranſmittere curſu:
Mutata quædam ſerie tranſmiſſa referre.
Poſtquam cuncta datus generatim protulit ordo
Veris plena bonis, & multa dote referta:
Quæ Deus in longam ſeriem manſura foueret:
Autori perbella ſuo tum machina viſa eſt.
Sed quid id eſt quòd mundus erat, quòd ſidera, & ortus.
Aetheráque & vitreum pelagus terræque virentes,
Ni ſpectator adeſt, tantæ quem gloria molis
Impleat: atque oculis aųidum per ſingula ducat?
E Quorſum tam lati fines, poſſeſſióque ampla,
Si rerum poſſeſſor abeſt: hæc rector olympi
Secum animo verſans, & Verbi pondere librans,
Stat data ſumma operi, bona ſunt quæcũque creaui
Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.
Dixerat hæc, & factus homo eſt, ſeu corpore toto
Siue anima ac ſpecie, forſan quo more futura
Quo facienda facit, quo factum ſemper habebat:
Etſi prætcritum iam nondum acceſſerat ævum.
Ergo hunc præpoſitum rebus cum coniuge iuſſit
Creſcere per ſobolem, terráſque replere vacantes.

Tum natura ſemel rebus conceſſa creatis,
Præſertim quas vita mouens animare videtur,
Multiplicat quæcumque ſuis primum edita formis.
Dies ſeptima. Gen. 2. Septima lux magnum vt vidit ceſſaſſe parentem,
Sed generum tantum numeros deſiiſſe creare,
Et requiem tenuiſſe ſuam: tum iure ſacrata eſt
Perfectum quæ vidit opus: namque hoc quoque plenum eſt
Virtutis, ceſſaſſe Deum, poſuiſſe labores.
Nam genitis formam patris quam dextra pararet
Bis ternis dominum ſatis eſt parraſſe diebus.
Septima lux docuit venerandæ exempla quietis
Quam cœleſti omnes ſperare iubemur in aula.
Si modo non deſint operum bona facta piorum.
Hæc quoque lux illam ſignat, qua tartara Chriſtus
Soluit, & euicto reditum patefecit auerno.
Dum patriam ille ſemel victor rediturus in aulam,
Iámque malorum expers, humana in carne quieſcit.
Sic ceſſare Deus, ſic ocia ſumere nouit,
Plus vt agat ceſſans, pariter ſine fine quieſcens.
Ac ſine fine operans, ſeriémque & tempora miſcens
Ceſſando conſummat opus, quodcunque crearat.
Sed qualem qualíque Deus formauerit Adam
Materia, hic paucis cum Moſe reſumere fas eſt.
Primus enim meritis poſtremus in ordine toto
Factus homo: vt ſeſe rebus præſtare creatis,
Noſſet, & hinc laudes domino perſolueret æquas.
Adæ formatio. Gen. 2. Ergo hominem factura Dei manus optima ſummi
Tractatu facilem ac bene gnarum cedere limum,
Et flexum formámque ſequi qua ducitur arte
Sumit: & humanam qualem iam mente gerebat
Explicat in ſpeciem: tum flatu immiſſa vaporo
Vita rigauit humum: tellus mollita liquore
Vertitur in carnem: & ſanguis, qui lubricus humor,
Diſtendit molles per nota foramina venas.
Tunc mentis iam plenus homo tellure relicta
Exilit, ac dominum prudens rationis adorat.
Haud aliter buſtis mandata reſurgere apertis
Corpus Adæ reſurgentis corporum ad gloriã figura. Corpora quum Chriſti cœlo delapſa patenti
Maieſtas grauidæ reſerabit viſcera terræ,
Exilient, dominúmque colent terræque polique.
Nam quod non habuit quum ſic è puluere vili
Humanum in formam compactum eſt corpus honoram
Perfacile eſt rurſum integrum vt de puluere reddat
Quod iam habuit multos cælatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt iuſſa ſepulchris
Corpora, quæque ſuas rurſum aſſumentia partes.
Sic nil præteriti eſt quod non ſit forma futuri.
Sed iam hominis tempus ſedem atque habitacula primi
Pandere, vbi toto acceptum pro ſemine vulnus.
Eoos aperit fœlix qua terra receſſus
Paradiſi terreſtris deſcriptio Editiore globo nemoris Paradiſus amœni
Panditur: & teretis diſtinguitur ordinæ ſyluæ.
Hic vbi, iam ſpatiis limes diſcernitur æquis
Solis, & æternum paribus ver temperat horis.
Illic quæque ſuis diues ſtat fructibus arbor,
Pomáque ſucciduis pelluntur mitia pomis:
Quæ iucunda oculis, & miri plena vigoris
Membra animóſque fouent, paſcúntque ſapore & odore.
Sidereos hic terra vibrat diſtincta calores,
Semper flore nouo frondens, fructúque recenti:
Hic fragiles ſoluunt calamos animata vigore
Muneris ambroſij ſpirantia cinnama odores.

Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto *Paradiſi fertilitas & deliciæ.*
A Fragrat Achemenius, quod molli diues amomo
Aſſyrius, meſſíſque rubens Mareotica nardo,
Quod Tarteſiaci frutices, quod virga Sabæi,
Quódque Palæſtinus lacero fiet vulnere ramus:
Omnia certatim hunc congeſta putabis in hortum.
Namque huc cuncta Deus pariter quæ ſingula certis
Accepit natura locis, conferta regeſſit.
Motáque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Vnum ex diuerſo nectar permiſcet odore:
Fitque nouum munus ſibi nulla quod afferat arbor.
Quáque tremens blando ſenſim iactata fragore
Commotis trepidat foliis, ſonat arbore cuncta
B Hymnum ſylua Deo, modulatáque ſibilat aura
Carmina, nec vacuus vanum quatit aëra motus.
Quippe apud autorem, qui totum mole ſub vna
Res rebus nectens alterna lege retentat,
Nil temere fieri vel fruſtra credere par eſt.
Quinetiam ſpecioſa, nemus, ſyluæque coruſcæ
Argumenta operum ſunt, & plantaria rerum,
Nec dubium primi quin delicta ante parentis
Hic ſua fixiſſent pariter tentoria ſecum
Gloria, ſimplicitas, ſtudium, ſapientia, veri
Diua tenax, prudentia, gratia, honórque, ſalúſque,
Præclaríque animæ affectus: atque inclita virtus:
Et quidquid pulchrum orbis habet: quid denique paucis
C Enumerate velim quam plurima munera verbis?
Iam ſatis hoc fidei eſt læto quòd ſemine ſurgens
Hinc arbor vitæ celſis petit aëra pomis:
Illinc diuerſo noſcitura peritia fructu
Notitiam rerum ſuſpendit ab arbore legis.
Ad gremium ſacri nemoris quod ſylua coronat
Fons Paradiſi. Gen. 2. Fons ſcatet, & diti prolem virtute maritat
Quadrifido tumidum lætus caput omne reſoluens,
Ditior oceano iugi, nam gurgite prono
Ille ſuos donat latices, iſte accipit omnes.
Nec turget tamen: at minor eſt qui creſcere tantis
Fluctibus infuſis quam qui decreſcere neſcit
Phiſon qui & Ganges. Gangetis vbertas & diuitiæ. D Amnibus effuſis: quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati:
Edens naturæ quas dat prudentia dotes:
Gangetíſque replet populos, atque Indica regna
Diſtendit limo, terráſque & ſemina voluens
Quæ facit arua ſerit, nudis quà ſqualler arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic vbi ſulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.
Geon quĩ & Nilus. Nec minor inde Geon placidis ſed mitior vndis
Niliacas attollit aquas, arſuráque late
Diluuio tegit arua pio cœlóque repugnans
Temporat æthyopum ſtagnis refluentibus vndas.
Tygris. E Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tygris
It comes Euphrati, iuncta quos mole ruentes
Tellus victa cauo ſorbet patefacta baratro:
Donec in Armeniæ ſaltus ac Medica Tempe
Quos non ſuſtinuit, nec iam capit, euomat amnes.
Sed Tygris, nigro tanquam indignatus auerno,
Proſilit æthereas motu maiore ſub auras.
Et rurſum ſpelæa ſubit, merſúſque cauernis
Intus agit fremitus: & fortior obice factus
Multiplicatur aquis, atróque citatior antro
Exit, & Aſſyrios celeri ſecat agmine campos.
Iuſtior Euphrates, diti qui gurgite largus
Euphrates Irrigat arentes ſubiectæ Perſidis agros:

Mollibus

Mollibus elicitus riuis: atque omnibus æquæ
Seruit, & humanos totum ſe præbet in vſus:
Donec ſiccus aquis, nomen quoque prodigus ipſum
Conſummat terris, pelagi quod debuit vndis.
Hæc igitur cuncto naturæ ditia fœtu
Imperia, & tanta virtutum dote refertæ
Delitiæ, prima eſt hominis poſſeſſio primi,
In quam deductus vita exultare perenni
Accola iuſſus erat: tales ergo ille locatus
Inter delitias, & longe pinguia Tempe:
Dum ſit adhuc dignus diſcítque labore mereri,
Expers mœrorum, curæque ignarus agebat.
Tantum apud autorem eſt meriti pro nomine ſummi
B Nondum aliquid meruiſſe mali: Quantum ergo putamus
Soluere poſſe patrem redituræ in tempora vitæ
Cuius apud famulos iam tum largitio pura
Non merces Paradiſus erat? quódque illa ſeueræ
Legis ſcita tulit, libertatíſque periclum
Facturus, vitam ſeruanti iuſſa recepit:
Spondet adhuc maiora bonis, & præmia ſeruat:
Qui cauſſam meritis ſtatuit, dum veſcere dixit
Arboribus cunctis: hanc tantum horrere memento,
Quæ diuerſarum geſtans examina rerum,
Notitiam recti atque mali ſub cortice geſtat.
Nam tranſgreſſores mors cruda & dira ſequetur.
Homo immortalis creatus. C Tali lege data ratio docet optima, quod non
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primum hominem: quin ille ſibi mortem attulit vltro:
Namque & in hoc eſſe magna Dei indulgentia ſummi:
Dum quod non meritis ſe tantum ſponte benigna
Largitur famulis, noſtri cupit eſſe laboris.
Et ſe quod donat mauult debere videri.
At tu quem ſacri nectit cuſtodia iuris.
Nec querere anguſtis quòd clauſa licentia metis
Parte ſit orba ſui: nil hac tibi lege reciſum eſt.
Ante poteſtatem tantum terræque mariſque
Nactus eras, nunc iam regni vitæque petennis,
Porro & mortis habes. Tunc vt ſibi cuncta parentẽ.
Gen. 2. Indulſiſſe pium rudis incola crederet orbis.
Omne animal quod iam tellus dare iuſſa crearat
Effundens tacito vernans è corpore ſemen,
Iuſſit adeſſe Deus: proprióque obedire tyránno:
Scilicet vt cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet: atque ſuo factum vnumquódque vocaret
Nomine, natura quod natum eſt ſuapte moueri.
Nec mora viuentum parendi haud neſcia ſiſtit
Omne genus natura Deo: quacunque vocantur
Mundi parte noui coeunt animalia in ipſo
Temporis articulo modici: ſiue illa fuiſſent
Molli lenta gradu, aut rapido promptiſſima curſu,
E Impete vel ſubito conſueta per aëra labi,
Aut innare vndis, aut pondere lubrica ferri:
Vnicuique animanti ſuę vires indita. His Deus omnipotens Adam præſente vocatis,
Vnumquódque ſuo donauit munere largus.
Armauitque manu, cornu, pede, dente, veneno,
Atque aliis quibus artis inops animíque minoris
Et ratione carens animal ſe protegat, & ſe
Seruet ab aduerſis rebus: ſed nullum animantum
Aequa homini ſpecie vultúque habitúque vigebat:
Aſt homini prope diuinos addebat honores.
Tótque inter duplici vitam illuſtrantia ſexu
Impar ſolus erat, dudum qui coniugis aptam
In ſe materiem gignendæ ignarus habebat.
A Ergo opus aggreditur notum Deus: ictáque raptim *Euæ formatio.*
Corda viri tanto diſſoluit languida ſomno,
Mentis vt experti coſtam ſubduceret vnam:
Vnde caro fit iuſſa ſequi: nam ſponte recedens
Pellis, iter planum coſtæ præbebat eunti:
Illæſis prorſum membris, & corpore ſano.
Quæ varios operante deo digeſta per artus
Accepit formam, calidíſque animata medullis
Verſa in opus vitæ eſt, ſexu iam grata ſecundo.
Sic permiſſa ſuo formata eſt Eua marito.
Hoc nunc turba loco ſtolidiſſima deſine tandem
Quæſitis animum vanis totquere: nec iſthic
Quærere quur hominis confecta eſt fœmina membris:
B Quum iam à principio molli de puluere fingi
Poſſet, & ex nihilo: & cauſas deſiſte latentes
Scrutari: quanquam ſi coniectare licebit
Ex homine effecta eſt mulier, cognatio quædam *Cur ex hominis ſecta fecta mulier.*
Mutuum & alternum inter ſe vt miſceret amorem:
Semet in alterutis cogens agnoſcere membris.
Hinc Euam partem eſſe ſui mox protinus Adam
Senſit vt exaltans, tetigit noua gratia mentem,
Mentis & affectus in viſcera nota receptus,
Irruit: & tanto penetrauit in oſſa calore,
Vt iam ſcire daret, quid coniux eſſet, & vxor,
Quid dulces nati, poſtponendíſque parentes
C Coniugibus, quidnam vna ambos in carne manere,
Æternam pariter vitam ducentibus eſſet.
Porro dum mundi vitiis & tabe carebant
Diuinis viguere animis, nullius egeni:
Quum penes hos eſſet mundi ſubſtantia, & omnes
Quas dabat orbis opes: nec prorſum obnoxia morbis
Corpora geſtabant: non hos cogebat ad eſum
Pauſæ ignara fames: qui ſi mandata ſupremi
Seruaſſent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, & dicos neſciſſent vſque dolores.
Callidus at ſerpens domini perſtringere legem *Serpentis aſtutia. Gen. 3.*
Talibus incautam perſuaſit fraudibus Euam.
D O vitæ melioris inops, rerúmque bonarum
Gens ignara hominum: neque enim bona noſſe putandus
Qui praua ignoranis; etiam diſtinguere neſcit
Quo diuerſa bonis inter ſe limite diſtent.
Atque ideo auguſtos homini fas carpere fructus
Noluit eſſe Deus: ne mentis nube remota
Immittant in cœlum oculos, atque optima noſcat:
Sintque deis ſimiles. Hic nunc excurrere paulùm
Fas fiat, & turpes veterum deflere ruinas.
Ah nimium miſeri gentiles quos furor egit
In varios ritus cognomina multa Deorum *Deorum varietas vnde.*
Fingere, pluraléque Deo vocem addere ſoli.
E Serpentis ptimam hanc ſonuit vox impia diri,
Qui mortis rum cauſſa fuit: nam credula, poſtquam
Rupit ſacrilegis præſeiptum morſibus Eua,
Experti iam docta mali, conſortia culpæ
Quærit: & incautum fraudis male gnara maritum
Qua periit prior aëre petit: ſic hoſte ſubactus
A gemino cedit ſceleri miſerabilis Adam: *Adæ tranſgreſſio. Gen. 3.*
Pomáque deguſtat ſacri pleniſſima ſucci.
Sed quia legis in his ſubſtant præſcripta ſeueræ
Pluſquam viperco mortem adlatura veneno.
Vt primum illicito violarunt ora ſapore,
Confeſtim ſenſere nefas, facinúſque peractum
Creuit, & ignaro percuſſit pectora ſenſu.

Hinc timor inde pudor, sumpserunt primitus ortũ.
Nam dum corda homines celsarum conscia rerum
Et cœlo tantum rectóque intenta gerentes,
Pectora ad excelsum ferrent conuersa parentem:
Dum secretorum miracula diuinorum
Claro incorporeæ mentis splendore notarent:
Nondum contigerat membrorum cura suorum,
Quos vbi deseruit vitæ vigor ille perennis,
Iam morte affectos: demum frigúsque calórque
Aëriæ subiere vices: ac vestis egenos
Se primum sensere homines: sexúque latenter
Erubuere suo taciti miserabile questi.
Idcirco vmbrosæ è foliis noua tegmina fici
Decerptis texunt, post culpam, mente receptum
Corpore velato denudatura pudorem.
Nec satis: ignorant quid agant, quà crimen inustũ
Séque ipsos fugiant: cuperent si forte parerent,
Condere se barathro: vsque adeò contermina pœnæ
Culpa suæ est: vt iam miseros mortale pauentes
Mortis imago iuuet: syluas vmbrosáque lustra
Obtendunt vanis solatia falsa tenebris.
Nam quò te timidum fas est subducere corpus?
Tete inquam, quæ mox vili de puluere fecit
Virtus viua patris, mundíque abscondita, præsens
Implet & in penitos exit diffusa recessus:
Túne potes dominum fugiens euadere? túne
Omnia cernentem speraſti posse latere?
Vt vastis iaceas tenebris, cælabere nunquam.
Ergo vbi peccati genitus pudor attigit Adam
Quærentem latebras, mox audiit, heus vbi es Adã?
Adam vbi es? Gen. 3. Quid vero est quòd te quærit Deus, insciusánne id
Forte rogat quem nec domino subducere summo
Vel mors ipsa potest, fragili quam mente subisti?
Quur vbi sis quærit, nisi quòd te morte doloris
Lapsum sponte tua, secum non esse fatetur:
Et cœlo cecidisse sacro? sed sancta parentis
Desperare vetat pietas: clementia cuius
Dei clementia. (Fas dixisse mihi, fas sit quoque dicta probasse?)
Iustitiam excedit: nec tam me voce seuera
Corripiens, vbi sis, trepido quid pectore quæris,
Terret: quam recreat quòd adhuc post crimina lapsum
Immersúmque metu latebris, ac pene sepultum,
Euocat & reuocat: ne verò exempla petantur
Longius, ostendit culpæ donatio mitem:
Postquam excussa reos manifestat causa parentes
Incœpere Deo cœlum, mare, terra loquenti
Contremere, & vastos concussa aperire recessus.
Dúmque reos punit sententia, tartara condit.
Serpentis condemnatio. Quandoquidem nostris visum est decedere iussis,
Iam mihi iusta nouos feriet censura nocentes.
Principio inter totius viuentia mundi
Tu maledictus eris: & peior quam tegis intus
Inuida mens coluber: qui cœli in clausira vehendos
Deiecisti homines: vetitáque attingere fruges
Fraude tua impulsis præduræ mortis origo es.
Ergo vt digna nefas pœnæ mensura sequatur,
Ex quo hominem terræ immersti, tu stratus iniquo
Membra solo, duram sulcabis pectore terram,
Et vetitos tentare cibos quia feceris, hinc iam
Vilis semper edes squallentia viscera terræ.
Et quia te dignæ placuit tibi primus vt esses
Inuentor mortis: pœna moriere perenni.
Humanísque odium generis specialiter in te
Ac genus omne tuum bello experiere potenti.
Perpetuúmque tui mors vt tibi longa, timorem
Esse dabo: pedibus repes & pectore prono:
A Téque tuo mulier perimet cum semine, cuius *Ponam inimicitias inter te & mulierem. Gen. 5.*
Calliidus extremis tantum insidiabere plantis.
Vt trepidans etiam capiti vestigia figat.
Dixit, & exanguem sic est exorsus in Euam.
Et tu quæ minimo solam te perdere fructu
Non contenta, virum similes temeraria in ausus
Traxisti: instar eris famulæ: subiectáque duros
Arbitrium sensura viri patiere labores.
Casibus & verò (incœptum quoniam prior ausa es
Multiplicare nefas,) semper versabere multis.
Et pariens crebris adeò torquebere natis,
Vt quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam laceræ sint causſa parenti.
B Tu quoque cui monitus nostros & prima salutis *Euæ condemnatio. Gen. 3.*
Vincula fœmineis postponere fraudibus ausa
Sponte mori placuit: talem reus excipe sortem.
Criminibus tellus quam tu sulcabis aratro
Sit maledicta tuis: spinas: tribulósque minaces
Culta ferat: fallárque tuum spes improba votum.
Nec tibi terra fidem seruet, tu viuere lætus
His in delitiis, & cunctis viuere seclis
Sponte recusasti: duro nunc viue labore,
Perpetuum quoque viue miser: dum lenta senectus
In terram te restituat, terræque recondat.
Dixit & ignaros ne cœli iniuria lædat
Veste tegit pecudum miserens: vitámque tueri
C Edocet: & ne iterum similes exiret in ausus
Infaustum mortis formidine percutit Adam.
At ne perpetuam vitali ex arbore vitam
Protraherent: miseróque reos grauiora manerent
Supplicia: in tantis nimium diuturna periclis
Tempora ducentes, diríque obnoxia pœnis:
Continuo sacris iussos decedere lucis
Expellunt venti, nemoris quo sylua profundi
Concitat: atque illos libranti turbine nexos
Aura vehens sacra Paradisi ab sede repellit.
Ergo hinc electi iuuenes, terríque relati
Perdita dimissi suspirant gaudia luci,
Expertes tanti spacij expertésque pericli:
D Sed non expertes agitat qui corda doloris.
Quò ruerint, quid perdiderint, quæ vita sequatur,
Quæ fuerit, tacita tristes in mente volutant.
Porro etiam quid se supremo in fine futurum est,
Hærent soliciti: sibi num grauiora supersunt,
Nulla ne spes superet miseris: num morte perenni
Perdant quod superest: an quum via mortis amaræ
Per lignum ingruerit mundo populíque futuris
Possit adhuc aliquod per lignum vita redire,

CLAVDII MARII VICTORIS
Massilienſis Oratoris commentariorum in Geneſin.
LIBER SECVNDVS.

E HACTENVS archanam seriem, primordia mundi,
Vt sincera fides docuit, sine fraude cucurri:
Dum dignis letho viciis terrena carerent.
Nunc hominum mores, & iam mortalia versu
Aggresso, omnipotens vires Deus adde poëtæ.
Postquam sacratis decedere iussus vterque
Sedibus ac regnis, genitalia contigit arua:
Inque sua stetit exul humo: mirabile quali
Ore rudes stupeant tam barbara rura coloni,
Quæ non frugifera distinctáque arbore vernant.
Nec species placet vlla soli, nam mixta coacto

Pondere

Pondere congeries confusa mole locatur,
Ardua caute rigent: syluis depressa laborant
Plana, carént que herbis: horrescunt edita dumis.
Heu quibus hæc spectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis Paradisus inest? quæ causſa doloris
Vna subest: dum cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies, longe tristissima, post tot
Delitias Paradise tuas: & amœna locorum
Gaudia fertilium: quorum vanissima præsens
Semper adest, tristésque animos idea fatigat.
Nunc honor ille sacri nemoris maiore sereno
Irradiat, nunc diuitias succurrit ademptas
Sylua beata tuas: nunc pomi dulcior vsus,
Nectareúsque sapor: viuis nunc floribus halans
Tellus, absenti tristes contristat odore.
O quàm non eadem (exclamant) Paradise rependis:
Imo etiam quanto præ illis hæc dona beatis
Deliciis, peiora facis? sic tristibus illis
Iam vitæ perit almus amor, penuria rerum
Insinuat iam dulce mori: ne maior egestas
Occurrat grauiore malo: nam viscera terræ
Scrutari vesana fames, & quærere cogit
Quà steriles dat sylua dapes: adeò vsque malignis
Herbarum dubias passim radicibus escas
Explorare iuuat, ventrémque explere latrantem.
Tandem cunctarum quibus indiget vsus egenos
Atque inopes rerum, docuit sors vltima summi
Auxilium sperare Patris: tum stratus vterq;
Membra solo, lacrymis tantum muto que dolore
Quæ nequeunt verbis poscunt solatia votis:
Dum pudor internis subducit verba querelis.
Ergo vbi cognouit mutæ sibi reddita linguæ
Munera, consurgens tali prece supplicat Adam.
Omnipotens auctor mundi, rerúmque creator,
Quem mihi labe mali infensum atque audacibus ausis
Constitui, fœlix olim dum vita maneret,
Et celeres animos visu super astra daretur
Posse sequi, late circùm pérque omnia fuso:
Hos ego quur oculos tua quondam archana tuentes,
Vel iam non habeo, vel magna ex parte minutos,
Et tetro clausos terreni carceris antro,
Vt iam nil veri præter mortalia quædam, &
Fluxa videre datum ac mundum in peiora labãtem?
Atque ideo omnipotẽs qui semper totus vbique es,
Ad te confugimus, trepida te mente precamur,
Exaudi miseros, quos semper cernis & audis,
Quum me olim parti damnatæ adnectere vellet
Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis:
Nil per se solum ne victus cederet, ausus,
Serpentis formam accipiens, & coniugis illa
Arma meæ, duro confecit vulnere: sic nos
Artificis scelerum fraus improuisa subegit.
Quú mque ego damnarer iusta pro crimine pœna,
Agnouit culpam tanto mens icta dolore:
Vt mihi me de me pœnam præbere putarem.
Idcirco & gemitus pœnæ, lachrymásque negaui.
Amplexú que animo solatia dulcia pœnæ
Hanc ipsam posthæc sacra inter munera ponens
Pro venia sceleris: non iam detrecto labores
Quoscunque addideris: tamen interea optime iudex
Si iuuat, exaudi nil in tua iussa precantes.
Nec iam istud lachrymis & mœsta voce precamur,
Iudicij censura tui quò se illa resóluat:
A Tota sed vt plenas teneat sententia vires.
Iussisti mota victum me quærere gleba,
Et steriles spinas sparsa pro fruge leuandas
Dixisti, & tribulos pro fructibus, ergo serenda est
Vt fallat mea vota seges quæsita labore.
Noscere da quæ sint segetes, quo more serendæ.
Fructiferæ quæ sint herbæ, quæ forma laboris:
Da pater auxilium miserens, iisque imbue sensus
Tunc erit vt rerum compos, & certa salutis
Seruiat Eua mihi, sæúmque experta parentis
Supplicium pariat populos vt crimine nostro
Plectantur, purgétque patrum peccata, nepotum
Mortibus æternam faciens successio pœnam.
B Interea dum sic orant, serpentis imago
Indice visa meeu tacito se tramite ferre
Leniter ad molles spiris reptantibus herbas,
In se conuertit trepidos: diríque doloris
Excussas odio cognatas traxit in iras.
Et prior Eua viro. Si te suprema malorum
Causſa mouet, rape saxa manu, datur ecce facultas
Auctorem lethi letho dare, callidus ille
Suppliciis doceat propriis & morte cruenta
Quàm sit triste mori, qui me male perdidit & te.
Dixit, & elapsum cursu petrísque secuta est
Missilibus: quin & duras per robora cautes
Quò se reptando condebat callidus anguis,
C Ambo proiiciunt: quarum rigido vna lacerto
In nudum casu silicem dimissa resultat,
Scintillámque ciet: sicco quæ è fomite nata
Exiit in flammam, & crinita incendia latè
Extendens tota iam sylua ardebat adepta.
Hic horrent, latebráque gradu trepidante requirunt.
Sed pauidos stupor ipse tenet: curámque sagacem
Iniicit insolitæ flammæ: quam cernere rursum
Et tumidi spectare volunt. Paulum ergo remoti
Telluris dorso sterilis mirantur opacas
Defluxisse comas, nemorúmque horrere fauillas,
Fuscaríque diem, totas splendescere terras
D Et lucem sub sole nouam: nec mente quieta
Accipiunt crepitus stridentibus vndíque syluis,
Vndantésque globos flammarum, in sidera latos,
Nec quòd radices immersus tendit in imas
Ignis edax penitus: sumpto quo victa calore
Terra suas pandit generosa ad munera venas.
Quæ quum iam cuncto siccata liquore fuisset
Mox fieri liquor incœpit: riuíque metalla
Fundere quæque suis, fuluo hinc torrente coruscat
Auri summus honos: candenti lacte renidens
Effluit argentum, rigor æris lubricus errat:
Et coit in mollem resoluto corpore massam.
Vis breuibus formam ardentis comprendere syluæ.
E Sulphureæ volitant nemoris per opaca fauillæ,
Non aliter quàm dum ruptis sicca Aethna caminis
Egerit immixtis stridentia sulphura flammis:
Tum se decoctis tellus pinguissima glebis
In fœtus mouit varios quos imbre marito
Parturiens putri dissoluit rura meatu,
Qua tumidi crepuere sinus, elatáque messis
Extitit, & motis vndans trepidauit aristis:
Disceret vt speciem segetis nouus accola cultæ.
Nil tamen hinc longus quidquam sibi vẽdicet vsus,
Nil casus virtutis inops, Deus omnia nosse
Quæ bona sunt cum luce dedit: mundóque minori
Quidquid maior habet sacro innotescere sensu

Séque per hæc voluit:quòd ſi illibata maneret
Vt data mens homini eſt,nullíque obnoxia culpæ:
Non illam ſpecies,non illam corpora rerum,
Non modus aſtrorum, numerus nec mollis arenæ
Falleret,aut quantis cum magno terra profundo
Extenſa eſt ſpaciis:aut quæ menſura peractæ eſt
Molis:quid reſonet motu ſeptemplicis axis
Armoniæ vocale melos:nunc diſcitur vſu
Aſſiduíſque datur ſtudiis: quanquam arte vel vſu
Quod capimus,domino ſemper donante tenemus.
Et vero ad primos vt ſe digreſſa parentes
Noſtra chelys referat,iam quæſo attendite paucis.
Pulſus ab auguſtis Paradiſi ſedibus Adam,
Nullum habuit prius officium quam coniugisvſum,
Atque omnem natis operam nauare creandis:
Ergo vbi prima domus natis iam plena duobus
Inter tam varios ſolatia multa labores
Attulit:atque nouum ſe vidit vterque parentem:
Multiplicata graues releuauit cura dolores:
Et ſpes iam ſubiit propriis gaudere miniſtris
Ruris in officio:quorum qui maximus æuo,
Cain. Arua Cain duris vertebat pinguia raſtris.
Abel. At viuo gaudere lucro digniſſimus Abel
Collibus in nudis,& ſicci germine campi
Innocuas paſcebat oues, & lacte parentes.
Verum expectati ſenſere vt gaudia fructus
Diuino intuiti vinci ſua vota fauore:
Mox decreuit vterque ſui libamina fructus
Prima dicare Deo:ſacras prior impedit aras
Frugibus ille nouis:niueo magis hic litat agno:
Prima ſacerdotum ſpecies, mox hoſtia fratris
Abel Chriſti figura. Impia:ſed Chriſtum longe tamen ante figura
Signans.Perpetuus nam quum foret ille ſacerdos
Summi Melchiſedech ex ordine:protinus in ſe
Conflata inuidia, & fratrum liuore ſuorum eſt
Hoſtia ſaluifica dum pendet ab arbore factus:
Sic olim ante ſui præſenſit candidus Abel
Inuidiam fratris:nam quum de fruge litaſſet
Iſte ſua:niueo ille agno, mox protinus altum
In cœlum aſcendit combuſto fumus ab agno:
At contra per inane volans de frugibus illis
In terram rediit fugienti fumus olympo:
Aut quod peiores domino ſacrauerat,aut quòd
Illi non gratum eſt animo quod prodit auaro.
Inde Cain tamen inſanas flammatur in iras
Inuidiæ ducens illo de fonte venenum
Inuidia Cain in Abel. Vnde propinarat ſerpens: fratrémque cauendi
Ignarum ſæua mactatum cæde trucidat.
Gen. 4. Heu facinus,quò non miſeros furioſa libido,
Abel mors Quò non ira,recens odium,& vis improba cogit?
Apoſtrophe. Quid meret innocuus frater:num ſanctior ille
Quòd fuit,interimi meruit:iam facta parentum
Non eſt poſteritas quòd quidquam accuſet, & ipſi
Flagitium addidimus: iámque eſt quod callidus anguis
Obiiciat,ſi fors illum accuſare velimus,
Quod morimur: nanque ad cumulum prima illa propago
Criminis,adiecit mortem:culpámque parentum
Inductam mundo(horrendum eſt id dicere) fecit
Impietas ſeclus eſſe nouum, ſic impie, ſic tu
Dire Cain primore nouum cæde inficis orbem:
Pro qua perpetuas pœnas iam morte ſolutus
Æternúmque dabis,longe ſerpente nephando
Deterior,tua metimur ſi crimina, namque
Attulit ille necem nobis,non intulit,at nos
Cœpimus adlatam:tu vero hanc primitus infers:
A Tanto illo peior,vitari publicus hoſtis
Quòd potuit:tu priuatus nulla arte caueri
Iam poteras:quis enim dilecto à fratre timeret?
At vero nulla eſt hominis tam dira nephandi
Culpa,Deus quam non animo clemente remittat,
Si modo pœniteat facti : quod teſte Caino
Accipimus:quem tunc fraterna cæde madentem
Non indignum habuit (tanta eſt clementia) ſeſe
Correptore Deus,quin blanda voce rogatum
Frater vbi ſuus ille foret, facinúſque negantem,
Arguit,& leuiter tanto pro crimine punit. *Pœna Cain.*
Nam profugum tantum atque extorrem ab vtroque parente
B Longius amandat,vaſtáſque relegat in oras:
Et iubet à patriis confeſtim excedere terris:
Hac etiam longe miſero fœliciter in re
Gratificans:grauior nam multo eſt pœna videri
Inter fœlices,& pura mente beatos
Victuro poſt ſupplicium,factíque pudorem.
Vtque ſit exilium leuius,comes additur vxor
Fida reo forſan ne deſperatio ſolum
Arriperet:tum etiam quæ duras pectoris ægri
Molliret curas,& moto corpore fractum
Sisteret amplexu, nullíque obnoxia culpæ
Et dominum votis & pura mente colendo,
Eliceret quidquid poſſit ſatis eſſe duobus.
C Sic multa extorres comitatur gratia: quorum
Auxit multiplicans per nomina mille nepotum
Progeniem Deus omnipotens : Regémque Cainum
Eſſe dedit populis,quos cingere mœnibus vrbes
Erudiit,prælonga videns in tempora natos.
Interea mœſto rurſum grauis Eua marito
Penſarat primum ſancto iam pignore damnum: *Gen. 5.*
Reddiderátque iterum nata iam prole parenti
Multiplices animi curas, & mixta labore
Gaudia:Seth puero nomen fecere,vice Abel *Seth.*
Quem dedit omnipotens illis Deus : vnde ſecuta eſt
Poſteritas, cuius de ſemine prodiit Enos, *Enos.*
D Qui primus tacita lectus virtute ſacerdos,
Poſſe ciere piis precibus votóque potentem
Sperauit,meruítque Deum,populúmque ſecutum
Imbuit æterni cultum ſeruare parentis. *Enoch.*
Cuius de ſerie pollens virtutibus Enoch
Deſcendens,meritis etiam non impar auitis.
Redditus in ſedes patrias orbémque beatum,
Viuit adhuc,& habet vitæ iam regna futuræ.
Hic iuſti proauus Noe:ſub tempora cuius
Infecit totum ſtudiis concordibus orbem
Culpa frequens,viciíſque ſequens adiunxit auitis *Vita hominum breuiatur*
Poſteritas vicium:quapropter mille per annos
Aut prope,maiores,quum viuere conſueuiſſent:
E Ne peruerſi hominum mores creſcentibus annis
Augmentum acciperent,vitiis vt terminus eſſet.
Maxima vita hominum luſtra ad duodena redacta eſt
Namque Cainigenum quum ſe coniuncta prophanis *Gen. 6.*
Damnaſſet thalamis in peius prona iuuentus:
In varium facinus ſuperum deſerta fauore
Proſilit,ſnque omnes currit temeraria lapſus.
Tum Deus auerſo tam multa ob crimina mundo
Confeſtim infenſus voces erumpit in iſtas.
Nequaquam poſthæc humana in gente manebit
Spiritus ille meus:vitam nec proferet vltra:

Viuere

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum. Geneſ. 6.
Viuere biſſenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum:quoniam terrena ſequuti
Plus carnis quam mentis habent:ſic ergo ſeuera
Æui conſtituit tempus ſententia certum
Iudicis immoti:longæ ne tempora vitæ
Criminis augendi cauſſam præſtare valerent.
Plagitij quid enim iam non auderet iniqui
Impia gens hominum?nam magna mole gigantes
Monſtra horrenda hominum vario de ſemine nati
Nil non audebant:queis vna & maxima virtus
Non fore ad extremum prauos: quos dira libido
Crimen in omne trahens nulla ſine ſanguine noctes,
Aut ſine cæde dies vnquam ductare ſinebat:
Immemores iuris diuini,hominúmque, ſuíque,
Affectúſque pij,matrúmque,patrúmque ſuorum,
Autoríſque Dei:tantúmque in crimina ſumma
Proceſſum eſt, homines dominũ vt formaſſe pigeret:
Vt peruerſa etiam Deus ob peccata nocentum
Criminis expertes animas conuoluere vellet:
Atque ſupertuſis terras immergere lymphis:
Rurſus in antiquam mundo redeunte figuram.
Vnus erat Noë iuſtus quem proprer in iras
Noe probitas. Differret prodire Deus:quem vita fidelis
Iam per quingentos immunem criminis annos
Duxerat, & ſancta degentem in lege probarat.
Cui ſic ſancta Deus pandens archana reuelat.
Iámque hominum vitiis infectum turpibus omnem
Aéra cum terris in deteriora relapſis
Eluere,& tumido viſum eſt ſubmergere ponto:
Vt dum cuncta ruens operit,iuſſúſque reſidit
Gurgite præcipiti,pollutum diluat orbem,
Implicitóſque homines: & quidquid viuere iuſſum eſt
Cauſſa hominum, inflati conuoluat labe profundi.
Sed quia tu ſolus cui cordi noſtra voluntas,
Deuotum ſanctis duxiſti legibus æuum,
Peruerſis ſemper voto meliore repugnans:
Sic decretorum moderabor iura meorum,
Vt mihi quum iuſtas luerit gens impia pœnas,
Purgatæque orbis feces:tum dignius à te
Incipiat mortale genus:ſummúmque parentem
Te numerent populi poſthæc qui tempora viuent.
Quadratis igitur trabibus contexta paretur
Archa diluuij. Geneſ. 6. Archa tibi,cubitis ſed quæ ſit longa trecentis:
Lata quaterdenis denos ſuper: aëra in altum
Terdenis ſurgens: cubitali ornata feneſtra.
Inſuper à læua ponatur ianua parte.
Tunc calidum bibula ſpirans compage bitumen
Exploret tenues & veſtiat vndique rimas.
Quúmque triplex ſpacium diſcreuerit area duplex,
Sic diſcernantur propriis animantia nidis
Ne violent permixta genus, commiſſáque pugnent
Confundántque cibos,quorum te condere par eſt
Tantum materiem: nam diſpenſata receptis
Ne deſit,præſtare meum eſt.Hæc mente fideli
Noë concipiens (nam animum ſenſúmque miniſtrãs,
Velle & poſſe dabat famulo quodcunque iubebat.)
Noe archam aggreditur. Iuſſum opus adgreditur,denſas proſternere ſyluas
Incipiens,atque annoſas proſcindere quercus.
Admittunt luci radios,vmbriſque leuatur
Campus,& æquæuo ſpoliantur robore valles.
Sed quum tam multo fuerit properata labore
Summa operis cœpti centum differtur in annos,
Vt bona vita ſequens,vitæ delicta prioris
Emendet,mutétque feros gens impia mores.
O miſeri quos tam iuſtæ dilatio pœnæ
Plus facit eſſe reos:nec iam pro crimine tantum
Præterito,at longe grauius plectentur,ob ipſum
A Temporis indulti ſpacium,veniámque neglectam:
Quum teſtaretur ſe parcere malle reuerſis
Tempore dilato dominus. Iam mole peracta
Machina conſtabat laterum compage capaci
Diffugium quod ſupremum pater ipſe pararat
Naufragiis natura tuis, rapidiſque fluentis.
Tum Deus è celſo famulum dignatus olympo
Voce monet Noë ſummum iam tempus adeſſe, *Geneſ. 3.*
Condere ſe latebris,natos cum vxore,nurúsque
Eripere inſtanti exitio,mortiſque tenebris:
Cunctáque viuificis animalia reddere clauſtris:
Siue ea terra fouet,ſeu clarus ſuſtinet aer,
Singula de mundis ſeptena,& ſingula bina
B Ex iis quæ ſacris minus apta,immunda vocantur.
Nec mora ſit: quidquid conuexo cardine cœli
Naſcitur,ignorum diuerſis partibus orbis,
Quod ſtupet Eous,quod pallidus horret Iberus,
Auſtralis Lybiæ calidis quod nutrit harenis,
Scindit Hyperboreas miro quod lumine noctes
Feſtinat trepidans: & apertæ immergitur arcæ.
Diluuium dicas iam præſenſiſſe, Deóque
Authori parere ſuo:& pecudes ratione carentes
Plus quàm imprudentes homines ratione valere,
Et ſi nil ſapiunt.Ergo omni ſemine vitæ
Prægraudá vt primum claudi Deus imperat archam,
Nox ruit,& ſubitæ cœlum obduxere tenebræ,
C Effuſóque cadens terras ferit aëre nymbus. *Diluuij deſcriptio Geneſ. 7.*
Et furit,& toto pariter deſæuit in orbe.
Nec ſatis excidio eſt,qui nubibus effluit imber:
Antiquæ laxantur aquæ,iámque æthere aperto
In nubes vacuas cœlum pluit: & reſerata
Defluit in lymphas mundus cœleſtis abyſſo:
Atque nouos pandit fontes torrentibus æquos.
Dúmque vno immixtum raptim ſe gurgite iungit
Quod cœlum, quod terra vomit,quod nubila fundũt,
Iuuoluit merſos mixtis cultoribus agros,
Implicitóſque greges ſtabulis,cum ciuibus vrbes,
Obruit inter aquas:populíque natante ruina
Nulla manet rerum facies:tegit omnia flumen:
D Creſcendóque ſuum perdunt & flumina nomen.
Mox etiam curſum,nullis ſatiabilis vnquam
Amnibus oceanus:tam magna mole ruentes
Iam perſentit aquas:aucto quas gurgite maior
Pellit,& in cumulum redeuntes ſurgere cogit.
Donec contractis æſtum attollente profundo
Vndíque littoribus ſummo ſe circite iungit
Fluctus,& oppreſſis concurrunt æquora terris.
Et iam terquinis ſuper omnia celſior vlnis
Archa ferebatur:namque hæc menſura ſupremos
Exceſſit montes, cum quadraginta diebus
Vnius pluuiæ furor,& mors vna fuiſſet.
Ter quinquagenis dehinc ſolibus aëre ſudo
E Conſimilis ponti modus & menſura remanſit.
Dum pater omnipotens iamdudum in carcere gentis
Concluſæ miſerens,terris abſcedere magnum
Paulatim iuſſit pelagus,ſenſimque relabi:
Ne raptim fugiens terras ſubuerteret omnes:
Et ſtabilem in ſedem tellus vt ſicca mearet.
Denique diffuſo planus mox aëre vertex
Prodere ſe cœpit:pedetentim & ſumma videri
Poſſe iuga, ac planos ſcopulis deſcendere fluctus:
Cúmque reſidenti ſenſim prorumpere ſyluas
Æquore,& occultos paulatim ſurgere colles,
Iámque niger patula ſpeculator miſſus ab archa
Æra reppererat placidum,prædáque reperta

Non iam curabat consueta in claustra reuerti:
Ergo emissa semel vitali è sede columba
Nil referens certi, rursum dimissa reportat,
Pacifere frugis paruum libamen oliuæ.
Tantus ad indicium hoc magni cum laude parentis
Captiuum fletus, quo se gaudere reuelant
Exoritur: quantus muris quum victor acerbus
Insultat subitum obsessis, si forte feratur
Auxilium: quantus quum iudice missa modesto
Addictos rursum vitæ sententia reddit:
Quantus in ambiguum funus quum vita recurrit
Inter lugentum lachrymas & gaudia fletus:
Posteaquam rursum speculatrix arua patere
Nunciat, hoc ipso terris quòd missa receptis
Non rediit, tædet pigras perferre latebras:
Et iuuat ad cœli ventos spirare patentis:
Atque animam ætherio laxatam pascere sensu.
Sed nulli claustro fas est exire patenti,
Donec relliquias illuc qui iusserat orbis
Ingredier, iubeat sacris excedere claustris,
Cœlitus admonitum fida cum coniuge Noë,
Cúmque domo, & natis pariter nuribúsque pudicis:
Et noua deductis iterum dare rura colonis:
Cunctáque succiduæ seruata animantia proli,
Iam captiua diu claustris emittere apertis,
Quæ bonus humanos opifex seruarat in vsus:
Quæ postquam data porta, ruunt: pars aëra pennis,
Pars saltus, syluásque petunt: pars mersa cauernis
Infoditur, patulis: terræ pars libera campis,
Exultat siccis, & prato vernat aperto.
At vero mundi sortitus regna secundi
Cuncta oculis Noë lustrans, ac mente capaci
Accipiens, animúmque volens saturare replendo:
Cuncta haurit, rapido perlustrans omnia visu.
Miratúrque nouum solito fulgentior orbem
Tum mage sol rutilus: ridet maiore sereno
Læta poli facies: & desperata virescunt
Fœtibus arua nouis: sed adhuc versatur imago
Ante oculos, tantæ semper memoranda ruinæ,
Inter aquas quid pertulerint: quid munere sacro
Non etiam tulerint, fremeret quum verbere sæuo
Pontus: & illisas contemneret archa procellas.
Cúmque suis Noe quam prompta & lata reuoluit
Se circum summi fuerit largitio patris.
Cogit & attonitos mirari ac voluere secum,
Vnde tot esca animis toto suffecerit anno:
Quis potus, namque hoc constat si cætera vitæ
Supperterent, clausos dum fluctuat archa perire
Inter aquas potuisse siti: nisi rector olympi
Humano prorsum auxilio, donóque carentes
Sustinuisset, eo quo condidit omnia nutu.
Ille etenim longe perituros carcere noctis
Affectu lucis spolians, virtute repleuit.
Ille vt tam segnem possint perferre quietem,
Infudit pigri placidum torporis amorem:
Iam quid enim non omnipotens sua dextera possit,
Qui gelidi raptim mersos sub gurgitis vndas
Quum visum est ardere facit: flammásque sub ipsas
Algere inuectos: & qui nunc tempore paruo
Posse perire homines docuit mergentibus vndis
Ostendet flammis atque vndis posse renasci.

CLAVDII MARII VICTORIS
ORATORIS MASSILIEN-
sis commentariorum in
Genesin.

LIBER TERTIVS.

A Talia mente gerens venturáque secula cer- *Genes. 8.*
nens
Non prius officij quidquam seruatus inire
Constituit: quàm sacra Deo laudésque re-
pendat,
Gratésque cuaso referat discrimine Noe:
Mox niueo sacra exurgunt altaria saxo:
Agnouítque hæc prima recens altaria mundus:
Antea totus enim conuexo tramite cœli *Primum altare Deo sacrum.*
Templum mundus erat, tum dudum ad sacra paratis
Affuit è gregibus septenis hostia præceps:
Seu volucrum ex specie, mollis quas sustinet aer:
B Siue ex iis quæ terra parit: nam septima quæque
Aris sternuntur deuota animalia sacris,
Æthereo tum mox ignis demissus olympo
Libat odoratos ad sacra altaria fœtus:
Ambrosiúmque Deo flagrant holocausta vaporem.
Et quanquam nostri nil muneris indiget ille *Deo placet nostra munera.*
Totius mundi dominúsque Deúsque: suorum
Attamen officiis venerari & munere gaudet:
Qui lymphis tandem sic Noë affatur ademptis.
Et si parua fuit tanto pro crimine pœnæ
Vltio, vindicibus pluuiis, cœlóque refuso
Tot scelerum damnasse reos, sedémque nocentem
Terrarum mage diffuso purgasse profundo:
C Non tamen offensi seriemus verbere tali
Vlterius mortale genus: quamuis ruituras
Per varium facinus, per crimina pristina rursum
Humanas mentes videam, gentésque profanas:
Non tamen interea cessabit dextera vindex
Supplicia iniustis quæ reddat, præmia iustis.
Vos igitur quos vita probat iustissima nobis.
Crescite securi, & fœcunda prole referte *Crescite & multiplicamini & replete terram. Genes. 9.*
Arua, nouósque greges longis distendite terris:
Seruabunt elementa vices, cunctíque diebus
Sparsis seminibus reddetur debita messis.
Curret opus mundi compar, discordibus horis:
Æstati certabit hyems: ac tempora librans
D Veris & autumni fugiens replicabitur annus.
Vósque (quibus regnum solidi permissus orbis)
Tota tremet, metuétque ampli substantia mundi.
Imperium ecce damus vobis res prorsus in omnes:
Tórque inter species rerum quæ sponte mouentur
Carnea membra quidem vestros largimur in vsus.
Quanquam interdictum vobis à sanguine viui
Esse volo: quem si quisquam ederit, haud secus actis
Illum iudicij plectet sententia: quàm si
Hauserit humana fluidum de cæde cruorem
Quem repetam semper vindex, adeóque requiram,
Vt mihi non solus pendat rationis abundans
Supplicium, sed bruta etiam, cruor omnibus æque
E Sit sacer humanus: verum ne postea quisquam
Diluuium metuat, tali sit fœdere tutus.
Quum leuis in nebulas pendens se verterit humor,
Et nigras cumularit aquas inconcaua nubes,
Effundam radios, & pulchrum circite summo
Arcum componet mihi solis imago recuruum:
Pingentem conuexa poli, qui luce colores
Exhibeat varios, & in aera dissipet imbres.
Quod sibi venturi specimen præsumere signi
Posteritas secura potest: vt fœdere tali
Post hæc diluuium credat non esse timendum.
Talibus attenti imperiis cum coniuge Noë
Post habitas domino grates, laudésque repensas,

Certatim

Certatim & limo dulcíque vligine læta
Arua pater natíque simul, queis firmius æuum,
Mox subigunt rastris, & semine rura maritant.
Tum vere effusis latè densissima campis
Herba virens, flauas quum durauisset aristas,
Solis ob ardores in frugem lacte gelato
Reddit multiplicem cumulato fœnore messem.
Et noua prægrauido iam palmite vinea, diti
Luxuriat fructu, tortáque ex arbore nectar
Parturit, & duro nascentia pocula ligno.
Noë inebriatur. Forte Deo Noe celebrabat lætus honores
Indulgens sacris epulis, vinúmque propinans
Prima è vite nouum: quo demum largius hausto
Hinc alto grauidus somno membrisque solutis
Non bene composita quum veste iaceret, humíque
B Prostratus spectanda daret genitalia natis
Chamini-quitas. Membra suis: vni tibi Cham deterrime risum
Mouit origo tui: nec iam peccasse sat vni
Esse tibi credens, fratres aspergine culpæ
Contendis maculare tuæ: sententia multò
Quos melior, meliórque animus detecta parentis
Obiecta docuit cælare virilia palla:
Nam patrium auersis manibus texere pudorem
Sem simul atque Iaphet, tali dignissima patre
Pignora, quos ideo fratris dedit esse minoris
Iure pater dominos somno vinóque solutus.
Qui mox natorum cuigilans benefacta suorum
Et Cham demeritum tali mercede rependit.
Cham seruus fratrum effi citur. Cham tu inquit, maledictus eris, seruúsque tuorum
Æternum fies ventura in secula fratrum.
Sem vero benedictus erit: fratrémque minorem
Participem secum communi sede bonorum
Efficiet, quorum late possessio currat.
Mors & anni Noë. Hæc fatus senior quum iam decurreret annos
Mille minus decies quinos: in pace quieuit.
Interea domini dum sancta in lege vigeret
Posteritas multis iámque aucta nepotibus, & se
Cœlorum ac terræ domino committeret vni:
Tunc sanctis hominum parebant omnia iussis:
Terra grauis, liquidum pelagus, vegetabilis aer.
Non opus arte illis, cœlesti námque magistro
Omnia discebant: sed postquam in crimina mundus
Exiit & late vitiis sese abdidit imis,
Perdidit insigne hoc munus damnata propago:
Oblitámque Dei plures effingere diuos
Non puduit: tanti est supremi obliuio patris.
Tum grauis inuentor lethi cessare capacem
Fraudis materiem non passus, cuncta maligno
Subdidit arbitrio, quo fatum induceret orbi,
Suaderétque Deum vel iam non esse, vel ista
Inferiora huius contemnere munia mundi.
Ergo res hominum cunctas euentáque rerum
Quæ domino fuerat par assignare supremo,
Assignare vagis persuasit subdolus astris:
Atque auium spectare fibras, motúsque volantum,
Et studio ingenti magicæ scelus intulit artis.
Et plures creare Deos, idoláque muta
Aut magis idolis latitantem semet in ipsis
Suasit adorari: multo mage dignus aduri.
Nëroth. Inque nephanda prior descendit crimina Nemroth
Impietatis apex, Cham seruo è semine natus,
Mole & mente gigas, Babylonia regna gubernans
Persarum hic animos capiens venator iniquus,
A veris domini sacris traduxit ad ignem.
Nec modo plus æquo cupidis hac arte sagaci
Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis

Illusit curis hominum, sed mentibus ipsis
A Irruit: & sensus penitus descendit in omnes:
Mox & in affectus: nam quum patris vnica proles
Spem generis letho secum traxisset acerbo
Infœlix Nemroth lachrymas noctésque diésque
Continuans hebetíque trahens plangore querelas
Dum furit, & raptum quærit per singula natum,
Effecta mœstum solatur imagine luctum:
Et pario effectam filij de marmore formam
Credidit infœlix incluso viuere sensu: *Initium Idololatriæ.*
Et questus audire suos, mox inde dicatis
Erectísque aris diuinos addit honores:
Inque loco iubet esse Dei, tum protinus omnes
Amplexæ gentes scelus hoc, crimenque sequutæ,
B Pro diis quæque suis charos habuere parentes.
Post etiam simili reges in honore locarunt
Dixerúntque Deos: quorum sub nomine mendax
Græcia, dum veris falsa insmuare laborat:
Addidit obscuras vanis rationibus vmbras,
Excusans tumulos atque indita nomina bustis:
Donec per species sese dementia cunctas
Proderet, & minimis rebus membrisque pudendis
Nomen inane Dei mundo ridente daretur.
Talibus errorum falebris fomenta daturus
Ambigua inuentor lethi responsa ciebat:
Vsus ad insidias aut igni, aut fonte calenti,
Aut terra ex antris ventos spirante loquaces:
C Et falsum vani sibi nomen Apollinis indens.
Talibus à domino gentes trux ille remotas
Captabat laqueis, quò ducens quumque volebat:
Tanti est à sancto domini discedere cultu.
At vero egressi vnde sumus, redeamus ad illam
Maiorum seriem: quæ paucos aucta per annos
Vsque adeo excreuit, quòd mox oriente relicto
Inde nouas alio compulsi quærere sedes, *Genes. 11.*
In campum (Semnaar veteres dixere) patentem
Perueniunt: quúmque his etiam discedere terris
Cogitur, in varias partes spargenda iuuentus:
Cœpit in hæc mœstas tristissima verba querelas.
Heu quam non certus vitæ status ordine cœpto
D Fert homines? quàmque ignaros vel prospera fallunt
Per varios casus? quàm voti summa petiti
Tendit in aduersum? iam nos (si dicere fas est)
Quòd sperata patrum precibus numerosa neporum
Creuit turba, piget: quod iam spargenda per orbem
Exilio cumulata manus, periturâque longe
Finibus à patriis: nos ergo siccine tandem
Longa pauperie defecta, inhonoráque membra
Ignotis dabimus passim tumulanda sepulchris?
Nec saltem miseri tumulis claudemur auitis?
Nullâque erit nostri post mortem fama superstes?
Quare agite ò iuuenes dum vires turba ministrat
Quæ vobis superest, quæ finem nesciat vllum
E Egregiam æternis famam dimittite factis:
Vrbem condamus, cuius sub mœnia turrem
Vsque attollamus, donec pingentia cœlum
Sidera, & excelsi conuexa attingat olympi.
Nescia posteritas vt nos hinc orbe relicto
In cœlum migrasse putet: sic mota iuuentus
Contemnunt cautes, & quidquid monte reciso
Defluit: ac domitæ fictos de viscere terræ
Constringunt igni lateres, operisque futuri *Molitio turris Babel.*
Materiam proprio malunt debere labori:
Hanc interstratum sic nectit vtrinque bitumen,
Vt solidas simulent circundata mœnia cautes.
Mox turris properata subit, mox vertice nubes

Transilit,ac fruitur cœli propiore sereno.
Tum pater omnipotens cœlesti voce senatum
Congregat angelicum:turbæque insana superbæ
Facta stupens,istthæc regni consortibus infit.
En terrena phalanx quo iam temeraria pergit
Cernitis,& quantos imprudens tendit in ausus.
Mortali quæ structa manu contigere celsos
Credit posse polos,& ad æthera ducere nostrum.
Nemo ascendit in cælũ nisi qui de cælo descendit, filius hominis. Ioan.3. Quum nemo indutus terreno corpore cœlum
Ascendat,nisi qui cœlo descenderit alto.
Sed quia gens vna est, eadem quoque forma loquẽdi
In componenda persistent turre:nec ante
Desistent quam mutua opus consensio cœptum
Finierit:tanta est humanæ insania mentis.
Ergo agite, (vt vetitum norint quod posse negatũ est)
Iam descendamus,tumefactáque corda superbo
Consensu varij turbemus vocibus oris:
Vt quod peccarunt concordis crimine mentis,
Confusæ damnet melior discordia linguæ.
Dixit,& intentos operi molémque leuantes
Mentibus attonitis subiecta obliuio primum
Intrat,& ignotæ subiit perfectio linguæ.
Increpitant operis studio cessante magistri
Cunctantes socios, sed vocem nemo remittit
Non intellectis,quod siquis tentat,inane
Sibilat,aut rupti fremitu sermonis anhelat:
Sic vanum praua susceptum mente laborem
Destituit frustrata manus:iam nemo propinquum
Nemo patrem sequitur:quemquisque intelligit,addit
Prima gẽtium dispersio. Adglomerátque sibi,sociúmque adiungere curat.
Dúmque perit diuisa huius cognatio gentis,
Gentem lingua facit: sparguntur classibus æquis
Diductáque petunt vatio sub sidere terras.
Haud aliter volucres campi per mollia plana
Quas gregibus mixtis errare & quærere victum
Persuasit secura dies,quum nocte propinqua
Frondea tecta petunt: exempto cum grege turba
Vulgus quæque suum sequitur,rapidóque volatu
Miscentur similis qua duxerit aut color, aut vox:
Sic tunc in partes populus se dissecat vnus:
Et species fit quæque genus,longéque remotis
Considunt terris,atque orbem gentibus implent
Nec tamen hoc sacri (quum sit sua pœna nocentum
Muneris est vacuum:nam quamuis vltio iusta
Hæc fuerit,quos non tetigit reuerentia cœli
Quæ sedes propria est mundi rerúmque parentis
Vt nec se agnoscant verba inconsueta loquentes:
Attamẽ id multum quod rapto hoc fœdere cautũ est
Ne quam paucorum attulerat persuasio culpam,
Cunctorum assensu rursus contingeret omnes:
Et faceret commune nefas:ne prælia dura
Et rabido populis mors arcessenda furore
Bellum illis ciuile foret:sic profuit illis
Inque bonum versa est primæ diuisio linguæ.
Quanquam nec prorsum sublata Hebræa loquendi
Consuetudo fuit:quum tunc permanserit oris
Hebræi sonitus,sermóque antiquus ,in illis
Qui culpæ expertes pars non iniusta fuerunt
Natorum quos Sem genuit,custodia iusti
Quos tenuit:dominique etiam reuerentia summi.
Sed postquam toto dementia percita mundo
(Vt taceam magici scelus intolerabile monstri)
In truncos & saxa etiam durique metalli
Arte cauas species,& cassas luce figuras
Impegit mortale genus:mentésque supernis
Intentas fregit:terræque addixit inerti,
Conuoluíque simul fœdæ contagio labis,
A Non secus æthiopum feruentibus excita terris
Nubila,morborum corrupto tramite cœli
Dum currunt, quisquis percussum fulmine lethi
Ingemuit,simul ipse ruit,quicunque cadentem
Conspexit,cecidit congestáque funera passim
Dira lues strauit,campósque reliquit inanes.
Sic tunc præcipiti complexos mole furoris
Ne nihil infectum toto dimitteret orbe
Comprendit repetens, quos iam dimiserat error.
Donec Chaldæi generis de semine Thare *Gen.11.*
Vir iustus metuénsque Dei cum stirpe suorum
Vrbem aliam morésque nouos, sedémque requirens
Mansit in Assyriis demum nouus accola Carris.
B Qui quadragenis lustris vbi vixit & vno
Infaustam hanc vitam fœlici morte redemit.
Huic meritis patrem & sanctis virtutibus æquans,
Aut longè superans, successit filius Abram. *Abram.*
Vir cœlo dignus, nam primo à lumine vitæ
Verum mente Deum venerans, gentilia sacra
Auersatus erat,quem postquam morte parentis
Iussa sequi iam posse Dei,sine fraude liquebat:
His dominus famulum meritis dignatus adire est.
Quandoquidem toto se solum inuenimus orbe *Gen.12.*
Quem sincera fides iuuat,& reuerentia nostri:
Linque procul sedes patrias,terrámque nocentem, *Egredere de terra tua & cognatione tua.*
Pollutámque domum:cognatio tota prophana est
C Et fugienda tibi:terræ melioris in agros
Me duce peruenies:ne sis pars gentis iniquæ
Qui sanctæ caput esse potes:tum sacra dicabo
Quæ maneant benedicta tibi,noménque per omnes *Genes.12.*
Magnificum reddam populos, bona cũcta rependẽs:
Et benedictus erit tibi qui benedixerit:atqui
Qui maledicta tibi conuitiáque ingeret, ille
Confestim maledictus erit,benedictio per te
Spargetur tribubus cunctis,æuóque futuro.
Dixit,& imperiis mentem quæ pareat indit,
Promissísque piis credat,mora nulla repente
Dicto intercedit domini: sed protinus Abram
Cum gregibus varij generis,famulísque paternis,
D Coniuge cum fida,chari cum pignore fratris,
Cui Loth nomen erat,digressus,limite recto
Ignotum sibi carpit iter:mollissima lætas
Præbent arua vias,blandúmque fauentibus austris
Arridens nullis turbatur motibus aër:
In Chanaam terras & regna vberrima Sichem
Donec perueniens,didicit sobolique sibique
Isthæc in sortem imperij cessura futuri:
Vnde Deo supplex deuotas extruit aras,
Et veteres reuocans,cultor nouus auget honores.
Inde petit Bethel sedes quæ lecta beati
Hospitiis sacrata Dei:cunctásque superbis
Excessit meritis terras, quandóque secundo
E Post cœlũ numeranda loco:nam sede superna
Dignior ista Dei,quæ pignus lege salutis
Emissum mundo tantum mirante paratum,
Exciperet visa est,hominémque remitteret astris.
Hic quoque solennes Abram pater extruit aras.
Et linquenda nouis habitacula ponit in aruis.
Namque fame rursum sedem mutare coactus
Castra mouet,totámque domũ,famulósq;, gregesq;: *Abram in Ægyptũ transitus.*
Secum agit,& rebus commercia iusta rependens
Intrat in Ægyptum: & Sarai appellare sororem
Maulit quàm vxorem,ne barbara pectora sancti
Hospitis,in cædem stimulet furiosa libido. *Genes.12.*
Vnde & mox Pharao radiantis imagine formæ

Ictus inardescit, thalamósque & fœdera certa
Lege parat:longos isthæc connubia in annos
Ducturus,ni longè aliter disponeret ille
Autor coniugij:cui quum minus ista placerent
Ecce pauor regi mersa formidine mixtus
Ingruit,& subito quatit improba corda tumultu:
Exterrétque animos niger horror & implicat artus.
Vt rex sacrilegæ gentis tam tristia vota
Sentiret damnasse Deum,qui tale profecto
Consilium infudit famulis,vt barbarus hostis
Esse virum Sarai securum agnosceret Abram,
Quum foret expertus quam non impune prophano
Appeteret ferro,quàm nec viduare liceret.
Sponte igitur nulla violatam labe marito
Reddit,& ingenti cumulatum fruge remittit
In Sichem,Bethelémque suam:quo deinde recepti
Cum gregibúsque domóque pater, cum cõiuge salua,
Exercent campos, & pinguia pascua late
Gene.13. Immixtis carpunt gregibus:dum iurgia crebra
Inter pastores patrui nata atque neporis:
Dum non sufficerent capiendis arua duorum
Armentis angusta nimis: plenissimus ergo
Abram iustitiæ atque obseruantissimus æqui
Quò dirimat lites,& iurgia tollat auara,
Vt natu maior,concessos diuidit agros:
Iunior elegit quà dulcibus vndique fusis
Rura maritat aquis,tipísque vmbrantibus inter
Labitur,& teretes salus Iordanis amœnat.
Ergo quò fugiat pastorum iurgia ab Abram
Declinans,iunctos Sodomæ Loth migrat in agros.
Quum Deus hac Abram mœsti spe pectora firmans,
Ne moueatis ait, fratris quòd prole relicta
Nunc solus videare tibi:innumerabile vulgus
Tu mihi solus eris,populíque idem autor amici
Suspice quadrifidi partes intentus ad orbis:
Inspice nunc austrum versus,septémque triones,
Quà sol exoritur,quà vespere concidit imo,
Hæc tibimet,prolíque tuæ,populísque tuorum,
Concedam,æternos illis habitanda per annos.
Queis tu etiam terris longè latéque fruaris:
Surge,& quid pateant gressu prius hospite lustra.
Hæc ait.Ille libens paret sedémque relinquens
Chebron Hebrei vulgo Hebron. Emigrat,Chebrónque subit,subque ilice nigra
Gen. 14. Ad Mamre querceta pater tentoria figit:
Hic quoque solennes domino struit & colit aras.
Interea magno circum turbante tumultu
Hostis adest,auidus, varia quem dote reforta
Solicitat tellus,campis illisa resultat
Vngula,& effusis errat populator habenis
Aduersum Sodomæ,pinguissima pascua gentis:
Loth vero portis cum rege erumpit apertis,
Et vicina manus regum socia arma ferentum,
Secum equites peditésque trahunt,distenditur agmen
Confligunt acies pariter, sternúntque cadúntque:
Sed turpis Sodomæ luxu emollita iuuentus
Vt rursum exarsit repetitus clamor in iras,
Vertunt terga metu:rapido pars mœnia cursu,
Pars montes,syluásque petunt,pars septa cateruis
Porrigit ignauas ad tristia vincula palmas.
Vt vero patruus captum Loth audiit Abram,
Non fletu,quid enim fletus conferret inanis?
Sed virtute parat fratri succurrere capto.
Instructos igitur tercentum deligit omni
De grege bisque nouem famulos,quos ante præeũtes
Insequitur sensim,quà lentum prodidit hostem
Tendere præda grauis:quorum de nocte silenti

Corpora(consuetu dum iam languentia duro
A Irrigat,& fessos dulcis sopor alligat artus)
Aggreditur,nil venturum sibi tale putantum:
Vt quum ieiuni rabies vesana leonis
In pecudum saltu penetrauit septa volucri,
Et dente atque pede exanimat, cupidámque vorandi
Ira famem superat,dum meta doloris acerbi
Iámque ouibus vacuas effecerit vltima caulas.
Haud secus ille duces somno vinóque sepultos *Abrã victoria.*
Stertentésque Abram populos, regésque trucidat, *Gen. 14.*
Sic tamen vt nullus confundat castra tumultus.
Nemo gradũ sentit,nisi quem mens deficit & vox.
Nemo sonum cædis,nisi quem mors excitat audit.
Sanguine cuncta madent:sicco resoluta sereno
B Tellus tabe coit,gressúmque morante cruore
Lubrica stagnanti titubant vestigia campo.
Nec tamen omne animãs gladiis occumbit apertis,
Seruantur prædæ:tanta est moderatio iusti
Victoris:reliquos sparsit fuga turpis,& agros
Vsque Damascenos instans formido sequuta est.
At victor tanti nil motus laude triumphi,
Inter equos,pecudúmque greges,populúmq; receptũ,
Aut captum,gazásque, (auido quæ pondere victos
Victorésque mouent)nil prorsus concupit horum
Magnificus, sedenim tanta inter gaudia mitis
Et varios hominum reputans sub pectore casus,
Omnes omnino prædas,& præmia belli
C Direptis passim populis,regíque reseruat:
Non sibi se pugnasse docens,decimam tamen offert
Hostibus excussæ quę vera est hostia prædæ,
Melchisedech, vinúmque & panem: ab cæde reuerso.
Melchisedech rex ile Salem,qui munere tali *Melchisedech Christi figura.*
Mystica præmisit summi libamina Christi:
Cuius de manibus sumens ecclesia corpus
Viuificum panem,cœlesti pota cruore est.
At vero hostili redeuntem è funere lassum,
Omnipotens verbis solatur talibus Abram,
Quandoquidem nullis cupidum te præda subegit *Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.*
Illecebris, pretiúm fidei,mercésque laborum
Mecum plena tibi est:téque & tua cuncta tuebor,
D Hæredi seruanda tuo, quem germine sero
Progenitum,magè multo etiam pius autor amabis.
Nil est quòd metuas hæres tuus ille Damascus
Vt fuat,ipse tuo cernes de semine natum:
Accendat cuius patrios infantia sensus: *Genes.15.*
Suspice conuexum quàm denso lumine cœlum
Picta nocte micat:quantis congesta premantur
Sidera sideribus,numerum quæ obiecta recusent?
Seminis hoc exemplar habes,stirpísque futuræ
Multiplicis formam. Sic fatus finit: at ille *Credidit Abrahã Deo & reputatũ est illi ad iustitiam.*
Credidit,& nudæ fidei consensio sola
Plenam ad iustitiæ & meriti reputata coronam est.
Atque adeò hinc Abram tanta mercede docemur,
E Quanti sit meriti diuino credere Verbo:
Demeriti contra quanti non credere:namque vt
Credidit hac rursum diuina voce meretur *Genes.15.*
Solari:omnipotens dum verbis incipit istis.
Ille ego sum Deus ac dominus,qui téque tuósque *Ego dominus qui te eduxi de Ur Chaldæorum.*
Chaldæa de gente tuli,tandémque paternis
Exceptum vitiis, terra meliore locaui,
Vt de te genitus populus meus arua beata
Incolat,& seriem longè latéque propager,
Gentibus expulsis,quas fœdo errore parentum *Genes.15.*
Sacrilegas ritus olim fecere prophani:
Quod cunctabundus nimium quia credere differs,
Trinam sume mihi trina iam fronte iuuencam,

Cum qua par annis blando grege lecta capella,
Æquæuúsque aries, nostro mactetur honori:
Castra quoque humanæ turtur coniuncta columbæ.
At verò volucrum non sentiat hostia ferrum:
Tantum intermedias pecudes discindere cura:
Quas sic diductas mundis distinguito arenis,
Vt membris coeant altrinsecus æmula membra.
Dixit, at ille Dei monitus seruare libenter
Assuetus, raptim properat mandata patrare:
Sed quum dispositam quo iussa erat ordine, terræ,
Strauisset seriem, subito manus ingruit atra
Importunatum prædam insectata volucrum:
Quæ ne contactu violatent sacra prophano,
Vndíque solicitus cauet, & circumspicit Abram,
Sed quũ opere attonitum tanto, nec sole cadente
Vinceret officij moles tam magna recepti:
Ecce niger terror, tremor horridus, & sopor intrat
Nuncia iussa ferens, venturáque secula formans.
Credo, videbatur septum sibi cernere nilum
Hebrææ gentis populo, ferósque nepotes
Ingentémque supra numerum cognoscere turbas:
Inde truces motus, deductáque castra suorum,
Transmissum pelagus, sed gurgite mersa profundo
Agmina naufragium nulla cum classe sequutum:
Ereptósque mari Hebræos, dehinc tota beatæ
Regna Palæstinæ populo patuisse reuerso.
Talibus attonito visis non defuit almus
Interpres, prænosce tuos, sobolémque tuorum
Inquit, in externis per secula quattuor agris
Niliaci illius censuram dira tyranni
Imperia: at quum tot peregrina expleuerit annos:
Seruitio eripiam, gentémque vlciscar iniquam.
Et reddam terris blando quas gurgite cingunt
Nilus & Euphrates: sed quum peccata nocentum
Gentis Amorrhææ populíque hæc regna tenentis
Explerint summam scelerum: dignique paternis
Sedibus expulsi fuerint: at tu tamen ante
Longæuo fœlix decedens limite vitæ
Ploratus natis cum pace & munere nostro
Ad sanctos migrabis auos: sic fatus, & alto
Quum iam nox terris densas induceret vmbras
Signum è monte dedit, confestim fumeus istic
Apparet clibanus, lampásque ignita videtur:
Tum sacras epulas mediúmque inuecta paratum
Præcipiti cursu delibans flamma vorauit.
Interea certus regni prolísque futuræ
Gene. 16. Munus adire patris cupit Abram: casta sed vxor
Abnuit officium, quòd inanem effœta senectus
Iámque vterum sibi fecisset: sed dulce mariti
Pignus spémque nouam quacunque ex pellice fusam
Esse suam credens, famulam (cui iunior ætas
Agar nomen erat, tellus Nilotica origo)
Abram Agar cognoscit.
Subrogat in thalamos, precibúsque adgressa maritum,
Seruili semen concredere perpulit aluo.
Ast anima vt primum suscepta viuere sensit
Agar ventris onus, fastu tumefacta superbo
Agar insolentia.
Despexit dominam: & dominam cui matris amorem
Debebat, causámque sui furiosa tumoris.
Recte igitur flagris hanc vir iustissimus Abram
Coniugis addixit: quorum magis acta pudore
Agar fugit.
In deserta procul secretáque lustra ferarum
Abditur indignans, quam exul nec spernere cessat:
Sed rursum obsequio priuans quod debuit, illam
Contemnit quo more potest, mauultque pericla
Desertæ perferre viæ: ni missus olympo
Angelus occurrat, famulámque ad pristina rura

Restituat miti dominæ: blandóque refectam
A Hortatu, melius iubeat sperare reuersam.
Et nomen nati doceat, morésque manúsque,
Innumerósque greges tali de stirpe futuros:
Quo maiore redit voto iam certa futuri:
Et partu dominum fecit prior ipsa parentem.
Gene. 17.
Quum iam decursi spaciis fœlicibus æui
Supra octoginta quum sex excluderet annos,
Ad quos bissenas quum iustus & insuper vnam
Adderet æstates: solito hunc rursum pater almus
Alloquio dignatus adit: iussítque senectam
Ducere fœlicem: simul & promissa reuoluit,
Et quam mercedem expectet: tum corpore prono.
Abram suppliciter dominum prostratus adorat.
B A quo mox audit firmata voce futurum
Se patrem innumeræ gentis, latéque parentis:
Et cuius venient etiam de semine reges.
Hoc tamen à reliquis iussus discernere signo
Hebræam gentem populis, vt sponte resecta
Carne superuacua se circuncidat, & omnem
Masculei sexus præsentémque atque futuram
Progeniem: iussus pueros à matre recentes
Atque rudes vitæ dum mens ignara dolendi est,
Præputio exutos, octaua luce sacrare.
Quòd qui tam sanctum corrumpere testamentum
Auderet, cessans legi inseruire rogatæ:
Exhæres fieret regni, vitæque futuræ.
C At simul vt vero sibi crederet argumento
Venturas aliquando suo de semine gentes
Innumeras, nomen dominus commutat vtrique.
Non Sarai tibi ait, sed Sarra vocabitur vxor:
Et tu non Abram, sed nomine clarior aucto
Venturæ Abraham posthæc vocitabere genti.
Quod commune ideo tibimet cum coniuge vera est
Promissi quoniam (nihil est re certius ista)
Mater erit generis, téque annum sole remenso
Esse patrem faciet, quamuis ridenda putetis
Virtutis promissa meæ: nec vestra senectus
Impediet, quin diuini sententia iuris
Æternos semper maneat stabilita per annos.
D Sed tamen ignoscam dubiis, pueróque futuro
Imponam nomen quod culpam hanc arguat Ishac:
Qui nostri indubie seruato fœdere pacti
Hæres certus erit, cuncta cum stirpe suorum.
Nec tamen Ismael Agar de semine natus
Expers dotis erit: nostro nam munere fultus
Milia multa virûm de se ventura potentum,
Bissenis pariter ducibus regnanda creabit.
Dixit, at ille auidus pactum accelerare receptum
Iam centum pulsans annos, iam pubere nato,
Se primum, gnatúmque suum, cunctósque clientes
Ac famulos omnes quo iussum est stigmate signat.
Et populum facit esse nouum, fontémque piorum:
E Vna eadémque via, tanta est deuotio, legem
Accipiens explénsque fidem. Quid non meret ergo
Tam præsens velóxque fides? nam non timor istud
Sed syncerus amor, famulíque probatio iusti est.
Quodlibet imperium placida sic mente subire
Vnde deum sibi promeruit: nempe antea tantum
Audiri solitus, meritum post tale ministri
Iam patitur cerni: quúmque indignatio iusta
Vltorem stimulet, mortales non tamen ille
Respuit aspectus: nam quum damnare pararet
Crimina terrarum, flammîsque abolere nocentes,
Aut verum aut qualem norat se posse videri
Et nomẽ numerúmque Abraham prodidit ipsum.
Illi

Illi nanque domi Mamre in conualle sedenti
Tres Abrahã videt & vnum adorat. Gen. 18.
Tres subito apparent angusta luce micantes.
Abraham tanti stimulatus imagine visus
Procurrit, dominúmque solo prostratus adorat:
Trésque etiam supplex forma veneratur in vna,
Queis vt, mente pia liceat seruire, precatur:
Et refici in medios æstus tendentibus horis
Non dedignetur, famuli mensísque cibísque:
Vsque adeo visus inter sensúsque vigentes
Errabat dubitans hominis substantia an esset,
Quem norat mens esse Deum, tamen annuit ille,
Officiúmque pij non aspernatus alumni
Oblatósque cibos, mensásque sacrauit amicas.
Vt verò ablatis epulis mensísque remotis
Hospitibus visum est illinc discedere, tum mox
Inde mouens gressus, lateri comes hæret euntum
Hospes ouans: tristíque quatit concussa pauore
Pectora, & attonitum venerabilis attrahit horror.
Quippe videt vultus tacitos, visúsque seueros,
In Sodomam Dominum iuncta vibrasse Gomorrha,
Pacis & emissos famulos, iræque ministros:
Et quum cognoscet tanta quid mole patraret
Archanum pandente Deo, caussámque docente
Abraham pro Sodomis precatur.
Vltro audet Dominũ scrutari, an perderet vrbem,
Errantis populi per crimina cuncta nocentem,
Si quinquaginta morum probitate piorum
Spectatos aleret: quúmque ipsi diceret, illis
Si numerum talem inuenio, mihi parcere certum est.
Quid si quinque minus fuerint, tum subdidit? & quid
Si quadraginta soli? quid si minus illo
Forte decem numero? Quid si bis quinque dabuntur
Innocui? non & tu vrbi Deus optime parces?
Quúmque etiam numero se velle ignoscere tali
Dixisset, famulum in medio sermone reliquit
Tendentem vlterius: séque in sua regna recepit.
Gene. 19. Dimissi interea ciues è sede superna
Angelici in Sodomæ terras, Loth forte sedentem
Ante fores vrbis, iam terris sole propinquo
Inueniunt: qui quum miro splendore videret
Angelicos radiare viros, descendere summo
Loth Angelos hospitio accipit. Gen. 19.
E cœlo ratus, in terram prostratus adorat.
Inuitátque domum, noctémque auertere tecto
Euincit precibus simul & conuiuere suadet.
Innocuósque cibos, & pocula parca ministrat.
Dúmque epulis sumptis somno indulgere pararent:
Ecce sub occasum lucis, noctísque recursum,
Fœda manus vulgi si fas dixisse, virilis
Prosilit, & iuuenum insanis puerique senésque
Ignibus vruntur: Lóthque vt sibi tradat abuti
Hospitibus, cogunt: quid non vesana libido
Ausit? at ille volens populi mollire furorem
Insani, natas quibus illibata manebat
Virginitas offert quoscunque optarit in vsus,
Ast effræna cohors in deteriora profundi
Lapsa mali, vitio sese immiscere minori
Vile putat, nisi se summis etiam implicet: ergo
Infandum vt patret facinus Loth opprimit: & iam
Vi maiore agitant quàm quæ virtute repelli
Humana valeat: quum protinus hospes vterque
Angelicas nudant mentito corpore vires.
Et populi secum obcæcata mente furentis
Loth retrahunt: ínque ipsa domus secreta receptum
Perdenda hortantur confestim abscedere terra.
Qui sint, quid veniant, & quæ præcepta ferentes
Mox explere velint, nil iam sermone patenti
Dissimulant: & ab hac se clade euadere saluum

Posse, domúmque suam dicunt generósque suósque
A Colligere affines, & secum abducere mandant.
Ast illos simili cum vulgo crimine tactos
Inuoluit similis sententia sana monenti
Credere dum nolunt: quanquam quòd credere nolunt
Non est vt multum mirere, abscedere quum Loth
Id quoque ridiculum quod consuluere putaret.
Quem lentum, pigrásque moras sine fine trahentem,
Hospes vterque videns manibus cum cõiuge raptum,
Virginibúsque suis, procul extra mœnia ducit:
Et celerare iubet montésque euadere in altos,
Tali lege data, ne cœlesti igne flagrantes
Post se respiciat quisquam male cautus in vrbes.
Loth vero metuens montes ne tardius altos
B Aggressum velox cœli præuerteret ira.
Ore Segor lachrymísque petit secura recessus
Antra sui: lachrymas autem non sensit inanes,
Loth pro Segor impetrat.
Concessúmque sibi donum speciale salutis
Pluribus impartit, meritúmque è munere fecit.
Et iam non solitas raptim obducentia cœlum
A patria virtute Deo miscente, coacta
Nubila densarant nebulas: sed quas rotat Æthna
Quas vomit Inarime, atque Aponus feruentibus vndis
Exaltat, quas vicino concussa Vesæuo
Eructat tellus: Lyciæ quas sæua Chymeræ
Ora sinu vasto trinæ fornacis anhelat,
Et quocunque loco fallentia sulphura velox
C Spiritus inflammans angusto tramite fusus
Effluit in lucem rupta tellure vaporans:
Non quòd non possit pluuias quoque vertere in ignes,
Totum de nihilo potuit qui condere mundum:
Sed maiore bonus iudex damnare paratu
Mauult, quos miserens vrbis morúmque ruinæ
Punit in exemplum: mox durum elementa minantur
Concurrúntque vndante globo, stipatáque flatu
Quæque suo coëunt flammarum pabula in vnum
Corpus, & infandas terras vrbésque nocentes
Sulphurei testudo tegit curuata metalli:
Quam citus & vires angusto tramite sumens
Spiritus incussam, tanto crepitare fragore
D Compulit, & crebro tonitrus agitante corusco
Consternare animos, quotquot spectacula cernunt
Talia: quinetiam Loth heu, miserabilis vxor
Seu tanto stupefacta metu, seu stulta cupido
Illa fuit vetitum contra consurgere pactum
Fœmineis innata animis: quæ denique cumque
Causa fuit, Sodomam inspectans se ponè ruentem,
Confestim pœnas violata lege subiuit,
Vxor Loth in statuã salis vertitur. Gen. 19.
In statuam conuersa salis, spoliatáque luce
Sic animam infœlix cum corpore perdidit omni:
Vt nullum extaret forma remanente cadauer.
Ocior inde Segor luctum prohibente timore
Horrificóque malo stupidus, mox ingreditur Loth.
E Tum sol exoritur toto feruentior igne,
Irato fulgore micans, radiósque seueros
Sodomæ et Gomorrę incẽdia. Gen. 19.
Dirigit in Sodomam: qui postquam lumina flammis
Inuoluêre suis, resolutáque sulphura: nexos
Secum præcipitant ignes, siccóque liquore
Dispensata suis stillant incendia thedis.
Fulmineus denso præceps cadit aëre nymbus
Inuoluítque vrbes, & totis sæuit in agris.
Admixto stridore tonat, vincítque querelas
Flammea tempestas: quæ postquam pabula terris
Repperit incensis, ipsísque insedit arenis,
Erigit immensam coniuncto fomite metam
Ignis, & à terris redeunt in sidera flammæ,

In cineres donec cautes tellúsque resultans
Transeat, ac penitus mersæ soluantur arenæ.
Depressíque cauos consumpto cespite campis
Pandunt arua sinus, venísque effusus apertis
Consocians vires, qui terras strinxerat humor
Priuatum gignit pelagus: Quidnam esse putemus
Quod raptim lacus est mira virtute refertus
Qui fuit ante rogus? sic omnipotentia summi
Iudicis in gelidas ignem conuertere lymphas,
Ac rursum lymphas ardentem possit in ignem.
Nec tamen hic occulta vacant mysteria, nam quòd
Vndæ hic sunt vbi flamma fuit: quòd flammea missis
Desuper extinxit lymphis: forasse notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentáque primi
Peccato contracta patris cœlestibus vndis
Extinctum quandoque iri: próque ignibus acris
Iustitiæ, quibus illa olim lex dura vigebat:
Saluificis purgatum iri & lustralibus vndis.

CLAVDII MARII VICTORIS,
ORATORIS MASSILIENSIS DE PERuersis suæ ætatis moribus, Liber quartus Ad Salmonem.

SI Domini templum supplex orator adisti,
Imo & custodem templi, populíque magistrum,
Quot tu isthic homines, tot Christi altaria cernis.
Templum Dei sanctum est quod estis vos. 1. Co. 3.
Sed si collatis iuuat indulgere loquelis:
Hic habitat, tuus ille hospes mea viscera Thesbon
Cui fratrum ad requiem frondosæ vitis in antro
Herbida cespitibus sunt structa sedilia viuis.
Dic igitur Salmon, quæ rerum nunc tibi sors est?
Quis patriæ status est? quid te delectet in illa?
Namque agris, opibúsque hominum terréque colonis
Nunc primum illæsæ turbato fœdere vitæ
Barbarus incumbit: nec longæ ad secula vitæ
Constructæ prosunt solido de marmore villæ:
Animi hostes vitia. Assumpræque omnes vana in proscœnia rupes.
At vero interior pestis, bellúmque profundum
Olim nos densa telorum nube fatigat,
Sæuior & tantò, quantò est occultior hostis:
Et tamen (heu) si quid vastauit Sarmata, si quid
Vandalus incendit, velóque abduxit Alanus,
Ambiguis spebus licet & conatibus ægris,
Conamur quandam in speciem reparare priorum.
Illa autem nostro quæ sunt amissa periclo
Negligimus, longóque situ squallescere mentis
Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ignaui patimur: subiectáque colla cathenis
Dedimus & manicis peccati præda ligamur.
Et prius est vitam purgare, abscindere sentes,
Ostia conuulsa, ac fractam renouare fenestram:
Excolendi animi negligentia. Quàm latos campos animæ, & præcordia cordis
Excolere: & captæ collapsum mentis honorem.
Nil hostis, nil dira fames, nil denique morbi
Egerunt, fuimus qui nunc sumus, illíque periclis
Tentari nihilo meliores reddimur vnquam:
Sub vitiis nullo culparum fine manentes.
Nil sanctum est nobis nisi quæstus: & illud honestũ est
Vtile quod fuerit: vitiísque vocabula recti
Indimus: & parci cognomen sumit auarus:
Atqui confessis vitiis & crimine aperto
Non potuere suas virtutis imagine fraudes
Obtegere: occulto fouerunt vulnere plagas:
Quos terrena trahit sapientia nescia veri.

Quosdam infœlices qui decipit, incitat error:
Occultæ philosophiæ vanitas.
A Dum causam inquirunt rerum, astrorúmque meatus,
Quæ sit forma poli, quur longo flumina cursu
Non pereant, latus iaceat quo limite pontus:
Quæque Deo tantum sunt nota, recondita cunctis,
Scire volunt (heu grande nefas) & scire videntur.
Ista quidem Salmon sunt nostri crimina sexus.
Sed leuis est vestra vitiorum morbus in vrbe:
Si non fœminei magis exarsere furores,
Antè diem Salmon tenebris nox humida condet
Quàm possim mores huius percurrere turbæ:
Mulierũ vitia viris imputãda
Quæ quum lege Dei viuant, sub lege virorum:
Proh pudor, haud vnquã sine nostro crimine peccant.
Nam nisi delictis faciles traheremur earum,
B Haud illas vitiis vellemus viuere nostris.
Nec rigidas auro vestes, nec vellera Serum,
Nec lapides toto quos fert mercator ab orbe,
Fundorum pretiis emerent suspiria mœsta
Iungimus at vanas non est pudor addere, curas.
Si grauis ignotis processit Lesbia gemmis,
Et decies Passina nouo radiauit in ostro,
Confestim ornatum sibi quæque exposcit eundem.
Ergo quòd variis studeant occurrere formis,
Atque vitis alios alióque opponere vultus:
Mulierũ fucus damnatur
Nónne hæc culpa viri est? quid agunt in corpore casto
Cerussa, & minium, centúmque venena colorum?
Mentis honor, morúmque decus sunt vincula sancti
C Coniugij: si forma placet, venientibus annis
Cedet amor, sola est senium quæ nescit honestas.
Nam quod perpetuis discursibus omnia lustrant,
Quòd pascũt, quòd multa gerunt, & multa loquũtur,
Non vitium nostrum est? Paulo & Salomone relicto
Quòd maro cantatur Phœnissæ, aut Naso Corynnæ,
Quòd plausum accipiunt lyra flacci, aut scena Terenti
Nos horum nos caussa sumus: nos turpiter istis
Nutrimenta damus flammis: culpáque caremus.
Nam velut acceptas referunt specula optima formas
Sic exempla virũm vxores accepta sequuntur.
Sed quur infœlix in culpa est fœmina tantùm,
Quum placeat stolido coniunx vitiosa marito?
D Vnus vbique hostis diffuso turbine sæuit:
Nec mirum est vinci belli terrore subactos.
Quòd si correcti sanum saperemus, & atris
Libera mens nebulis Christo purgata pateret,
Si falcem verbi cordi imprimeremus, & illinc
Vellemus veterum vitiorum abscindere nodos:
Aduersus Christi famulos vis nulla valeret.
Nec nos Riphæi prosterneret arcus Alani,
Nec seruile etiam subuerteret omnia bellum,
Et qui nunc nostra crassantur clade superbi.
Attamen in vestro populo non rara bonorum
Turba viget, multósque pios ecclesia nutrit.
Sunt plane insontes multi, pater optime, quorum
E Esse velim similis: nec desunt in grege nostro
Victrices reddat quas sexus vterque coronas.
Ac si quid patriam cõmendat, si quid in illa est,
Quod iuuat: hoc vnum est: hæc sunt solatia vitæ.
Nunc age Chare pater, cupido mihi fare vicissim
Quæ te digna satis requies susceperit: ex quo
Te corde hinc gestans abij, tecúmque resedi,
Non equidem inuitus recolam mea gaudia Salmon:
Nec te tantorum indicio laudabo bonorum.
Sed iam concluſi nos admonet hora diei
Surgere, & ad sacros sanctorum occurrere cœtus,
Crastina lux verbis accedet libera nostris.

SANCTI GREGORII EPISCOPI CÆSARIENSIS MIRACVLIS CLARI PVLCHERRIMA IN EPIPHANIAM ORATIO.

CHristi, atque hospitum, & fratrum amantes viri, etiam hodie hospitio suscipite linguam meam: & aurium vestrarum veluti fores aperientes, orationem hanc nostram accipite, à nobísque prædicationem audite salutarem: quà, de Christi baptismate in Iordanis flumine, sumus verba facturi: vt maiore desiderio tantum Dominum, ita summissè ad nos descendentem prosequamini. Licet enim Epiphaniæ Saluatoris celebritas præterierit: gratia tamen ipsius perpetuò manet. In hac igitur auiditissimis animis triumphemus. Laudabilis enim est auiditas in rebus salutiferis inexplebilis: laudabilis, inquam est. Agite ergo, Christum ex Galilæa in Iudæam proficiscentem comitemur. Beatus enim est, qui cum via vitæ proficiscitur. Agite, mentis pedibus ad Iordanem accedamus: Ioannémque Baptistam videamus baptizantem illum qui, cùm baptismo ipse non egeat, baptizatur tamen, vt baptismi gratiam nobis elargiatur. Agite, nostræ regenerationis imaginem in aquis illis adumbratam, & expressam contemplemur.

Matt. 3. *Tunc venit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.*

Quanta Domini humilitas est, quanta summissio, cœlorum Rex ad Ioannem præcursorem suum currit. Non agmina mittit Angelorum. Non potestates mittit illas incorporeas, quæ præcurrant. Sed ita demisse in militari forma accedens, ad suum ipse militem proficiscitur. Tanquam vnus è populo ad illum venit. Se in rerum numero ponit is, qui iudex est. In ouium, quæ perierãt numero se collocat bonus ille Pastor, qui propter eas è cœlo descendit, nec cœlum reliquit. Cæleste illud granum, sine semine natum, sese zizaniis cõmiscet. Hunc igitur, quem in ventre matris nouerat, & adorauerat, agnoscens Ioannes Baptista: planéque sciens illum ipsum esse, propter quem ipse supra ætatem, naturæ terminos egrediens, in vtero matris exultauerat: extra pallium dexteram exerens, & caput inclinans, tanquam seruus Domini studiosissimus, eiusmodi verbis eum est allocutus.

Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?

Quid agis, ô Domine? cur rerum ordinem mutas? Quid cum seruis, ea quæ seruorum sunt, quæris? cur ea vis accipere, quibus nõ eges? cur nimia ista humilitate grauas me seruũ tuũ? Ego debeo à te baptizari. Tu autem à me baptizari non debes. Qui minor est, à maiore benedicitur: nõ maior à minore sanctificatur. Figulus à luto non fingitur: sed lutum à figulo tractatur. Creatura à creatore renouatur: non creator à creatura dirigitur. Ægrotus curatur à medico: non, medicus inuisitur ab ægroto. Pauper à diuite fœnus accipit: non autem diues à paupere mutuatur.

Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?

Non ignoro, quis sis, & ex quo cluxeris, & vnde veneris. Neq; enim quia mihi similis factꝰ es, ideò tuæ diuinitatis magnitudinẽ nego. Nec quia te tantopere ad me demisisti, vt corpore appropinquares, & totũ me feres in te, vt totũ hominẽ saluares: ego ꝓpter corpꝰ tuũ, quod cernitur, diuinitatẽ, quę mẽte sola perspicitur, cõtẽno. Nec, quia propter meam salutem primitias meas induisti, ideo te non agnosco, qui amictus es lumine sicut vestimento. Non, quia carnem carni meæ similem gestas, & appares hominibus sicut ipsi videre te possunt: iccircò latet me splendor fulgentis diuinitatis. Non, quia meam in te formam conspicio: ideò diuinã tuam naturam, quæ cerni comprehendíque nequit, ignoro. Planè noui te, Domine. Noui te, edoctus abte. Nemo enim te potest cognoscere, nisi lumine tuo fuerit illustratus. Noui te Domine, omninò Vidi enim te spiritu, antequam lucem hanc cernerem. Quoniam tu quidem totus existens in incorporeo patris cœlestis sinu, totus eras in vtero Ancillæ matrísque tuæ. Ego autem, quàmuis in ventre Elizabet, tanquam in custodia, insolubilibus nodis vinctus, naturaliter detinerer: exultabam tamen, natiuitatémque tuam plausu præueniens, celebrabam. Ego igitur, qui ante partum præcinebam aduẽtum tuum: post partum præsentiam tuam ignorabo? Qui præsentiæ tuæ, in ventre matris extiti buccinator: nunc infans ac mutus ero ad perfectam cognitionem? Possum ego te non venerari, quem omnis adorat creatura? Possum ego te non prædicare, quę cœlum per stellam ostendit? Quem terra per Magos suspexit? Quem Angelorum chori propter tuũm ad nos aduentum lætantes concelebrarint? Quem Pastores plaudentes, ouium ratione præditarum Pastorem collaudarunt? Ego te præsentem silere non possum. Vox enim sum. Vox, inquit, clamantis in deserto: Parate viam Domini.

Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

Ego nascens, matris, quæ me genuit, expuli sterilitatem: & infans adhuc, patris qui mutus erat, taciturnitatis medicus fui, edendi miraculi, iam inde ab ipsa infantia, gratiam à te accipiens. Tu autem è Maria Virgine nascens quemadmodum ipse voluisti, & quemadmodum tu solus nosti, virginitatẽ eius minimè solui sti: sed & illam conseruasti, & Matris appellationem virgini largitus es. Nec virginitas ortum tuum impediuit: nec ortus virginitatem matris maculauit. Sed res duæ maximè contrariæ, Partus & virginitas, inter se consentientes fœdus inierunt. Quoniam tibi naturæ authori ita placuit. Ego sum homo tantummodò, diuinæ gratiæ particeps. Tu Deus idem es, & homo, & humani generis amantissimus.

Virginis Deiparæ perpetua virginitas

Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? *Matt. 3.*

Tu qui in principio eras, & apud Deum eras. Tu, qui paternæ es gloriæ splendor. Tu qui perfecti patris es imago perfecta. Tu, qui lux es vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu, qui in mundo eras, & vbi eras, venisti. Tu, qui caro factus es, sed non in carnem conuersus. Tu, qui habitas in nobis, & in serui forma seruis appares tuis. Tu, qui cœlũ, & terram sancto nomine illustras tuo. Tu venis ad me tantus ad tam pusillum? Rex ad præcursorem? Dominus ad seruum? Licet tu in humili humanitatis specie nasci dignatus sis, ego tamen naturæ terminos transilire non valeo. Scio, quæ sit terræ mensura, & creatoris. Scio, quanta sit inter lutum, & figulum differentia. Scio, quantum discrimen intercedat inter solem iustitiæ, & me qui sum lucerna gratiæ. Quanquam pura *Ioan. 5.* corporis nube circundatus es, ego tamen tuam agnosco dominationem. Confiteor seruitutem meam. Prædico amplitudinem tuam. Potestatem tuam absolutã *Luc. 3.* cognosco. Nõ sum dignus, qui soluam corrigiam calceamẽti tui: & quomodo purum tuum attingere verticem audebo? Quomodò extendam ad te dexteram meam, qui cœlum sicut pellem extendisti, & terram *Psal. 103.* super aquas es fabricatus? Quomodo diuino capiti tuo

seruiles digitos meos imponam? Quomodo immaculatum,& peccati expertem lauabo? Quomodo lumen illuminabo? Quibus cum precibus obsecrabo,qui preces etiam ignorantium susçipit? Alios baptizans,in nomine tuo baptizo, vt in te,qui cum gloria venturus es, credant. Baptizans te,cuius mentionem faciam? In cuius te nomine baptizabo? In patris ne nomine? At totum in te ipso patrem habes,& totus es in patre. In filij nomine? At nullus præter te natura est filius Dei. In no
Spiritus sanctus filio consubstantialis. mine Spiritus sancti? At ille tecum est semper, vt pote tibi consubstantialis. Eadem illi seruitus,eadem mens, eadem vis, idem honor, eadem , quæ tibi adoratio ab omnibus exhibetur. Baptiza igitur,si vis Domine: baptiza me baptizantem. Regenera,quem regenerare fecisti. Extende terribilem dexteram tuam , quam ipsi præparasti, & corona tactu tuo caput meum , vt ante regnum tuum currens coronatus,tanquam Præcursor, de more,peccatoribus euangelizem,clamans ad eos.

Ecce agnus Dei,qui tollit peccatum mundi.

Iordanes amnis mecum ipse tripudia , & exulta , & concinnè , fluctus tuos tanquam saltus , ad numerum modu. Auctor enim effectórque tuus cum corpore super te consistit. Vidisti olim Israelem accedentem , & aquas diuidens,transitum eius expectasti. Nunc autem effundere vehementius , & plenius flue , & pura illius membra circumplectere , qui tunc Iudæos transmisit. Montes, & colles: fontes,& torrentes: maria, & flumina benedicite Dominum qui Iordanem fluuium conscendit. Ipse enim per has aquas sanctificationem omnibus aquis elargitur.

RESPONDENS autem Iesus dixit ad eum: Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

Mat. 3. Sine modò, Baptista, tempori dispensationis meæ silentium impertire. Disce velle , quæ ego volo. Sine modò. Nondum meam prædica diuinitatem. Nõdum labris præcine regnum meum: ne tyrannus id præsciẽs, contra me insidias omittat. Permitte,diabolum ad me tanquam ad vnum è multis accedere , & mecum congredi, vt lethale vulnus accipiat. Permitte,me cõsilium illud implere , propter quod in terram veni. Mysteriũ est hodie in Iordane perfectum. Mysteria mea mihi & meis : Mysterium est,non meæ vtilitati consulere, sed vulneratorum curationem excogitare. Mysterium est, non meum aquis commodum præscribere , sed cœlestia humanæ regenerationis fluenta dilargiri. Cum videris me in operibus meis,ea, quæ diuinitati cõgruunt, peragentem : tunc iis quæ fient , laudes accommodabis. Cùm videris à me leprosos mundari , tunc me naturæ auctorem prædicabis. Cùm videris claudos à me ad currendum veloces effici, tunc vnà cum eorum pedibus sese celeriter mouentibus,& tu linguam tuam in meas laudes excitabis. Cùm videris me dæmones eiicientem , tunc regnum meum adorabis. Cùm videris
Christi eadem cum patre æternitas. me verbo mortuos è sepulchris in vitam excitantem, tunc me pariter cum illis resurgentibus vt vitę largitorem collaudabis. Cùm videris me ad dexteram patris considẽtem, tunc me Deum, cui idem thronus, eadem æternitas , idem honor, cum patre , sanctóque spiritu conueniat, confitebere. Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam, legislator ego sum, & legislatoris filius. Oportet me prius per omnia trãsire mãdata , & tunc vbique meæ benignitatis præcepta promulgare. Oportet, me legem explere: & mox gratiam elargiri. Oportet me prius vmbram adducere, post autem retegere veritatem. Oportet me prius veteri Testamento finem imponere: mox autem nouum propagare, & in hominum cordibus insculpere , & meo sanguine subscribere, & spiritu meo obsignare. Oportet me in crucem tolli, & clauis transfigi, & pati quantum fieri potest, & passiones passione curare, & per lignum mederi vulneribus, quæ hominibus ex ligno sunt illata. Oportet me ad inferni profundum descendere, vt *Christi defensus in infernum.* eos, qui illic detinentur, eripiam. Oportet me triduo mortis carnis meæ, diuturnum mortis imperium euertere. Oportet me corporis mei lucernam sedentibus in tenebris,& vmbra mortis accẽdere. Oportet me cum carne illuc ascendere, vbi sum diuinitate. Oportet me, Adam in me regnantem, ad patrem adducere. Hæc me perficere oportet. Ob hæc enim ille operibus affuit meis. Oportet me nunc hoc baptismate baptizari , & postea consubstantialis Trinitatis baptisma omnibus *Trinitas consubstãtialis.* hominibus dilargiri. Accommoda mihi, ô Baptista, ad præsentem dispensationem, dexteram tuam , quemadmodum mihi ad generationem accommodauit Maria vterum suum. Immerge tu me Iordanis vndis, quemadmodum illa quæ me genuit, puerilibus pãnis inuoluit. Da tu mihi Baptismum, vt virgo lac præbuit. Tãge caput meum , quod Seraphim venerantur. Tange caput illud, quod dexteræ tuæ est consanguineũ. Tange, quod ideò natum est, vt tangeretur. Tange , quod propterea paratum est à me,& à patre meo. Tange caput meum,quod qui pie tangit, nunquam periclitatur. Baptiza me,qui baptizaturus sum credentes,aqua, spiritu, & igne. Aqua quidem,quæ valeat peccatorum lutum abluere: spiritu,qui possit terrenos reficere: Igne, qui spinas peccatorum queat exurere. Hæc audiẽs Baptista,& in salutis scopum,mentis aciem dirigens,mysteriúmque,quod peragebatur,intelligens, diuino paruit mandato. Erat enim & pius & obediens. Dexterã igitur subtremulam lætabundus extendens,Dominum baptizauit. Iudæi autem qui vel aderant , vel propè, aut procul erant , inter se colloquebantur , dicentes: Haud frustra Ioannem esse Iesu præstantiorem suspicabamur. Haud frustra illum hoc excellentiorem esse putabamus. Nonne baptisma hoc Ioanni priores partes ascribit? Nónne ille,vti præstantior, baptizauit. Hic autem,vt inferior,est baptizatus? Hæc illi dum inter se iactarent,dispensationis mysterium ignorantes: ille,qui solus est Dominus , & natura pater vnigeniti: Qui solus exquisitè nouit eum, quem vnicum genuit : falsas Iudæorum cogitationes redarguens,cœlorum fores aperuit , & in columbæ specie Spiritum sanctum demisit super caput Iesu,digito ostẽdens Noë,& creatorem Noë, & naturæ naufragio periclitãtis gubernatorem, ac de cœlo ipse vehementer exclamans, *hic est* , inquit, *filius meus dilectus*,ille Iesus,non Ioannes. Qui baptizatus est, non qui baptizauit. Qui ex me genitus est ante omne temporis spatium. Non ex Zacharia,sed ex Maria genitus secundum carnem . Non qui ex Elizabet præter spem , sed qui ex Maria (eius virginitate minimè læsa) sine semine † fructus apparuit , non ex solutæ † *for.* sasterilitatis ramo. Qui vobiscum versatus est, non au- *ctus.* tem in deserto educatus.

Hic est filius meus dilectus,in quo mihi cõplacui.

Filius consubstantialis, non autem alterius substan- *Filius pa-* tiæ. Consubstantialis mihi , in eo quod non videtur: *tri consub* Consubstantialis vobis , in eo quod oculis cernitur *stantialis.* absque peccato.

Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui.

Non alius est filius meus,& alius Mariæ filius. Sed hic est filius meus dilectus, qui & oculis , & mente conspicitur.

Hic

Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui. Ipsum audite.

Si dixerit : Qui vidit me, vidit patrem : ipsum audite. Si dixerit : Qui misit me , maior me est , dispensatione , vocem eius susçipite. Si dixerit : Quem me dicunt homines esse filium hominis, respondete illi: Tu es filius Dei viuentis. His verbis de cœlo terribiliter à Patre profectis,illuminatum est hominum genus : vt creatoris , & creaturæ : Regis, & militis: Opificis, & operis discrimen agnoscentes , & fide confirmatis per Ioannis baptisma, ad eum qui spiritu, & igne baptizat, accederent , Iesum Christum, verum Deum nostrum, cum quo , Patri gloria , cum sancto , & vinificante Spiritu , nunc , & semper , & in secula seculorum, Amen.

HACTENVS SANCTORVM PATRVM HOMELIÆ DE SANCTIS, ET IN VARIA SCRIPTVRÆ LOCA, BIBLIOTHECÆ TOMVS 7.

BIBLIOTECA UNIVERSITÀRIA GRANADA